













XXXIV
NINGV

ASSERTIO FIDEI CATHOLICÆ ADVERSVS ARTICVLOS VTRIVSQVE CONFESSIONIS

FIDEI ANNAE BVRGENSIS IVRIS DOCTORIS; ET IN ACADEMIA AVRELIANENSI olim professoris, ac postremò Parlamenti Parisini Senatoris,

QVAM IPSE EIDEM PARLAMENTO OBTVLIT, cum propter hæresim diu in carcere inclusus, paucis post diebus ad supplicium esset deducendus.

Necnon aduersus pleraque id genus alia.

Præterea contra eiusdem mortis historiam, quæ Martyrium inscribitur, Lutetiæ editam, deque hæreticorum miraculis specialis additur articulus.

AVCTORE FELICIANO NINGVARDA à Morbinio Dominicano, Doctore Theologo, Reuerendissimi, & Illustriss. Archiepiscopi, ac Principis Salisburgensis Consiliario, & in sacro Tridentino Concilio Oratore.

Saluo semper S. R. Ecclesiæ iudicio: cui me in his, & ceteris omnibus, cum omni humilitate submitto.





VENETIIS, Apud Dominicum Nicolinum.
M D LXIII.

ILLVSTRISS. LEGATORVM SACRI OECVMENICI TRIDENTINI CONCILII, COMMENDATIO, AC TESTIMONIVM OPERIS.



OS HERCVLES TITVLI SANctæ Mariæ nouæ, de Mantua, Hieronymus tituli Sanctæ Susannæ, Seripandus, Stanislaus tituli Sancti Pancratii, Varmiensis, & Ludouicus Sancti Cyriaci in Thermis, Simonetta, uulgariter nũcupati. S.R.E. Presbyteri Cardinales, sacri Oecumenici, & generalis Concilii Præsidentes, & Apostolici de latere Legati. Quæ aduersus utranque confessionem Annæ Burgensis hæretici, eruditè, atq; catholicè scripsit Felicianus Ninguarda à Morbinio, Dominicanus sacræ Theologiæ Doctor, & in hoc sacro Tridentino Concilio Reuerendissimi, & Illustrissimi Io. Iacobi Archiepiscopi Salisburgensis procurator, & nuntius, eò libentius, ut in eruditionis, fideiq; ipsius signum, & Ecclesiæ utilitatem typis committantur, concedimus; quò præter ea, quæ in publicis disputationibus in hoc ipso sacro Concilio inter Theologos habitis, de eius catholica doctrina, ac probitate, & erga religionem Christianam propensione, Nos ipsi cognouimus, atque uidimus; à quamplurimis etiam doctissimis, catholicis, ac piis uiris fidele, & optimum de præfata eius in dictis suis scriptis catholicæ doctrinæ sinceritate testimoniũ accepimus. In quorum fidem præsentes fieri, & per ipsius sacri Concilii Secretarium subscribi, ac antiquioris nostrum sigilli impressione communiri mandauimus. Dat. Tridenti die XIX. Decembris. M D LXII.

Angelus Massarellus, Episcopus Thelesinus, sacri Concilii Secretarius. ✠

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, ET S. THEOLO. DOCTORI F. FELICIANO NINGVARDAE A MORBINIO DOMINICANO, ET IN SACRA SYNODO TRIDENTINA PRO REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. SALISBVRGENSI ORATORE,

F. Vincentius Iustinianus, comprofessor, atque totius dicti ordinis humilis Generalis Magister, & seruus, salutem.



NTELLEXERAM *ex multorum fide, quorum summa est, & nota eruditio, quàm praeclarae forent lucubrationes à te editae aduersus Annam Burgensem, indeq; tantum gaudij conceperam, quantum patrem decet, qui communes habet cum familia triumphos gloriae. Sed postquam eas ipse legi non mediocri studio, uisus mihi sum (quanta animi exultatione, quas egi gratias Deo nostro?) instructam à te aciem uidere, munitissimam utroque cornu, ut dextrum diuina tenerent oracula, sinistrum insignis, uenerandaq; maiorum auctoritas, ab Ecclesiae crepundijs in haec usque tempora producta. Tam acriter pugnantem uidi, ut in uno Anna prostratos esse mihi pollicear omnes aetatis nostrae morbos, atq; uenena. Tam prudens es in dirigenda acie, tam diligens in singulis locandis, & defendendis, tam strenuus in hoste sustinendo, ut neque possit ille alicubi consistere, nec aliquam labi per malitiam: cumq; se ab uno in alium recipiat errorem tanquam in arcem, ubiq; expugnatur, ubiq; deijcitur & prosternitur, neq; ulla superest uel errandi, uel dubitandi radix. Vtinam multos habeat nostra familia huiuscemodi cordatos uiros sese murum opponentes pro domo Israel, qui legitimos fines tueantur diuini cultus, & (quod postulat instituti nostri ratio) audacissimos fidei hostes debellent. Nam quid mihi iocundius esse potest, quàm carissimos filios intueri toto robore, atq; feliciter dimicantes pro domo Domini? Perge itaque, & si quid apud te mea ualet obsecratio, auctoritas, consilium, paternus amor, nostrae familiae splendor, & gratia; si tibi alicuius uidentur ponderis tuae res, ingentes Christianae Reipub. calamitates, pietas in Deum, fraternaq; beneuolentia, emitte q̃primum hũc partum calcographis typis excusum, neq; diutius contineas intra priuatos lares cunctabundus, et pauens, quod est tibi collatum thesaurũ in alienã, tuamq; salutẽ. Vale, meq; ama. Tridenti. XI. Cal. Nouemb.* M D LXII.

REVERENDISS.

IN CHRISTO PATRI,

AC ILLVSTRISS. DOMINO

SALISBVRGENSI ARCHIPRAESVLI,

AC PRINCIPI DIGNISSIMO,

& Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato præstantiss.

D. IOANNI IACOBO,

EX ANTIQVISSIMA, ET

NOBILISSIMA A KVEN

FAMILIA. &c.

DOMINO MEO COLENDISSIMO,

atque gratiosissimo.



Agnum profectò dolorem, Reuerendissime Archipræsul, & Princeps Illustrissime, omnibus afferre debuit inopinatus fe. re. prædecessoris tui D. Michaelis obitus: cuius uita cum uberes pietatis, omniumqúe uirtutum fructus ad Dei gloriam, & totius Ecclesiæ utilitatem ferret, tum uberiores etiam in dies pollicebatur. Etenim omnibus in rebus, Deum ille præ oculis habebat, summoquè diuinæ legis studio erat incensus: atq; ita se planè gerebat, ut catholicæ Ecclesiæ acerrimus defensor, hæresum extirpator, doctorum, & piorum hominum

hominum fautor, pauperum, & pupillorum pater, atq; protector existeret. tùm ingenio, doctrina, consilio, plurimum excellebat: denique singularis in eo erga omnes fuit benignitas, modestia, charitas. Quamobrem tam præclari uiri interitus cum bonis omnibus maximè acerbus accidere debuit; tùm uerò præcipuè Salisburgensi Ecclesiæ: quæ talem pastorem amisit, à quo rectissimè, & sanctissimè regebatur. Ego sanè ex eius morte tantum accepi dolorem, quantum uerbis consequi non possim: eo enim patrono, ac domino priuatus sum, in cuius benignitate, ac studio erga me, spem omnem repositam habebam. Sed optimè cum Salisburgensi, atq; adeò uniuersali Ecclesia actum est, Reuerendiss. atq; Illustrissima D. T. in demortui locum suffecta: quæ tantam de se expectationem apud omnes iam concitauit, ut nemo non speret, talem eam futuram, qualis non modo eius prædecessor habebatur, sed qualis multis abhinc annis in huius Archiepiscopatus, atq; Principatus administratione (pace omnium dixerim) nullus omnino extitit. Quod quidem cũ animi tui, & corporis eximiæ dotes maximè confirmãt, tum uerò electionis ratio, qua ad istam dignitatem, Spiritu sancto afflante, es euectus. Nam qui ex Dei uocatione Ecclesiis præsunt, omnia Spiritu sancto duce, atq; adiutore agunt. Atq; utinam nisi uocatus

gregem

gregem Christi nemo pasceret. omnes enim secun
dum cor Dei oues eius, & non se ipsos pascerent.
At multi aliunde, nempè uel hominum fauore, uel
potentia, uel pecunia, ad oues Christi pascēdas in-
grediuntur. Ideò non pastores ouium, sed fures, & Iob. 10.
latrones à Christo tales dicuntur. Naturæ enim ra
tio non patitur, ut aliquid suapte ui ad statum sua
natura sublimiorem sese extollat. Ita aer seipsum
ignem non facit, sed à superiore fit. Quamobrem
Dei disciplinæ planè repugnat, ut quisquam uel
hominum fauore, uel suis opibus, uel pecunia sibi
honorem sumat, quo modo nonnulli faciunt, de
quibus Amos sic ait. In fortitudine enim nostra Amos. 6.
assumpsimus nobis cornua. Ac tales profectò nō
sunt à Deo, iuxta illud Oseæ. Ipsi regnauerunt, & Oseæ. 8.
non ex me. Vnusquisque enim à Deo uocari de- Exod. 28.
bet, sicut Aaron: cuius sacerdotium idcircò confir Num. 17.
mauit Dominus per uirgam, quæ floruit. Vnde
Apostolus ad Hebræos. Nec quisquam sumit sibi Hebræ. 5
honorem, sed qui uocatur à Deo, quemadmodum
& Aaron. Tales nimirum essent assumendi, qui
ad hoc se ipsi non ingerunt, sed Spiritus sancti affla
tu eliguntur. Quod si ubique fieret, planè spe-
randum esset, breui futurum, ut uniuersalis Eccle-
sia ad meliorem statum reuocaretur. Quapropter
ego uerè, atq; ex animo plurimum lætor, & gra-
tulor, ad hunc modum, hoc est diuinitus, tuam Re
uerendissimam

uerendissimam Dominationem ad istam amplissi mam dignitatem, ac munus euocatam fuisse. Nam antequã locus electioni daretur, totius populi studia, ac uoluntates in te ipsum planè inclinabant. quod non obscurum uideri potuit Dei uocationis argumentum: cum uox populi uox Dei dicatur. Electionis autem cum adesset tempus, primùm Spiritus sancti auxilio in solenni Missæ sacro (ut mos est) implorato, deinde electoribus in locum ad eam rem constitutum absq; tumultu congregatis, sine Principum fauore, nullo prehensante, statim omnium electorum suffragiis, accedente etiam omnium nobilium, atq; ciuium consensu, nemine penitus discrepante, ad istũ summæ dignitatis gradum Reuerendiss. atq; Illustriss. Dominatio Tua est elata, & ab uniuersa Salisburgensi ciuitate hilari uultu, & cupide suscepta, tum à sacra Ferdinandi maiestate Cæsarea benigne amplexata, & à summo Pontifice magnò cum honore confirmata. Quod sanè diuino consilio factum esse, non obscurè apparet. Quare ego quidem non potui non maximam, certissimámque de Reuerendiss. D. T. spem concipere, eam talem omninò futuram, qualem cunctus expectat populus. Quod omnes ut facilius credamus, Reuerendiss. ac Illustriss. Dominationis Tuæ præclaris tũ animi, tum corporis dotibus planè adducimur. Possem ex antiquissima

ſima,& nobiliſsima Kuenorum familia, atque ex maioribus tuis omni laude clariſsimis, undequaq; Reuerendiſsimam, atq; Illuſtriſsimam Dominationem Tuam commendare, atq; extollere. Sed quia auos, proauos, abauos, atauos inſignes referre, ſtemmata texere, familiæ ſplendorem proponere, fortunæ quæ uocantur bona commemorare, magis eſt aliena afferre, quàm propria; ne tanquàm ex alienis Reuerendiſs. & Illuſtriſs. D. Tua laudari tantum uideatur, quaſi deſint propria, quibus tamen ipſa eſt ornatiſsima; illa prorſus omittenda, hæc aliqua ex parte attingenda duxi. Nam quid in uero paſtore, ac Principe requiritur, quod in Reuerendiſs. & Illuſtriſs. D. Tua non abunde inſit? atq; ut ab exemplo initium ſumam, quo quidem, in Principe non minus opus eſt, quàm imperio, cum eum, ut ex Stoicorum placitis loquar, exemplaribus uirtutibus præditum eſſe oporteat, nempe ut ex malis bonos, ex bonis optimos efficiat ciues, utq; bonitate uitæ, ac uirtutum fulgore, quo modo Sol cuncta ſidera clariſsima luce, ſuperet, atque illuſtret. Ex quo Xenophon philoſophus, idemq; hiſtoricus celeberrimus ex Cyri Regis ſententia, cuius uitam ad effigiem iuſti imperii deſcribit, hoc pulcherrimum nobis documentum tradit. Nemo, inquit, decenter imperare poteſt, qui ſubditis melior non eſt: nulliq; dan-

Xenophon.

b dus

dus est magistratus, cuius uita non sit sanctior magistratu. Hæc inquam cũ in uero Pastore, ac Principe inesse debeant, talis est Reuerendissima, atque Illustriss. D. T. ut hæc in ipsa mirabiliter eluceãt. Iam fidei zelo, humanitate, benignitate, pietate, innocentia, misericordia, oris facundia, ingenii acumine, bonarum literarum eruditione (dent ceteri ueniam) cui Illustrissima D. T. nõ præstat? Quare quid huic ciuitati lætius, quid optatius contingere potuit tali pastore, ac Principe, omni uirtutum genere ornatissimo, morumq; unico exemplo, & Christi charitate feruentissimo? cui labor non deest in negotiis, fortitudo in periculis, animi magnitudo in rebus arduis, prudentia in deliberando, industria in agendo, celeritas in conficiendo. Quæ cum ita sint, nõ dubito, quin Reuerendissima & Illustriss. D. T. quod sanè à Domino nostro Iesu Christo uehementer deprecor, in his tam acerbis, & grauibus miserrimi huius temporis calamitatibus, hoc pastorale munus sibi delatum, cum Dei honore, & omnium laude, atq; eorum, quibus præst, utilitate, diuina ope, & auxilio, sic administret, ut tandẽ omniũ retributor Deus, iudex iustissimus, eius labores, certamina, conatus, actiones, primùm ad tranquillitatis Christianæ statum, deinde ad optatum beatitudinis præmiũ perducat. Quæ tametsi antea tum priuatim tibi ipsi dixerim, tum

publicè

publicè in cõcione corã populo habita, Reuerendissimæ, & Illustriss. D. T. gratulans prædicauerim, tamen quin eadem nunc etiã scriptis repeterẽ, temperare mihi non potui. Ita enim natura comparatum est, ut quæ nos delectãt, sæpius eadem repetamus, in hisq́ exprimendis uix modũ reperiamus. Atq; ut hoc decẽter, nec ab re omnino fieret; opusculũ hoc, quod ego hortatu prædecessoris tui fe. re. domini mei benignissimi, scripserã, Reuerẽdiss. atq; Illustriss. D. T. dica re statui: dummodo hæc mea obsequii plenissima uolũtas operis tenuitatẽ aliqua ex parte tibi commendare ualeat. Est autẽ Assertionum catholicarũ liber per articulos distinctarum, cõtra utrãq; nefariã, atq; impiã confessionem, & Martyrii (sic enim inscribitur) historiã Annæ Burgensis, iurisperiti olim, & Parlamenti Parisiensis Senatoris, qui ut dignã scelerũ suorum, atq; impietatis lueret pœnã, igne crematus est. Is autẽ cũ propter multas, ac penè innumerabiles eius aduersus fidẽ catholicam blasphemias, Christianiss. Gallorum Regis Henrici iussu in carcerẽ coniectus fuisset, eiq́ nonnulli fidei nostræ catholicæ articuli ab his, qui sacræ Inquisitioni præerant, oblati essent, ut scripto fidem suam testaretur; primò uoluntariã quandã suæ fidei assertionẽ, deinde ad articulos sibi propositos respondens alterã edidit cõfessionem, priore non minus nefariã, atq; detestabilẽ. Po-

stremò quidam illius fautor miseram eius mortē, quā martyrium uocat, scripsit, eāq; his duabus con fessionibus adiecit. Quæ omnia, & alia eiusdem generis quàm plurima, ut ex subsequēti indice Reuerendiss. D. T. intelligere poterit, tùm sacrarū scripturarum auctoritatibus, & sanctorū patrum testimoniis, tùm multis, apertisq; rationibus refellere conatus sum, atq; hoc opusculo omnia sum cōplexus. Quod quidem si gratū Tuæ Illustriss. Dominationi fuisse cognouero, animos id mihi addet, maiora aggrediendi, atq; eius amplitudine digniora: quibus meum erga illam singulare studium, atq; obseruantiam testatam omnibus relinquam. Eā autem rogo, atq; deprecor, ut hoc munus, qualecunq; sit, benignè accipiat tùm ob ea, quæ continet his maximè temporibus, utilia, ac salutaria, tum mea etiam causa, qui Reuerendissimæ, atq; Illustrissimæ Dominationi Tuæ me totū tradidi, eiq; omnibus in rebus, quantum meæ ferunt uires, gratificari cupio. Quæ diu felix ualeat, & me solita benignitate amplectatur. Salisburgæ. XI. Cal. Mar. MDLXI.

Reuerendissimæ, atq; Illustrisimæ D. T.

Cliens obsequentissimus.
F. Felicianus Ninguarda à Morbinio.

ERVDITO, AC PRÆSTANTI VIRO, SACRAE THEOLOGIAE DOCTORI, FELICIANO NINGVARDÆ A MORBINIO,

Reuerendiſsimi, Illuſtriſsimiq; Archiepiſcopi, ac Principis Salisburgenſis Conſiliario, & ad ſacroſanctum Tridentinum Concilium Oratori deſignato.

Antoninus Groſuptus, ſanctæ Inquiſitionis per totam Auſtriam Commiſſarius.





ELICIANE mi perdilecte, uerum eſſe cõperio, quòd ſicut Theologi ſtatum metiuntur æternitate, & philoſophi motum tempore; ita amantes tempus affectu. Quo nanque maius eſt deſiderium, eo & poſſeſsio breuior, & expectatio uidetur longior. Octiduum, quo tecum Salisburgæ fui, huic octiduo, quo te hic (iuxta promiſsionem tuam, Illuſtriſsimi Archipræſulis teſtimonio firmatam) expectaui, ceu inſtans, ſeculo æquiparari uidetur. Et quanto diutius fuiſſet, ſi lucubrationum tuarum in Annam Burgenſem non uſus fuiſſem lectione? In illis te ipſum cernebam. Illæ in itinere, cum ex æquo deſcenderem, illæ hic Tridenti, cum à principio inter tot proceres prodire uererer, unicum mihi fuere ſolatium. Decurri, & excurri totas: quarum, fateor, eruditione piiſsima non mediocriter oblectatus ſum. Parce laudo, ne amici opus laudans, me ipſum commendare uidear. Ipſum opus egregiè loquitur. Scio non pendere operis uirtutem ex iudice: ſed opus iudici commendare artificium. Mihi ipſi gratulor, quòd in operis iudicio doctiſsimi Staphyli, & Ingolſtadienſium profeſſorum incurrerim

currerim semitam: cum illi dedita opera, adhibita diligentia, & temporis opportunitate, discussisse se perhibeant: ego uero sic per transennam legerim, tuis uti & te delectatus. In patriam igitur accinctus, eas Reuerendo Seraphino Caballo Brixiensi, Terræ sanctæ Prouinciali, tibi cum ueneris reddendas relinquo, & breui huc (fauente Deo) reuertar. Interim uale.

Tridenti. IIII. Nonas Maij. M D LXII.

ANTONII COMITIS LODRONII, ET D. CAstellani, Salisburg. ac Passauien. Canonici, ad lectorem.

Quàm potior fuerit subeundi causa duelli,
Iam potiore suum donat honore ducem.
Quale igitur pugna hac meruit Ninguarda triumphum,
Ergo quam læsæ religionis init?
Discite, qua certet proles Ießeia funda:
Sacrilegus proprio concidit ense gigas.

BENEDICTI MARABOTTI A MONTE regali ad lectorem.

Vltima uis hostis uiolentius impetit hostem:
Sed probat inuictam qua ruit icta manum.
Impia sic Annas in matrem tela prophanus,
Ninguardæ at dextra mox reprimenda iacit.
Perfidus atteritur doctor doctore fideli:
Illum quippè caro, spiritus hunc docuit.
Flet Babylon uictum: uictori Ecclesia plaudit.
Vnde cinis tegitur, luceat ergo focus.

STEPHANI RONDONII IN OPERIS commendationem.

Sparserat innumeros Burgensis subdolus Annas
Errores, mundo qui nocuere diu:
Hos Ninguarda pius collectos pellere nixus
Euertit penitus dogmata iniqua uiri.
Vt quem pestiferum uindex combusserat ignis
Celtarum, æternas mergeret in tenebras.
Olim monstra duces ualido strauere lacerto:
Sæuius hic monstrum doctiloquo ore necat.

THOMÆ ZOBII THEOLOGI BRIXIENSIS, in laudem operis.

Perdita mens Annæ furijs agitata malignis,
Hauserat ex atro gurgite dogma malum:
Telaq; uibrarat ualidis excussa lacertis:
Fluxerat à telis sæuus in ossa dolor.
Hæc Ninguarda pius certo medicamine traxit,
Obduxit uulnus putrida ritè secans.
Quæ fuerat tantum uirus sparsura per orbem,
Ninguardæ cecidit belua petita manu.

INDEX ARTICVLORVM ASSERTIONIS FIDEI CATHOLICAE ADVERSVS INSCITIAS, ATQVE NEQVITIAS PRIMAE CONFESSIONIS ANNAE BVRGENSIS.

INDEX ARTICVLORVM ASSERTIONIS fidei catholicæ aduersus blasphemias secundæ confessionis Annæ Burgensis.

APPENDIX.

ERRATA ANIMADVERSIONE DIGNA.

pag.	fac.	li.		
7	1	22	quas nos	qua nos
11	1	2	ipſius	ipſorum
23	2	29	mnus	mnas
25	1	7	à Iudaicis	Iudaicis
27	1	36	ſolennitate	ſolennitatem
28	2	13	facies	facietis
32	2	2	memoria	memoriam
40	2	2	eo ipſe	eo ipſo
43	1	26	neceſſario	neceſſaria
47	2	19	Hoc	Hos
48	1	24	irreuerendo	irreuerenti
	2	22	tam ex	quàm ex
		31	ferè	fore
51	2	37	à nempe	nempe
52	2	8	deſcribitur	deſcribetur
58	1	17	uere	ueræ
59	1	27	adiiceris	adiaces
60	1	1	cathedram	cathedra
64	2	in marg.	Ignatius Syrus	Ignatij Syri
69	2	1	interceſſionem	interceſſione
72	2	38	exultatiore	exultationis
		39	collaudanti	collaudant
74	2	33	ſancto-	ſanctos
80	2	12	putas me	putas ne
		15	itaq;	atque
86	1	13	opuſculi	opuſculis
87	2	22	ſubſcripta	ſupraſcripta
91	2	14	ſimile?	ſimilem?
92	2	17	earum	eorum
93	1	17	Antropophormitas	Antropomorphitas
95	1	15	membranicis	membranaceis
97	2	14	ſuos	ſui
98	2	23	tollerentur	tollendas
		26	imitatus	initiatus
100	2	16	ſpectant	ſpectet
102	1	11	Carthaphrygij	Cataphrygij
	2	35	in cap.	in corp.
103	1	15	argumentum	augumentum
112	2	26	rationes	rationis
113	2	9	ueri	uerò
115	2	11	profectio	profectò
116	1	18	commentarij	commentarijs
	2	25	addi dicit	addidicit
117	2	38	æthleta	athleta
120	2	35	eſt miſſa	ex miſſa
122	1	12	ſuſpectus	ſuſpectos
134	2	24	decimo	decimum
141	2	20	3. cap.	2. cap.

141	2	35	ex omnibus assumptus pro omnibus	ex hominib⁹ assumptus ꝓ hominibus
143	1	1	cap.10.	cap.9.
146	1	25	cordæ	corda
147	1	31	dici non posset	nuncupatur
	2	6	in cap.	in corp.
148	2	6	Dominicam	Dominica
149	1	4	Ille	Illæ
150	2	12	consumaretur	consummaretur
151	1	7	sit	fit
	2	37	ꝑ	pro
154	2	26.	insinuatur	insinuetur
116	2	32	tradidisse	tradidisset
157	2	27	numera	munera
158	2	2	pharesi	phares
160	2	33	scilicet, Dominus	scilicet, cum Apostoli loquerentur, Dominus
163	2	2	concessa est,	concessa, est
		15	honoratate	honorate
164	1	8	Domini	dominij
171	2	4.in marg.	psal.41.	psal.53.
		5	38.dist.41.	4.dist.lib.4.
		17.in marg.	41.dist.38.	4.dist.38.
		38	ciuitatis	ciuitates
172	1	33	inueni	iuueni
	2	18	non non nuptis	non nuptis
177	2	33	incredibili	hæc dictio expungenda.
178	1	9	uostris	nostris
183	2	38	expetita sunt	expetita, sunt
			ex tota	ex toto
186	2	28	concupiscentia	concupiscentiæ
189	1	ult.	re ministro	te ministro
190	2	24	terra	terræ
		26	ueniendum est est	ueniendum est
194	2	4	more	morem
		10	ca.7.	ca.7.partis.3.
197	1	12	cant.	cano.
		35	assignatio	assignando
198	2	35	plura	plora
202	2	2	alligantes	alligatos
204	1	34	gemina	genuina
206	1	34	anima	animæ

Cetera uerò, in quibus uel tollendæ, uel addendæ, uel mutandæ occurrerint literæ, aut syllabæ, ut conttarium pro contrarium, straminiam pro stramineam, custodiuisce pro custodiuisse, Cuctodiatis pro Custodiatis, corrobationem pro corroboratioнē, eodum pro eodem, iterebatur pro iterabatur, milia pro millia, libereretur pro liberetur, Iæsus, præsbyter, quæ sine diphthō go, quanlibet, quanuis, quenlibet, quenq;, quæ cum m, non cum n, scribi debent; aut syllabæ, seu dictiones uniendæ, uel separandæ, aut interpuncta, & accentus tollendi, uel addendi, atque id genus alia, quæ quiuis facile per se animaduertere potest; ea legentium iudicio corrigenda relinquimus.

ASSERTIO FIDEI CATHOLICAE ADVERSVS ARTICVLOS PRIMAE CONFESSIONIS ANNAE BVRGENSIS.

Auctore Feliciano Ninguarda à Morbinio Dominicano Theologo.



De immutatione scripturarum. *Arcic.* I.



STVTE ANNAS BVRGENSIS unum fingit protegere, ut aliud poſsit ſurripere, qui calliditate quadam Canonicarum ſcripturarum ſe defenſorem ſimulat, ut leges, ſanctionesq; Eccleſiaſticas è medio tollat, quod his nititur oſtendere uerbis. *Credo nemini mortali cuiuſque ordinis, aut generis ſit, fas eſſe quicquam illis ſacris uoluminibus uel addere, uel detrahere, ſiue leges, ſiue edicta, ſiue cæremonias inſtituat, quæ ad politiam religionis Chriſtianæ pertineant, idq; uetitum eſse quarto, & duodecimo capite Deutero. ubi ſic ſcriptum eſt. Nihil ad eam doctrinam, quam uobis trado, adijcietis. Item Ioſuæ 23. Nitimini obſeruare, quod in libro legis ſcriptum eſt, neq; uel ad dexteram, uel ad ſiniſtram deflectite. Item traditur apud Eſaiam cap. 55. & Prouerbio. 30. Nihil ad Domini ſermonem adijcietis, inquit, ne mendaces reperiamini. Quod ſi quis ueſtrum auctoritatem ex Teſtamento nouo deſideret; legat primum caput epiſtolæ ad Galat. ſcriptæ. Si Angelus cæleſtis, inquit Paulus, uobis aliud Euangelium nunciet, quàm id, quod ac-*

cepiſtis, anathema ſit. Item Matth. 15. *Fruſtra me colitis, tradentes doctrinam ex hominum inſtitutis. omnis planta, quam pater meus cæleſtis non ſeuerit, euelletur, &c.*

Neſcio ò Anna, quem tot, & tantis auctoritatibus, uerbisque niteris reprobare, atque reſpuere. Si Romanam Eccleſiam, quam tu Papiſticam uocas; non parum mirari poſſum, cum aliunde Chriſti fideles nullum canonicum habeant librum, niſi ab ea ipſa Romana Eccleſia, quę omnia ſacra illa uolumina canonica fecit, eorumq; teſtimonium reddidit, & ut uera, certa à Deo tradita, nobis exhibuit, & fidem habuit, atque præſtitit: cuius auctoritate ab illis dempta, non canonica, ſed ſimplicia uolumina ea ipſa haberemus ſcripta, quibus nec fides habenda eſſet, neque à fidelibus, ipſa tanquam uera, retinenda eſſent. Non enim iſta ſacra uolumina ueteris, & noui Teſtamenti canonica appellantur, neque à Chriſti fidelibus tanquam diuina tenentur, quia illa à Prophetis, iſta ab Apoſtolis, nobis deſcripta eſſe dicuntur (alioquin, & Euangelium Thomæ, Bartholomei, & Nicodemi, ſimiliter & Pauli ad Laodicenſes epiſtola, cuius ipſemet Apoſtolus
Coloſſ. 4. ad Coloſſen. meminit, & id genus alia inter canonica reputarentur uolumina, cum etiam illa ab Apoſtolis pariter dicantur eſſe relicta) uerùm canonica nuncupantur, quia ab Eccleſia catholica ſunt acceptata, comprobata, atque corroborata, & ab ipſa omnibus nobis in Chriſto credentibus exhibita, tanquam à Deo data: quæ omnino à fidelibus ideo ſunt acceptanda, atque amplexanda: reliqua uerò etſi ab Apoſtolis, uel alijs ſanctis uiris dicantur eſſe tradita, prorſus
Inn. Pa. 1. tanquam apocrypha ſunt reſpuenda. Quod & Innocentius Pontifex Maximus, huius nominis primus, in ſua decretali epiſtola tertia, ad Exuperium Tholoſanum Epiſcopum ſcripta. cap. 7. confirmat, atque corroborat: ubi docet, quęnam uolumina tanquam canonica ſint amplexanda, & quæ renuenda dicens. Hęc ſunt ergo, quæ deſiderata moneri uoce uoluiſti. Moſis libri quinque, ideſt Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. necnon & Ieſu Naue, & Iudicum, & Regnorum libri quatuor, ſimul & Ruth. Prophetarum libri 16. Salomonis libri quinque. Pſalterium. Item hiſtoriarum Iob liber unus, Tobiæ unus, Heſter unus, Iudith unus, Machabęorum duo, Eſdrę duo, Paralipomenon duo. Item
noui

noui Teſtamenti Euangeliorum libri quatuor, Pauli Apoſtoli epiſtolę quatuordecim, epiſtolę Ioannis tres, epiſtolæ Petri duę, epiſtola Iudæ, epiſtola Iacobi, Actus Apoſtolorum, Apocalypſis Ioannis. Cetera autem, quę, uel ſub nomine Mathię, ſiue Iacobi minoris, uel ſub nomine Petri, & Ioannis, quæ à quodam Leutio ſcripta ſunt, uel ſub nomine Andreæ, quę à Nexocharide, & Leonide Philoſophis, & ſub nomine Thomę, & ſi qua ſunt alia, non ſolum repudianda, uerùm etiam noueris eſſe damnanda. Datum decimo Calen. Martij. Stilicone 2. & Antemio, uiris clariſsimis Coss. &c. Hoc idem, & diffuſe magis nos docuit Gelaſius primus, qui cum ſeptuaginta Epiſcopis librorum ueteris, & noui Teſtamenti ordinem digeſsit, quem ſancta, & catholica ſuſcipit, & ueneratur Eccleſia, qui eſt iſte. Geneſis liber unus. Exodi liber unus Leuitici liber unus. Numeri liber unus. Deuteronomij liber unus. Ieſu Naue liber unus. Iudicum liber unus. Ruth liber unus. Regnorum libri quatuor. Paralipomenon libri duo. Pſalmorum centum quinquaginta liber unus. Salomonis libri tres, Prouerbiorum, Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum. Item Sapientiæ liber unus. Eccleſiaſticus liber unus. Item ordo Prophetarum Eſaiæ liber unus. Hieremiæ liber unus. Cinoth, ideſt de lamentationibus ſuis, liber unus. Ezechielis liber unus. Danielis liber unus. Oſeæ liber unus. Amos liber unus. Micheę liber unus. Iohel liber unus. Abdiæ liber unus. Ionę liber unus. Naum liber unus. Abacuc liber unus. Sophonię liber unus. Aggęi liber unus. Zachariæ liber unus. Malachiæ liber unus. Item ordo hiſtoriarum Iob liber unus. Tobiæ liber unus. Eſdrę liber unus. Heſter liber unus. Iudith liber unus. Machabæorum liber unus. Item ordo ſcripturarum noui, & æterni teſtamenti. Euangeliorum libri quatuor. Secundum Matheum liber unus. Secundum Marcum liber unus. Secundum Lucam liber unus. Secundum Ioannem liber unus. Actuum Apoſtolorum liber unus. Epiſtolæ Pauli numero quatuordecim. Ad Romanos epiſtola una. Ad Corinthios epiſtolæ duæ. Ad Galatas epiſtola una. Ad Theſſalonicenſes epiſtolæ duæ. Ad Epheſios epiſtola una. Ad Philippenſes epiſtola una. Ad Coloſſenſes epiſtola una. Ad Timotheum epiſtolæ duæ. Ad Titum epiſtola una. Ad Philemonem epiſtola una. Ad Hebræos epiſtola una. Item Apo-

Gel. Pa. I.

calypſis Ioannis liber unus. Item canonicæ epiſtolæ numerò ſeptem. Iacobi Apoſtoli epiſtola una. Petri Apoſtoli epiſtolæ duæ. Ioannis Apoſtoli epiſtolæ tres. Iudę Zelotis Apoſtoli epiſtola una. Deinde idem Gelaſius cum alijs ſexaginta Epiſcopis libros mendoſos ſub Apoſtolorum, & aliorum ſanctorum nomine à peruerſis hominibus editos à nobis ſub cenſura uitandos, hoc modo deſcripſit. Quod & recitatur d. 15. c. Sancta Romana. ubi ſic legitur. Ceterum quæ ab hæreticis conſcripta, uel prædicta ſunt, nullatenus recipit catholica, & apoſtolica Eccleſia Romana. Quibus & pauca, quæ ad memoriam uenerunt, & catholicis uitanda ſunt; decreuimus eſſe ſubdenda. In primis Ariminenſem Synodum à Conſtantino Cæſare Conſtantini filio congregatam, mediante Tauro Præfecto, ex tunc, & in æternum confitemur eſſe damnatam. Item Itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur ſancti Clementis, lib. 8. apocryphus. Actus nomine Andreæ apocryphus. Actus nomine Philippi apocryphus. Actus nomine Petri apocryphus. Actus nomine Thomæ Apoſtoli apocryphus. Euangelia Thadei nomine apocryph. Euangelia nomine Thomę Apoſtoli, quibus Manichæi utuntur, apocryph. Euangelia nomine Barnabę Apoſtoli apocryph. Euangelia nomine Bartholomei apocryph. Euangelia nomine Andreæ Apoſtoli apocryph. Euangelia, quæ falſauit Lucianus, apocryph. Euangelia, quæ falſauit Hyricius apocryph. Liber de infantia Saluatoris apocryphus. Liber de natiuitate Saluatoris, & de ſancta Maria, & de obſtetrice Saluatoris apocryphus. Liber, qui appellatur Paſtoris, apocryphus. Libri omnes, quos fecit Lenticius diſcipulus diaboli, apoc. Liber, qui appellatur Fundamentum, apoc. Liber, qui appellatur Theſaurus, apoc. Liber, qui appellatur De filiabus Adæ, uel Geneſis, apoc. Liber, qui appellatur Penthametrum de Chriſto, Virgilianis compaginatum uerſibus apoc. Liber, qui appellatur Actus Thede, & Pauli, apoc. Liber, qui appellatur Lepotius, apo. Liber Prouerbiorum ab hęreticis tranſcriptus, & ſancti Xyſti nomine ſignatus, apoc. Reuelatio, quæ appellatur Pauli, apoc. Reuelatio, quę appellatur Thomę, apoc. Reuelatio, qui appellatur Stephani, apoc. Liber, qui appellatur Tranſitus ſanctę Mariæ, apoc. Liber, qui appellatur Pœnitentia Adæ, apoc. Liber, qui appellatur Diogenes nomine Gigantis, qui poſt diluuium cum dracone ab hęreticis

d. 15. c. San. Ro.

hæreticis pugnaſſe perhibetur, apocry. Liber, qui appellatur Teſtamentum Iob (aliàs eſt Iob) apoc. &c. Ecce quomodo Eccleſia Romana ſacra iſta uolumina, tanquam purum triticum à zizanijs, peſtifero hæreticorum dogmatum ſemine cōſeruauit intacta, atque inuiolata, hæc amplectendo, illa uero reprobando, ita ut nullam ſacram ualeamus uocare ſcripturam, niſi ab ea ipſa Romana Eccleſia perſpexerimus eſſe approbatam. Quapropter non minus diſerte, quàm uere, ac ſancte contra epiſtolam Manichæi, quam Fundamenti uocant. cap. 5. dicebat Auguſtinus. Ego uero Euangelio non crederem, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas. Quibus ergo obtemperaui dicentibus, Credite Euangelio; cur eis non obtemperem dicentibus, Noli credere Manichæo? Neque omnia illa ſacra uolumina ab Eccleſia inter canonica fuerunt inſimul connumerata, ſed diuerſis temporibus canonicis libris fuerunt aſcripta. Nam primo ab Apoſtolis (uti in eorum habetur canonibus) infraſcripti libri tanquam canonici ſunt amplexati, atque Eccleſiæ traditi, ubi canone ultimo ſic legitur. Sunt omnibus uobis clericis ſimul, & laicis uenerandi, ac ſacri libri, ueteris quidem Teſtamenti, Moſis quinque, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Iæſu filij Naue unus. Iudicum unus. Ruth unus. Regnorum quatuor. Derelictorum ex libro dierum duo. Heſter unus. De Machabæorum geſtis tres. Iob unus. Pſalterium unus. Salomonis tres, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum. Prophetarum duodecim unus. Eſaiæ unus. Hieremiæ unus. Ezechiel unus. Daniel unus. Inquiritor autem à uobis extrinſecus, ut adoleſcentes ueſtri addiſcant. Item ſapientiam eruditi Syrach. Noſtra uero, hoc eſt noui Teſtamenti, Euangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis. Pauli epiſtolæ quatuordecim. Petri epiſtolæ duæ. Ioannis tres. Iacobi una. Iudæ una. Clementis epiſtolæ duæ, & præceptiones, quæ uobis Epiſcopis per me Clementem in libris octo nuncupatæ ſunt: quas omnibus publicare non oportet, ob quædam arcana, quæ in ſe continent, & actiones noſtras Apoſtolorum. Sed quia de Apoſtolorum canonibus certarunt Theologi, utrum eſſent canonici, nec ne, ita quòd Gratianus diſt. 16. uarie, & lubrice diuerſas ſuper hac re proferens ſententias, quaſi more Academico nil certe ſtatuerit, quia quidam ex integro

Auguſt.

Canon. Apoſt.

Grat. diſt. 16.

Isido. tegro omnes tanquam apocryphos reiecerant; alij, ut Isido-
Leo Pa. rus, primus inter latinos Conciliorum collector, & Leo Papa, huius nominis nonus, in epistola ad Michaelem Patriarcham, contra Niceti Abbatis epistolam, quinquaginta tantum rece-
Zephy. Pa. perant; alij uero, ut Zephyrinus Papa in epistola ad Episcopos, per Siciliam constitutos, sexaginta admiserant; ideo de huiuscemodi scripturarum canonizatione, uerbum proferre non auderem, nisi omnia illa sub illis Apostolicis canonibus con-
Con. 6. tenta, ab uniuersali sexta synodo, in Trullo, hoc est in Secretario Imperatorij palatij Constantinopolitani sic nominato, celebrata, cano. 2. tanquàm canonica fuissent acceptata, atque probata. Quæ etiam à nonnullis, particularibus tamen, præcedentibus Concilijs, illa ipsa cum ceteris scripturis, quæ nunc in sacris illis continentur uoluminibus, fuerant, diuersis in temporibus, omnibus Christi fidelibus, tanquam canonica exhibita, & tandem à suprascripta uniuersali Synodo sexta, præsente Costantino Imperatore, huius nominis quinto corroborata, Quæ quidem sexta generalis Synodus à Dono Papa fuerat conuocata, ab Agathone cœpta, & à Leone huius nominis secundo, finita, & per ipsum eiusdem Synodi acta
Concil. Laod. probata. Nam ante hanc Synodum in Concilio Laodicensi per illam pariter confirmato, in fine Liberij Papæ, uel secundum aliquos, in principio Damasi, huius nominis primi, celebrato, cap. 59. hæc inter canonica recepta sunt uolumina, quæ sub his continentur uerbis, ibidem descriptis. Non oportet ab idiotis Psalmos compositos, & uulgares in Ecclesiis dici, neque libros, qui sunt extra canonem, legere, nisi solos canonicos noui, & ueteris Testamenti. Quæ autem oporteat legi, & in auctoritatem recipi, hæc sunt. Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Naue, Iudicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon lib. 2. Esdræ, liber Psalmorum, numero 150. Prouerbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Iob, Hester. Duodecim Prophetarum libri, idest Oseæ, & Amos, Iohel, Abdias, Ionas, Michæas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Noui Testamenti, idest Euangelium secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem, Actus Apostolorum, Canonicæ epistolæ 7. Iacobi una, Petri. 2. Ioannis. 3. Iudæ 1. episto-

læ Pauli Apoſtoli numero quatuordecim, ad Romanos, ad Corinth. 2. ad Galat. ad Epheſios, ad Philippenſes una, ad Coloſſenſes una, ad Theſſalonicenſes 2. ad Timotheum. 2. ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Deinde Synodus. 3. Carthaginenſis, cui interfuit, & ſubſcripſit. D. Auguſtinus, pari modo, ab illa ipſa Synodo ſexta in Trullo celebrata, confirmata, ſupra dictis ſanctis canonicis libris, uti 47. habetur capitulo, Tobiam, Iudith, Sapientiam, Eccleſiaſticum, duos Machabæorũ libros, & Ioannis Apocalypſim aſcripſit. Quos & Auguſtinus cum reliquis omnibus ſuperius aſsignatis in li. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 8. recenſet, Quorum omnium & ſacrum uniuerſale Concilium, Florentiæ celebratum, decreto ſeptimo, mentionem pariter facit, eaq; nobis Deo auctore fuiſſe tradita atteſtatur, Quibus credere, & fidem habere, illosq; non improbare, omnibus Chriſti fidelibus, Catholica mandat Eccleſia. Hinc Auguſt. ad Fortunatum, epiſtola 3. Scripturas canonicas, hoc eſt Teſtamenti ueteris, & noui, habere debemus, ut nobis non liceat, ſalua honorificentia, quæ illis debetur, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, Et Origenes in Matth. cap. 24. Nullis ſcripturis ita credendum eſt, ſicut canonicis, hoc eſt Biblicis, & ratio eſt, quia in ipſis contrarium ueritati nil poteſt inueniri. Quod oſtendit, & fatetur Auguſt. ad Hieronymum, epiſtola 19. dicens. Ego enim fateor charitati tuæ, ſolis pijs ſcripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe, firmiſsime credam, At ſi in eis offendero literis, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud, quàm uel mendoſum eſſe codicem, uel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt, uel me minime intellexiſſe, non ambigam. Ideo dicebat idem Auguſt. contra Donatiſtas li. 2. cap. 3. Quis autem neſciat, ſanctam ſcripturam canonicam, tam ueteris, quam noui Teſtamenti, certis ſuis terminis contineri, eamq; omnibus poſterioribus epiſcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari, & diſceptari non poſsit, utrum uerum, uel utrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit. Fuerunt autem nonnulli, qui ipſis canonicis libris detrahere ſunt conati: inter quos primus fuit Simon ille Magus, cui Apoſtolus Petrus in Actis Apoſtolicis maledixit,

3. Con. Carth. ca. 47.

Auguſt.

Con. Flo.

Auguſt.

Origen.

Auguſt.

Auguſt.

pro

pro eo quòd ab Apostolis gratiam Spiritus sancti emere cupie-
Eufeb. bat: qui, ut ait Eusebius in secundo lib. Histo. Eccl. & totius
prauitatis caput, & omnis hæresis principium fuit. Dicebat
enim, nil à Deo esse creatum, sed à superna quadã uirtute cun-
Gen. 1. cta esse producta, cõtra illud, quod habetur Gen. 1. In principio
creauit Deus cælum, & terram, deinde cuncta, quæ in eis sunt,
ut ibidẽ sigillatim omnia sunt descripta. Qua de re etiam Pro-
Ps. 145. pheta in Psalmo. 145. aiebat, Deus fecit cælum, & terram, &
omnia, quæ in eis sunt. Insuper idem Simon contra Christum
nonnullas protulit blasphemias, nouum Testamentum lace-
rando, Christum nec uenisse, neque à Iudæis quicquam pas-
Igna. sum fuisse asseuerando. Quapropter dicebat Ignatius Ioannis
Euangelistæ discipulus ad Trallia: Fugite malas soboles Dia-
boli, Simonem dico primogenitum generis ipsius. Fuit etiam
Hiero. Basilides, de quo ait D. Hiero. 2. lib. contra Iouinianum, il-
lum luxuriæ, & turpissimorum amplexuum magistrum fuis-
se, qui non solum Christum passum abnegauit, uerum & sub
nomine Thomæ, & Mathiæ, & aliorum Apostolorum, sacris
Euangelijs derogando, multa conscripsit dogmata falsa, de
Ambr. quo testatur Ambr. super præfati: D. Lucæ dicens. Nam sicut
multi in Iudæorum populo diuino infusi spiritu propheta-
runt, alij autem Pseudoprophetæ erant, potius quàm Prophe-
tæ; sic & nunc in nouo Testamento multi Euangelia scribere
conati sunt, quæ boni nummularij non probarunt. Et aliud
quidem fertur Euangelium, quod duodecim scripsisse dicun-
tur. Ausus est etiam Basilides Euangelium scribere, fertur
aliud secundum Thomam, & aliud secundum Mathiam. Et
Igna. ideo dicebat Ignatius pariter de illo ad Trallianos. Fugite
Basilidem, & totam collectionem indignationis ipsius. Dein-
de post istos secuti sunt quamplurimi alij his duobus non de-
teriores, & primo Gnostici, quorum Patriarcha, secundum
Hiero. Hieron. in de uiris illustribus, fuerat ipse Basilides. Qui ne à
magistri doctrina discreparent, multis contra sacras literas
Basilidis erroribus se dederunt. Quorum superstitionem am-
plexatus est & Carpocrates, à quo Carpocratitæ, siue Carpo-
cratiani originem duxerunt: qui inter alia nefandissima, quæ
docebant dogmata, hoc unum erat, quòd resurrectionem cor-
Glos. porum insimul cum lege ueteri reijciebant. unde Glo. in 13.
Leuit. In corpore lepram gerit, qui Ecclesiæ detrahit, sicut
Carpo-

Carpocratiani, qui negant reſurrectionem carnis, negant mundum à Deo factum, ſed neſcio à quibus ſpiritibus mundum factum eſſe. Cherintus autem ueritatis inimicus, ut refert Philaſter in ſuo libro de hæreſibus, Euangelio Matthæi excepto, reliqua tria cum Actis reſpuebat Apoſtolicis. Ebion quoque, ut recitat Irenæus lib. 1. aduerſus hæreſes, cap. 26. Matthæi tantum ſcripta recipiebat, & Pauli epiſtolas prorſus reiiciebat. Cerdoniani uero, ſic a quodam Cerdone mago, hęreticoq; nuncupati, inter alias hæreſes reſurrectionem mortuorum pariter negabant, & uetus Teſtamentum, ſecundum Auguſt. in lib. de hæreſibus. cap. 26. reſpuebant, & inter Euangeliſtas Lucam ſolum acceptabant, ut teſtatur Tertul. in li. de hęreſibus. De quorum Patriarcha ſermonem faciens Irenæus in 3. li. aduerſus hæreſes ſic ait. Cerdo à ſectatoribus Simonis impietatis ſuæ occaſionibus ſumptis, Romã uenit ſub Igino: ibi docuit, quod is, qui à lege, & prophetis prædicatus eſt Deus, non eſſe poteſt ipſe pater Domini noſtri Iæſu Chriſti: quia ille quidem notus eſt, hic autem ignotus eſt, ille iuſtus, hic autem bonus. Huic autem Marcion ſuccedens Ponticus, abſque ulla blaſphemans reuerentia, auctoris auxit inſaniam, de quo & Hieron. in Prologo ad Titum ſic loquitur. Marcionem loquor, & Baſilidem, qui uetus laniant Teſtamentum. Tamen eos ex parte aliqua ferremus, ſi ſaltem in nouo continerent manus, & non auderent Chriſti Euangeliſtas, & Apoſtolos uiolare: nunc uero & Euangelia eius diſsipauerunt, & Apoſtolorum epiſtolas ſuas fecerunt, & de ceteris epiſtolis, quicquid conttarium ſuo dogmati uiderent, eraſerunt, & epiſtolas ad Timoth. ad Hebræos, & ad Titum, repudiandas crediderunt. Apelles autem, à quo Apellitæ, uel Apellanonitæ, ſecundum Cyprianum, originem traxerunt, duos introduxit Deos, ut ait Auguſt. in lib. de hæreſibus: quorum unum principium eſſe dicebat, & ab illo factum alterum, qui cum malignus in ſua natiuitate fuiſſet inuentus, inquit ille, mundum fecit. Is enim aduerſus libros Moyſi quàm plurima conſcripſit impia, & contra totam legem diuerſas protulit blaſphemias, qui & Chriſtum in ueritate Deum eſſe negabat, & ipſum hominem in phantaſia apparuiſſe affirmabat, eumq; reſurgentem ſine carne in cælum aſcendiſſe aſſerebat, omnibus ſcripturis ex diametro prorſus contradicendo. Inſurrexerunt poſtea etiam Seueriani,

Philaſt.
Iren.
Auguſt.
Tertul.
Iren.
Hieron.
Cyprian.
Auguſt.

riani, ita à quodam Seuero nuncupati: qui uetus Teſtamentum, & carnis reſurrectionem non ſuſcipiebant, ut refert Auguſt. in libro de hæreſibus, cap.24. Fuit pariter, & alius nomine Seuerus, de quo Ioannes Damaſc. in 3. cap.3. ſic ait. Seuerus, & Dioſcorus, & eorum ſcelerata cohors, &c. à quo quidã Seuero nonnulli alij & Seueriani ſunt appellati, qui lege, & prophetis, & Euangeliis, utebantur quidem, ſed illa ipſa ſua propria interpretatione peruertebant: & epiſtolas Pauli, eidem obtrectando, cum Actis Apoſtolicis, ut habetur quarto lib. Eccl. Hiſt. cap.36. refutabant. Fuerunt deinde alij Alogiani, ſiue Alogi, ſic nuncupati, tanquam ſine uerbo, logos enim græce, latine ſermo, ſiue uerbum dicitur: qui Deum Verbum non credebant, contra illud Ioannis. In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Quapropter ne aliquid contra ipſorum ſententiam, & temeritatem, in ſacris reperiretur literis; Ioannis Euangelium cum ipſius Apocalypſi ex toto negarunt. Alij uero ſecuti ſunt, Elcheſeitę, uel ſecundum Epiphanium Helceſæi appellati: de quibus pariter loquens Auguſt. ait. Helceſæos, & Sampſæos à quodam pſeudopropheta eſſe deceptos, qui uocabatur Elci, ex cuius genere duas mulieres, tanquam Deas, ab eis perhibet adoratas. Hi enim ueteris, & noui Teſtamenti, ad beneplacitum eorum, partem refutant, & partem acceptant, & Apoſtolum Paulum ex integro reſpuunt. Inſurrexerunt demum & Manichæi à Manichæo, uel Manates, phantaſmatum ſomniatores, à Manete, ſecundum Hieron. originem trahentes: de quibus ait Auguſtin. pariter in de hæreſibus. Manichæi à quodam Perſa extiterunt, qui uocabatur Manin, quamuis & ipſum cum eius inſana doctrina cœpiſſet nomen prædicari. Nam ante hac Vrbicus vocabatur, ſed in Græcia diſcipuli eius, vitantes nomen inſaniæ, quaſi doctiores, & eo ipſo mendaciores, geminata n litera Mannichæum quaſi manna fundentem, pro Manichæo, id eſt inſano appellauerunt. Hi enim coniugium deteſtantur, & animas ex Deo, quaſi ex aliquo fonte aſſerunt manare, liberum negant arbitrium, hoc ipſum dicentes ad ſalutem iuuare non poſſe, & omnium malorum malum unum ponunt ſummum eſſe principium, omniaq; corporea à Deo tenebrarum eſſe creata. & ut hæc, & id genus alia forent credibilia, totum reiiciebant uetus Teſtamentum. Inſuper Deum quan-

Auguſt. Damaſ. Hiſt. eccl. Ioan. 1. Epiph. Auguſt. Hieron. Auguſt.

quandam lucem esse corpoream, animasq; nostras partem illius lucis, & corporibus nostris alligatas esse, affirmant. Dæmones naturaliter malos tenent, & Christum ex femineo sexu natum esse habent per impossibile, quod est nouum Testamentum destruere, fidemq; nostram nihilipendere. Post istos, etiam Albanenses apparuerunt, qui primam Catharorum sectam secuti sunt, non multum, ut ait Anton. 4. parte Sum. ti. 11. cap. 7. ab erroribus Cozorensium, & Baiolensium, originem pariter ab alijs Catharorum sectis trahentium discrepantes. Qui & duo ponebant principia, quorum vnum penitus bonum esse dicebant, & Deum nil creasse, Adamq; ex Deo non esse affirmabant, ex consequenti vetus Testamentum negare debebant, quod & faciebant dicentes. Vetus Testamentum à Deo non esse uero, & Moysen malum fuisse hominem. Item ante Christum neminem fuisse bonum, & Christum non esse Deum, nec carnem sumpsisse ex Virgine, sed de cælo secum duxisse asserebant. Et ipsum verum hominem fuisse, & uere comedisse, & in cruce passum, & mortuum fuisse, & ad cælos ascendisse respuebant, & corporum resurrectionem negabant, totum noui Testamenti, & totius nostræ fidei fundamentum lacerantes, atque destruentes. Vltimate hac nostra tempestate insurrexerunt & nonnulli alij, quorum præcipuus fuit Lutherus, qui ne in sacris literis quicquam aduersus suorum dogmatum pertinaciam usquam reperirent, Machabæorum libros, & Iacobi epistolam, aliaq; sacra scripta nonnulla, Dei timore prætermisso, respuere non sunt veriti. Nam cum eorum quintus Euangelista Martinus, defunctorum suffragia renuere doceret, & in secundo Machabæorum libro, oppositum constare cerneret; omnes ideo Machabæorum libros suis contradicentes peruersitatibus, tanquam apocryphos, ex toto reiecit, atque refutauit. cuius nequitiam & tu ipse ò Anna, tui ipsius immemor es imitatus, vti inferius, cum de ipsis mortuorum suffragijs sermonem habebimus, manifestabitur. Similiter cum hominem sola fide iustificari, illamq; solã satis esse ad salutem consequendam, affirmaret Lutherus; & alia ex parte Apostolum Iacobum cap. 2. suæ epistolæ, uideret dicentem, fidẽ absq; operibus mortuã esse; illam sanctã pariter epistolam, tanquã apocrypham à suo quinto voluit abiicere Euangelio, illã straminiam nuncupando: &, quod peius est, totum ferè

Anto. Flo.

2. Mach. 12.

Iacobi. 2.

nouum ſalutis noſtræ Teſtamentum omnibus ſuis uiribus conatus eſt ſubuertere, ita ut Hieronymus uir eruditus, cognomine Emſer, ſexcenta illinc, & ſeptem collegerit loca per hũc ipſum Lutherum deprauata. Quod deinde, proh dolor, multis eiuſdem Martini diſcipulis, Zuinglio præcipue, & Caroloſtadio, Oecolampadio, Bucero, Brentio, Caluino, atque Philippo, nec non & alijs huius generis numero infinitis, ſanctas peruertendi ſcripturas, uiam præbuit, atq; aperuit. Qui ideo non paucas ſacrorum, tam ueteris, q̃ noui Teſtamenti, uoluminũ deprauarunt partes, quorum deprauationes ſpecialiter deſcribere nimis in longum eſſet tempus trahere, uti ex illorum ſcriptis quilibet poteſt iudicare. Iſti fuerunt, & alij tui ſimiles o Anna quàm plurimi, & non Eccleſia Romana, qui ſacris illis uoluminibus, dettahere ſunt conati. De quibus bene ait Glo. quam citat & Aquinas ſuper 3. epiſtolæ. 2. Petri. Nullus ueteris Teſtamenti, uel noui liber eſt, in quo hæretici aliquid non peruerterunt, uel diminuendo, uel addendo, uel mutando, ad ſuam ipſorum perditionem, ideſt damnationem, quos omnes ipſa catholica Romana Eccleſia propterea ſemper damnauit, & ſacra ipſa uolumina incontaminata de manibus illorũ præſeruauit, & huc uſq; ſine additione, uel detractione inuiolata conſeruauit. Nonnulla tamen ad illorum enucleationẽ, iuxta illud Eccl. 24. Qui elucidant me, uitam æternam habebunt, eis appoſuit, & alia fidei noſtræ neceſſaria, in ipſis explicite non contenta explicauit, nobiſq́; ad credendum, ac obſeruandum illa tradidit. quod omnino & facere debuit, uti ex ſubſequentibus tribus præcipue prioribus articulis, uidere quis poterit: ubi & quomodo auctoritates à Burgenſi citatæ, ſint intelligendæ, explicabitur.

Hieron. Emſer.

Glo. Aquinas.

Eccl. 24.

De interpretatione ſcripturarum. Artic. II.

QVAMVIS ſacra illa ueteris, ac noui Teſtamenti uolumina, certa, uera, fideiq; in ſeipſis indubiæ ſint, & omni ex parte fulgentia, atq; ita perfecta, ꝙ eorum nulli à nobis quicquam addere, uel ab ipſis detrahere opus ſit; attamen cum reſpectu noſtri, non paruæ in eis reperiantur difficultates, atq; obſcuritates, à ſanctis, & doctiſsimis uiris, uel ex illorũ explicationibus, ſunt alijs minus intelligentibus aperiẽda, atq; interpretanda.

pretanda. Et ne alicui hoc uideatur quid nouum, legat Philoſophum in 1. Phy. docentem, aliud notius, & certius eſſe ſecundum ſe, & aliud quo ad nos: quod autem in ſe eſt notius, à nobis non poteſt percipi, niſi mediante aliquo nobis magis noto id interpretatum fuerit. Ideo ibidem ait Philoſophus, innatam nobis eſſe uiam ex notioribus nobis, & certioribus ad certiora naturæ, & notiora. Nam & canonicas literas in ſeipſis lucidas, ueras, certasq; eſſe non dubitamus, tamen à nobis non ſatis intellectas: quod aperte inſinuat. D. Hieronymus, qui poſt tot uigilias, labores, ſudores, & iam à diuerſis inſtructus magiſtris non erubuit queſtione 8. ad Algaſiam, quæ uerſat unum Pauli locum, hanc ſcripturarum obſcuritatem confiteri dicens. Totus, inquit, hic Apoſtoli locus & in ſuperioribus, & in conſequentibus, immo omnis epiſtola eius ad Romanos, nimis obſcuritatibus inuoluta eſt. Item ad Paulinum, de inſtitutione monachi. Audi ergo mi conſerue amice, germane, auſculta pauliſper, quo in ſcripturis ſanctis calle gradiaris. Totum, quod legimus in diuinis libris nitet quidem, ac fulget, etiam in cortice, ſed dulcius in medulla eſt. Qui edere uult nucleum, frangat nucem. Reuela, inquit Dauid, oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Si tantus Propheta tenebras ignorantię confitetur, quas nos putas paruulos, & penè lactentes inſcitiæ nocte circundari? Hoc autem uelamen non ſolum in facie Moyſi, ſed & in Euangelijs, & in Apoſtolis poſitum eſt. Turbis Saluator in parabolis loquebatur, & conteſtans myſticum eſſe, quod dicebatur, aiebat. Qui habet aures audiendi audiat. Niſi aperta fuerint uniuerſa, quæ ſcripta ſunt ab eo, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit; nullo alio reſerante pandentur, ſi haberes hoc fundamentum, immo ſi quaſi extra manus operi tuo induceretur, nihil pulchrius, nihil doctius, nihil dulcius, nihilque latinius tuis haberemus uoluminibus. Item in epiſtola de ſtudio diuinæ ſcripturæ ad eundem Paulinum ſcripta. Hæc à me breuiter perſtricta ſunt, ut intelligeres in ſcripturis ſanctis ſine præuio, & monſtrante ſemitam, non poſſe ingredi. Et Augu. de doct. Chriſtia. lib. 3. cap. 26. oſtendit, quòd obſcura ſcripturæ locis apertioribus. explicantur, dicens. Vbi autem apertius ponuntur, ibi diſcendum eſt, quomodo in locis intelligantur obſcuris. Item in epi-

ſtola

1. Phyſic. tex. 2.

Hierony.

Auguſti.

stola ad Volusianum. 2. Sancta, inquit, scriptura omnibus accessibilis est, quamuis paucissimis penetrabilis. Hoc docebat, atque indicabat & Apostolus Petrus in secunda epistola,
2. Petri. 3. cap. 3. dicens. Sicut & charissimus frater noster Paulus. Secundum datam sibi sapientiam scripsit nobis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, &c. Et non tantum Pauli epistolæ, uerum & omnes scripturæ, ad nostrum intellectum, obscuritatem patiuntut, ita quòd absque interprete illarum corticem, uix labijs attingere possumus, uti ex diuersis ipsarum scripturarum locis, uidere est facile. Nam Iudæis legis scripturas non intelligentibus, congregati sunt principes familiarum
Nehe. 8. uniuersi populi, Sacerdotes, & Leuitæ ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis uerba legis. Item & Leuitæ interpretan-
Luc. 24. tes uniuerso populo. Et Christus discipulis in castellum Emaus euntibus, incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur in omnibus scripturis, quæ de ipso erant, &c. Deinde ad inuicem dixerunt Discipuli. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia, & aperiret nobis scripturas? Item dum essent undecim cum alijs in Hierusalem congregati, & in medio ipsorum stetisset Iesus, dixit ad eos. Hæc sunt uerba, quæ locutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc ape-
Ioann. 2. ruit illis sensum, ut intelligerent scipturas. Et apud Ioannem. 2. Cum Iudæis dixisset Iesus, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; nec Iudæi, nec ipsius Discipuli, tunc intellexerunt: sed cum resurrexisset à mortuis, recordati sunt Discipuli eius, quia hoc dicebat de corpore suo, & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus. super quibus uerbis, ait
Alcuin. Alcuinus. Ante resurrectionem Discipuli non intelligebant scripturas, quia nondum acceperant Spiritum sanctum: sed in die resurrectionis apparens Dominus aperuit Discipulis sensum, ut intelligerent, quæ de ipso scripta erant in lege, & prophetis, & tunc crediderunt scripturæ Prophetarum, qui prædixerunt Christum tertia die resurrecturum, & sermoni, quem dixit Iesus, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo
Ioann. 3. illud. Item inferius. 3. cum Nicodemus non intelligeret ea, quæ Christus ei de natiuitate spirituali dicebat; eum increpabat

bat dicens. Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? q. d. Ad magiſtros, & legis doctores ſpectat, ſcripturas ceteris interpretari, atque explanare, & tu, cum unus iſtorum ſis, hæc ignoras; quid de rudioribus dicendum erit? qui à magiſtris in his, & alijs ſcripturarum locis inſtrui debent. Ideo Chriſtus, ut ait Chryſoſtomus, Nicodemum de ſua ignorantia, ruditate, & inſipientia arguebat, dicens. Tu es magiſter in Iſrael, & hęc ignoras? Verum, dicet aliquis, quid commune habet hęc natiuitas, de qua ſcilicet Chriſtus locutus eſt, ad Iudaica dogmata? Reſpondit idem Chryſoſt. Habet quidem commune. Nam qui primus homo factus eſt, & quę de coſta facta eſt mulier, & quæ ſteriles genuerunt, & quæ per aquam miracula perfecta ſunt; dico autem, quòd Hęliſeus de aqua ferrum eduxit, & quòd Iudæi mare rubrum tranſierunt, & quòd Naaman Syrus in Iordane purgatus eſt; hęc omnia natiuitatem ſpiritualem, & purgamentum in ea futurum figuraliter perſonabant, & ea, quæ à Prophetis ſunt dicta, occulte oſtendunt hunc natiuitatis modum, utputa illud. Renouabitur, ut Aquilæ, iuuentus mea. &, Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Sed & Iſaac figura huius natiuitatis erat. Hæc igitur rememorans dixit. Tu es magiſter in Iſrael, & hęc ignoras? Si ignorabat Nicodemus ſcripturas; ergo interprete indigebat, qui hæc ipſa illi explanaſſet. Interpres autem ipſius Chriſtus fuit, qui eum in omnibus ex integro inſtruxit. Item Ioan. 12. Cum audiſſent, quia uenit Ięſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant? Oſanna benedictus, qui uenit in nomine Domini, Rex Iſrael, & inuenit Ięſus aſellum, & ſedit ſuper eum, ſicut ſcriptum eſt. Noli timere filia Syon, ecce Rex tuus uenit ſedens ſuper pullum Aſinę. Hęc non cognouerunt Diſcipuli eius primum, ſed quando glorificatus eſt Ięſus, tunc recordati ſunt: quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerant ei. Ecce quòd non omnibus datum eſt ſacras intelligere ſcripturas, ſed ad ipſarum perceptionem omnes interprete opus habent. Nec mirum. Nam ſcripturarum interpretatio ſpeciale donum eſt Spiritus ſancti, quod oſtendit Apoſtolus ad Cor. 12. primę dicens. Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus, ad utilitatem. Alij quidem datur ſermo ſapientię; alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alij gratia ſanitatum in uno Spiritu,

Chryſoſt.

Chryſoſt.

Ioan. 12.

1. Cor. 12.

ſpiritu, alij operatio uirtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij gratia linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hęc autem omnia operatur unus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis, pro ut uult. Quapropter qui interpretationis donum appetit; oret ad Dominum, ut accipiat. Sic docet & Apo-
1. cor. 14. ſtolus ad Cor. 14. primæ. Qui loquitur lingua, oret, ut inter-
Coloſſ. 4. pretetur. & hoc iuxta illud ad Coloſſ. 4. Orantes, ut Deus aperiat oſtium, id eſt intelligentiam ſcripturarum, ut alijs poſsit interpretari, ad Eccleſię ædificationem, iuxta illud Apoſtoli.
1. cor. 14. Cum conuenitis, unuſquiſque ueſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſin habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Et inter iſta Spiritus ſancti dona non infimum interpretatio tenet locum.
1. cor. 14. quod inſinuat Apoſtolus dicens. Volo autem uos omnes loqui linguis, magis autem prophetare: nam maior eſt, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, niſi forte interpretetur, ut Ec-
Chryſoſt. cleſia ædificationem accipiat. De quibus loquens Ioan. Chryſoſto. in pſal. 115. in illorum laudem hanc protulit ſententiam. Quemadmodum apiculæ leuibus pennis arborum, & herbarum floribus inſident, latentemq; in floſculis liquorculum innocua deprędatione auehunt, ut tandem dulciſsimos mellis fauos nido confectos hominibus præſtent; ita Eccleſiæ Doctores ſuper amœna, uernantiaq; ſcripturarum uiridaria leui mentis ala reſidentes, & inſitæ literæ ſuccum Spiritus ſancti haurientes, ſoliciti ſunt, ut dulciſsimum mel fidei auditorum cordibus placide inſtillent. Interpretatio itaque ſcripturarum ſincera, utilis, & neceſſaria eſt in Dei Eccleſia: quapropter multi, & ſancti, ac docti uiri, multos alios pro tali ſcripturarum interpretatione aſſequenda, acceſſerunt. Nam Paulus Doctor gentium gloriabatur, ad pedes Gamalielis legem Do-
Actu. 22. mini, & Prophetas audiſſe. Et Clemens ille Apoſtolorum principis dilectus, Petrum ipſum, & Polycarpus, cuius diſcipulus fuit Irenæus Lugdunenſium Epiſcopus, Ioannem, præceptores habuerunt. Et Origenes ille ingenio acutiſsimus Clementi Alexandrino, qui Panthæni martyris ſcholam pariter ſectatus fuerat, ſe diſcipulum dedit. Gregorius autem Nazianzenus, &
Hiſt. Eccleſia. Baſilius Magnus, ut habet Hiſtoria Eccleſiaſti. lib. 11. cap. 9. per annos 13. Omnibus Græcorum ſecularium libris remotis, ſolis diuinæ ſcripturæ uoluminibus operam dederunt, earumq;
intelli-

intelligentiam non ex propria præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis, & auctoritate ſequuti ſunt, quos & ipſos ex Apoſtolica ſucceſsione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat. Quorum præcipue in Prophetas commentarios diſcutientes, theſauros ſapientię, & ſcientię reconditos in uaſis fictilibus perquirebant. Quid Gregorius Nyſſænus Epiſcopus? An non & ipſe paſsim in his, quæ ſcripſit, Baſilio fratre ſuo magiſtro, & interprete, ſacras ſcripturas ſe intellexiſſe fatetur? Et Hieronymus in omnibus linguis peritiſsimus, nonne & ipſe Didymum, & Gregorium Nazianzenum in ſacris literis ſibi præceptores aſſumpſit? quorum alterum ſuum uocat uidentem, & altero interprete ſacras ſe literas didiciſſe gloriatur? Et Chryſoſt. Euſebij Emiſſeni diſcipulus fuit. Cyprianus uerò Tertulliani commentaria tam aſsidue legit, ut nullum prętermiſerit diem, quo ex eis aliquid non hauſerit. quod & Theophilactus circa Chryſoſt. ſcripta obſeruauit. Nonne & Auguſt. Ambroſium ſacras literas interpretantem, quàm diligentiſsime auſcultauit? & Martinus Hilarium Pictauienſem in ſuum præceptorem habuit? Sed ad quid tam in longum hũc protraho ſermonem? Cũ ſciamus, neminem abſque interprete, uel ſancti Spiritus infuſione ſacras intellexiſſe ſcripturas. Si quis ergo ſacrarum literarum intelligentiam cupit; oret, ut intelligat: quia, ut ait Iob. 32. Inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam. & illarum Iob. 32.
accedat interpretes, non autem quoſlibet. quoniam, ut habet Clemens ex Apoſtolo Petro lib. 10. recognitionum, cum Clemens.
multa ſint uerba in ſcripturis diuinis, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi unusquiſque ſponte præſumpſit, quod fieri non oportet; multi fuerunt, & ſunt, qui ipſas ſcripturas in ſui, & aliorum perditionem, detorquent; de quibus dicebat Apoſtolus in ſecunda cap. 3. Sicut & chariſsimus frater 2. Pet. 3.
noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam, ſcripſit uobis: ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quędam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & ceteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Et tales fuerunt Arrius, Nouatus, Manichæus, Donatus, Pelagius, Neſtorius, Appollinaris, Vuicleffus, Ioan. Hus & Lutherus, & alij ſimiles quàm plurimi, qui ſacras ſcripturas, ut in ſui erroris teſtimonium illas traherent, pro libito ſuo ſunt interpretati. Vnde ait Gloſa ſuper uerbis Petri ſu- Gloſa.

perius immediate aſsignatis. Nullus ueteris Teſtamenti, uel noui liber eſt, in quo hęretici aliquid non peruerterunt, uel diminuendo, uel addendo, uel mutando. Et hoc non ſolum in præſenti, uerum & in futuro ſeculo ad ipſorum erit perditionem: in præſenti, quia à militante; in futuro, à triumphante præſcinduntur Eccleſia. Nonnulli autem ſunt, qui tales etſi non habent, habere autem cupiunt, ut eorum poſſint uiuere modo, de quibus bene prædixit Apoſtolus ad Ti-
2. Tim. 4. mo. 4. ſecundæ. Erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu uero uigila. Et quia, ut ait
Gregor. Gregorius, minus feriunt iacula, quæ præuidentur; & nos tolerabilius mundi mala ſuſcipimus, ſi contra communimur; ideo Apoſtolus Petrus loco, ut ſupra, ut talium interpretationes, & doctrinas deuitare poſsimus, hanc pulcherrimam
2. Pet. 3. nobis tradit doctrinam. Vos igitur fratres præſcientes, cuſtodite, ne inſipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate: creſcite uero in gratia, & in cognitione Domini noſtri, & Saluatoris Iæſu Chriſti. Ad quos autem, aſſeret quiſpiam, pro ſcripturarum interpretatione conſequen-
Auguſt. da eſt accedendum? Ait Auguſtin. lib. 1. cap. 1. de moribus Eccleſiæ ſacræ ſcripturæ expoſitionem petendam eſſe ab his, qui eius Doctores eſſe profitentur. Iſti enim ueram ſcripturarum habent intelligentiam: quia non ex ſeipſis totaliter, ſed
2. Pet. 1. ex Spiritu ſancto locuti ſunt. quod teſtatur Apoſtolus Petrus in ſecunda ſua canonica, cap. primo, dicens. Omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit. Non enim uoluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt, ſancti Dei homines. Quod pro-
Gregor. fecto non facit hæreticus: qui, uti ait & Gregorius ſuper Ezechielem, in expoſitione ſancti eloquij, ut auditoribus
Anác. Pa. placeat, aliquid fingit, non Dei uerba loquitur, ſed ſua. Ideo ait Anacletus Papa in epiſtola omnibus Eccleſijs ſcripta. Iuſtum eſt omnes in uniuerſo Romanorum orbe Doctores legis ea, quę legis ſunt, recta ſapere, & operari, & non regulas naſcentis Eccleſiæ confundere, aut fidem, ac doctrinam Apoſtolorum, uarijs maculare doctrinis, nec fratres infeſtare, &c. Sed ſi inſtaret adhuc ille ueritatis ambiguus, qui in biuio,
uel

uel quadriuio eſt poſitus, & de ſua ſalute ſolicitus, & quinam eſſent ueri, & ſinceri illi ſacrarum literarum interpretes, Spiritum Dei habentes, interrogaret, ut eorum doctrinam ſecure auſcultare, atque apprehendere poſſet; cum non pauci hominum ſeductores fuerint, qui ſe tales eſſe affirmauerint, & reliquis obtrectauerint, dicentes, ſe uerum Dei habuiſſe Spiritum, alios uero diabolicum, inter quos hac noſtra tempeſtate præ ceteris præcipuus fuit Lutherus, deinde Zuinglius, Caroloſtadius, Philippus, Brentius, Caluinus, & id genus quàm plurimi alij, qui non Dei, ſed diabolico ſpiritu inflati, ad ipſorum, & aliorum perditionem locuti ſunt homines peruerſi; huic pio, & ſancto deſiderio ſatisfacit Ireneus lib. 4. cap. 43. dicens. Eis, qui in Eccleſia ſunt, presbyteris obaudire oportet his, qui ſucceſsionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſsione chariſma ueritatis certum, ſecundum placitum patris acceperunt. Reliquos uero, qui abſiſtunt à principali ſucceſsione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere, uel quaſi hęreticos, & male ſentientes, uel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes, aut rurſus hypocritas, quæſtus gratia, & uanæ gloriæ hoc operantes. Item eodem in lib. cap. 45. ſic ait. Vbi chariſmata Domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet ueritatem: apud quos eſt ea ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſsio, & id, quod eſt ſanum, & irreprobabile, ſermonis conſtat. Et Auguſtin. lib. 1. contra Geſconium cap. 33. ſic ait. Hoc facimus, quod uniuerſæ, iam placuit Eccleſiæ, quod & ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas. Et quoniam ſancta ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis; eandem Eccleſiam de ipſa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſancta ſcriptura demonſtrat. Talium itaque in ſacram ſcripturam interpretationes, ab Eccleſia catholica approbatas, confirmatasque, eidem ſcripturæ ſanctæ correſpondentes, amplecti, atque proſequi debemus. Ceterum ſi interpretationes huiuſcemodi à ſacris literis non admitterentur, quomodo conciliarentur, quæ ſibi repugnare uidentur? quemadmodum ex diuerſis ſacrarum ſcripturarum locis, oſtendere non eſt difficile. Ait enim Pſalmiſta. Laudabuntur omnes, qui iurant in Deum. Et Matth. 5. Nolite omnino iurare, neque per cælum, neque per terram. Item

Iren. August. Pſal 62. Math. 5.

Psal. 144. Propheta in Psalm. centesimo quadragesimo quarto ait. Deus
Prou. 1. prope est omnibus inuocantibus eum. Et Prouerb. primo habetur. Inuocabunt me, & non exaudiam. Item in Psal. centesimo
Psal. 138. tesimo trigesimo octauo. Mirabilia opera tua Domine. Et
Eccl. 31. Ecclesiasti. 31. Nihil est mirabile apud Deum. Item in Psalm.
Psal. 50. quinquagesimo, Dauid iniquitatem suam confessus est. Et
Psal. 56. in quinquagesimo sexto aiebat. Sine iniquitate cucurri, et di-
Psal. 42. rexi. Item 42. dicebat. Iudica me Deus, & discerne cau-
Psal. 142. sam meam. Et 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo Do-
Psal. 103. mine. Item in Psal. 103. Deus non secundum peccata retri-
Rom. 12. buit. Et Apostolus ad Roma. 12. Reddet unicuique secun-
Gen. 6. dum opera sua. Item Genesis sexto ait Deus. Pœnitet me fe-
1. Reg. 15. cisse hominem. Et 1. Regum. 15. cap. ait Samuel. Neque enim
Eccl. 3. homo est, ut agat pœnitentiam. Item Ecclesiasti. 3. Altiora te
Colos. 3. ne quæsieris. Et Apostolus ad Coloss. 3. Quæ sursum sunt, quæ-
Psal. 35. rite. Item in Psal. 35. Homines, & iumenta saluabis Domine.
1. Cor. 9. Et ad Cor. 9. primæ. Nunquid de bobus cura est Deo? Hæc & alia similia perquã infinita scripturarũ loca, causa breuitatis omissa, quæ pari modo sibi inuicem ex diametro contrariari uidentur, quomodo sine sanctorum, doctorumq; uirorum sacris interpretationibus reconciliari, concordariq; possent? Est ergo sacrarum scripturarum interpretatio (dicat quicquid uoluerit insanus ille, suis cum adhærentibus, Ioan. de Vuessa-l a) in Ecclesia Dei quàm maxime necessaria. Ecce igitur sanctam matrem Ecclesiam sine fictione, & corruptela, sine falsitate, & deceptione, non tantum sacra illa uolumina nobis custodiuisse inuiolata, uerum & semitas, hoc est interpretationes, expositionesque ad illorum intellectum, sincere, &

Iren. absque fraude exhibuisse. Quapropter Ireneus lib. 4. cap. 61. aiebat. Agnitio uera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesię status, in uniuerso mundo, & charactere corporis Christi, secundum successionem Episcoporum, quibus illi eam, quę in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit usque ad nos custodita sine fictione scripturarum, traditione plenissima, neque oblationem recipiens, lectio sine falsatione, & secundum scripturas expositio legitima, & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia, & præcipuum dilectionis munus, quod est preciosius quàm cognitio, gloriosius autem quàm prophetia, omnibus autem reliquis

charismatibus

charisſmatibus ſuperueniens. Ad quid ergo ô Anna, ſacrorum illorum uoluminum immutationem, ex diuerſis ipſius locis, contra Romanam Eccleſiam niteris defendere? cum omnem eorundem fidelitatem ab eadem Eccleſia Romana habeas, atque receperis? O malitiam diabolicam. latet anguis in herba. Videte eius aſtutiam, ſcripturarum defenſorem, propugnatoremq; ſe exhibebat, non illarum zelo, cum nullum haberet, ſed ut ſub umbra talis tutelæ, ſuum poſſet contra Eccleſiam Romanam euomere uenenum, eiuſdem leges, ritus, conſtitutiones, atque cæremonias ſubuertendo. Et hoc eſt quod à principio animaduertiſſe dignum cenſui, ipſum ſcripturarum defenſorem ſe ſimulare, ut Eccleſiaſticas ſanctiones poſſet auferre: quod bifariam conatur oſtendere. primo ex ſupra poſitis auctoritatibus concluſionem inferendo, ſecundo Apoſtolorum exemplo hoc illud corroborando. Quæ omnia inferius deſcribere curabo, illis ſigillatim ſatisfaciendo.

De ſanctionibus Eccleſiaſticis in ſcripturis canonicis non contentis. Artic. III.

EX Vualdenſium, atque Vuicleffi doctrina Lutherus, Zuinglius, Bucerus, Caluinus, Brentius, & reliqua diabolicę diſſenſionis ſynagoga hauſerunt cuncta eſſe credenda, prout in canonicis libris ſunt expoſita, quo ueneno Annas Burgenſis imbutus, ex ſupra ſcriptis auctoritatibus, de non addendo, uel minuendo in ſcripturis, omnes leges, præcipue Eccleſiaſticas, in ſacris Bibliis explicite non contentas, concludendo reſpuit dicens. *Quibus ex locis concludo, nullis Pontificum Romanorum, aliorumue legibus, quæ quidem ad religionem Chriſtianam pertineant, teneri chriſtianos, & obligari ad aliud uitæ, & doctrinæ genus proſequendum, quàm quod in ſacris Biblijs traditum, ac præſcriptum eſt.* O magnam Burgenſis aſtutiam, qui oleum ſimulabat bibere, ut conceptum uenenum poſſet euomere, quod lectorem in principio operis nolui latere, ubi ſacrarum literarum ſe defenſorem eſſe fingebat, ut hoc in loco ſanctas ſanctiones ab Eccleſia ſurripere poſſet. quod immediate, atque manifeſte oſtendit dicens. *Quibus ex locis concludo nullis Pontificum &c.* O ingenioſam pariter huius uiri conſequentiam. Scriptum eſt enim Deut. 4. inquit ipſe, Non addetis ad uerbum, quod uobis

bis loquor, nec auferetis ex eo. Et 12. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas. Et Iosue. 23. Custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in uolumine legis Moysi, & non declinetis ab eis, neque ad dexteram, neque ad sinistram, Et Prou. 30. Ne addas quicquam uerbis illius, & arguaris, inueniarisq; mendax, Et ad Gal. 1. Sed licet nos, aut angelus de cælo euangelizet vobis, præter quàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Et Matth. 15. Frustra me colitis, tradentes doctrinam ex hominum institutis, &c. Et omnis plantatio, quam pater meus cælestis non seuerit, euelletur. Ergo nullis Pontificum Romanorum, aliorumue legibus ad religionem Christianam pertinētibus, teneri Christianos, nec obligari ad aliud uitæ, & doctrinæ genus prosequendum, quàm quod in sacris Bibliis traditum, ac præscriptum est? O argutiam doctoris olim clarissimi notatu dignam. Quid dices ò Anna, si primo aspectu auctoritates ex ueteri testamento à te desumptas (ut illis prius insimul omnibus satisfaciamus)
Col. 2. ex parte respuerem? dicente Apostolo ad Col. 2. Nemo uos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Ad tria enim, in ueteri testamento, mandatorum genera, omnia reducebantur Hebræorum præcepta, uidelicet moralia, iudicialia, atque cæremonialia. de quibus legi-
Deut. 6. tur Deut. 6. Hæc sunt præcepta, quæ sic antonomasice dicuntur moralia, & cæremoniæ, atque iudicia, &c. quorum pariter & in particulari diuersis in locis fit mentio. De moralibus
Exo. 20. enim, Exod. 20. satis diffuse habetur descriptio, ueluti. Non occides, non mechaberis, non furtum facies, & id genus alia eo in loco posita, quamuis autem & nonnulla ibidem conti-
Exo. 21. neantur cæremonialia, quemadmodum & 21. cap. & ultra, ubi de iudicialibus doctrina traditur, & moralium, atque cæremonialium disciplina ad memoriā reducitur, ubi sic legitur. Hæc sunt iudicia, quæ propones eis, &c. Vltimo & cæremo-
Exo. 25. nialia. 25. cap. tradita sunt præcepta, quæ ad quatuor reducebantur capita, quorum hæc sunt nomina, Sacrificia, Sacra, Sacramenta, & Obseruantiæ. Sacrificia erant illa, quæ Deo immolabantur, ut oues, uituli, & id genus. Sacra uero ea præcipue appellabantur; in quibus Deo uictimæ offerebantur, uasa, uidelicet, & tabernacula, atque altaria, necnon & ministri

ad horum miniſterium à Deo electi, ac tempora diuinæ maieſtati dedicata, hoc eſt ſolennia. Sacramenta autem erant tria, Circuncifio ſcilicet, Agnus Paſchalis, & ſacerdotum conſecratio. Obſeruantiæ demum illæ dicebantur, quæ ad populi Iſraelitici conuerſationem pertinebant, ut cibi, potus, & ueſtes, ac mundicia, & alia huius generis ſimilia. Quæ omnia, & alia ſupra poſita, in nullo eis licebat mutare: ſed ea omnia, ſicuti ipſis iuxta uniuſcuiuſque conuenientiam, erant præſcripta (nam prædictorum nonnulla, ut ſacrificia, uaſa, altaria, & ſacerdotum conſecratio, panumq; propoſitionis comeſtio, atque manuum, ac pedum ablutio, & pilorum raſio, &c. ad ſpeciales pertinebant perſonas, Deo uidelicet dicatas: alia uero, ut agnus Paſchalis eſus, & circuncifio, & ſacra tempora, ac reliqua, illa præcipue de quibus ſpecialiter ad Coloſ. 2. ſuperius mentionem facit Apoſtolus, omnes indifferenter reſpiciebant) abſque additione, & diminutione, ad unguem obſeruare, exequutioniq; mandare debebant, iuxta illud Ioſue. 23. ſuperius aſsignatum. Cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in uolumine legis Moyſi, & non declinetis ab eis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Quod & ex diuerſis aliis ibidem habetur locis à Burgenſi citatis. Horum autem omnium Hebræorum trium mandatorum moralia tantum abſolute aſtringimur nos recipere, quæ ad decem reducuntur, quæ Decalogi præcepta nuncupantur, quæ a Deo homini immediate tradita eſſe dicuntur, iuxta illud Deut. 4. Loquutusq; eſt Dominus ad uos de medio ignis, uocem uerborum eius audiſtis, & formam penitus non uidiſtis, & oſtendit uobis pactum ſuũ, quod præcepit, ut faceretis, & decem uerba, quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis, &c. Reliqua uero, quæ proprie futurorum erant umbra, per Chriſtum euacuata, quæ ſunt iudicialia, & cæremonialia, illis per Moyſen à Deo tradita, uti eo in loco Moyſes ipſe ſubintulit dicens. Mihiq; mandauit in illo tempore (ſcilicet Deus) ut docerem uos cæremonias, & iudicia, quæ facere deberetis in terra, quam poſſeſſuri eſtis, &c. obſeruare non tenemur. Hoc tamen cum diſcrimine, quòd cæremonialia abſolute, iudicialia autem ſecundum quid tantum debemus reſpuere. Quia etſi utraque per Chriſtum ſint adimpleta, atq; euacuata, iuxta illud 2. Cor. 5. Si qua ergo in Chriſto noua creatura: uetera tranſierunt, hoc eſt iudicialia omnia,

Ioſue. 23.

Deut. 4.

2. Cor. 5.

& ce-

& cæremonialia, sub quibus Iudæi regulabantur, & ad Christum vsque ducebantur, uti & Apostolus ad Gal. 3. ostendit dicens, Lex enim fuit pedagogus ducens ad Christum, at ubi venit fides (scilicet Christi) iam non sumus sub pedagogo; nihilominus iudicialia unusquisque Princeps in suo Dominio, dummodo non ratione, & uigore ueteris legis, sed ex solo bonitatis illorum instinctu, obseruari absque peccato potest mandare. cuius rei ratio hæc est. Cum huiusmodi iudicialia præcepta, ut docet & D. Tho. 1. 2. q. 104. ar. 3. in c., ad figurandum non fuerint instituta, sed solum ad aliquid fiendum, hoc est ad statum illius populi, qui ad Christum ordinabatur, disponendum; ideo eorum obseruationem fidei ueritati simpliciter non præiudicare asserimus: sed intentionem illa obseruandi ex ui legis obligatoria, uerbo Dei incarnato detrahere affirmamus: quia per hoc teneretur prioris populi statum hactenus durare, & Christum nondum uenisse. quod fidem nostram esset destruere: cum fateamur Christum Dominum nostrum iam incarnatum fuisse, & Aaron sacerdotium ad se traxisse, in æternumq; secundum ordinem Melchisedech summũ sacerdotem perseuerare, & ex consequenti omnem illorum legem ad ipsum Christum translatam esse. quod ostendit & Apostolus ad Hebræos. 7. dicens. Translato enim sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat, &c. Cæremonialia uero præcepta Christianorum nemo obseruare potest quomodocunque sine peccato: quia hæc proprie erant figuralia, cum ex illorum institutione primo, & per se, ac principaliter, ad figuranda Christi mysteria, ut futura, illi populo fuerint tradita, atque ordinata. quapropter illa obseruare est fidei nostræ, ac ipsi Christo seruatori nostro derogare in quo omnia illa perfecte fuerunt adimpleta, atque euacuata. quod & superius ex parte ad Col. 2. ostendebat Apostolus dicens. Nemo ergo uos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Nam hæc omnia cæremonialia erant ad populum spectantia, & tanquam umbra Christum præfigurantia. ideo Christo ipso iam superuento, cessare debet ipsius omnis umbra, atque figura. His itaque habitis, quis fidei nostræ particeps, & sani intellectus existens, supra scriptas ex ueteri lege auctoritates à Burgensi huc adductas, ex parte, quo ad illarum

Gal. 3. Tho. Heb. 7. Col. 2.

scilicet

ſcilicet obſeruantiam, nolit reſpuere? niſi forte voluerit iudaizare, Chriſtum nondum veniſſe affirmando? quia ſi quis quicquid illis in locis continetur, uellet obſeruare; Chriſtũ adhuc non deſcendiſſe, dicere eſſet neceſſe. Nam qui vmbram ſeruat, ad corpus nondum peruenit. Vel hæc illa cum Euangelio obſeruanda eſſe uoluerit aſſerere, quemadmodum nonnulli hæretici fecere, de quibus inferius in articulis de cibis, & ieiuniis, ac diebus feſtis, conabor oſtendere. quod pariter abſurdum atque hæreticum eſt affirmare: cum ueniente ueritate (ut iam oſtenſum eſt) ceſſare debeat ipſius vmbra. Nam in vno, & eodem loco, eodemq; tempore, vmbram cum ipſius corpore ſimul eſſe haud quaquam eſt poſsibile. Si quis vero has ipſas Teſtamenti veteris auctoritates à Burgenſi citatas, pro doctrina Chriſtiana conſeruanda tantum intelligendas, atque acceptandas eſſe aſſereret; tunc non illas ſolummodo, verum & omnes alias ſimiles omni cum reuerentia amplectimur auctoritates: præcipue cum dicat Ioan. in Apoc. vltimo. Si quis appoſuerit ad hæc; apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius; auferet Deus partem eius de Libro uitæ, &c. Ille uero ſacram ſcripturam diminuit, qui ex his, quæ in ea ſcripta ſunt; ſubtrahit, vel etiam negando eis contradicit: quemadmodum infiniti fecere hæretici, ſuperius primo in articulo aſsignati. Et is, canonicis addit literis, qui contrarium mentiendo ipſis apponit, vti non pauci egerunt homines peruerſi: quorum aliqui in nomine Petri, alij Ioannis, alij Thomæ, alij Andreæ, alij in diuerſorum aliorum nomine, aliud ſcripſerunt Euangelium. Et de his, ac reliquis omnibus ſub finem primi articuli deſcriptis, loquebatur Apoſtolus, cum dicebat, ad Gal. 1. Sed licet nos, aut angelus de cælo euangelizet vobis, præter quàm quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. cuius rei rationem aſſignat ipſe Apoſtolus in ſequenti textu dicens. Notum enim vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: ſed per reuelationem Iæſu Chriſti, quaſi diceret. Quicunque aliud in medium protulerit Euangelium; hoc à Deo ſe accepiſſe haudquaquam poterit affirmare (cum nemini contraria reuelet Deus) ſed aut ab homine, vel à ſeipſo, inflante ſpiritu maligno, illum didiciſſe, confiteri eſt

Ioan. 22.

necesse. Ideo talis sit anathema, hoc est à fidelium societate, & Christi participatione alienus, & ex consequẽti non diu perseueraturus: quia, ut ait & Sap.4. Adulterinæ plantationes, non dabunt radices altas. Quapropter Christus cum apud Matth.15. Scribas, & Pharisæos talia docentes increpasset dicens, Sine causa autem me colunt docentes doctrinas, & mandata hominum; subintulit dicens. Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Potest tamen Princeps quilibet, ad sui status conseruationem, uarias edere leges, in sacris Bibliis non contentas, quibus sub præcepto subditi parere tenentur, dummodo fidei nostræ nõ derogetur, quemadmodum inferius art.6. ostenditur, ubi de triplici hominum traditione sermo describitur. Ecce itaque o Anna auctoritates à te aduersus Põtifices Romanos citatas, non propter ipsos, sed propter te, & alios tui similes, ipsis canonicis libris, contraria addendo, & uera subtrahendo, detrahentes, esse asignãdas: cum Romani Pontifices ab ipsis nil unquam subtraxerint, neque illis, uti in primo ostensum est articulo, quicquam addiderint, nisi ad earum elucidationem, quod maxime fieri debuit, iuxta illud Eccl.24. Qui elucidant me, uitam æternam habebunt. Quod etiam non additionem, sed illarum manifestationem, interpretationemq; esse dicimus, de qua in præcedenti articulo satis dictum est. Et si quid ultra scripturarum interpretationem, sancti patres, præcipue ad Christianam pertinens religionem, nobis ad obseruandum, credendumq; tradiderint; non ex seipsis illud sunt imaginati, sed a Spiritu sancto edocti, hoc ipsum protulerunt, atq; ordinarunt: quamuis etiam firmiter affirmare possemus, quemadmodum in successu huius articuli demõstrabitur, nil ab ipsis circa fidem nobis traditum esse, quod in sacris Bibliis ad minus implicite non contineatur, ueluti traditiones Apostolicæ, & sanctiones Ecclesiasticæ à patribus institutæ, Spiritu sancto operante, quibus quemadmodũ & aliis ad fidem spectantibus, firmiter credere debemus, si æternam salutem optamus. Si enim ad aliud nihil astringeremur obseruandũ, quàm quod in sacris Bibliis explicite est traditum, ac præscriptum, non solum ipsæ perirent Bibliæ, uerum & nostra rueret fides. Vbi apud sacras habetur Biblias, illud esse Moysi, hoc Esdræ, & cetera aliorum prophetarum? Et, Euangeliorum unum esse Matthæi, aliud Marci, tertiũ
Lucæ,

Sap.4.
Eccl.24.

Lucę, & vltimum Ioannis? Profecto nuſquã. Itaq; & de epiſtolis canonicis, quarũ nullis in locis fit mentio, ꝙ illę ſint Pauli, iſtę Petri, alię aliorum. quod neq; fuit neceſſe: quia ſi quælibet ſcriptura alterius ſcripturæ teſtimonio ad ſui comprobationem opus haberet; in infinitum proceſſus fieret, & prima ſui teſtimonium nõ reperiret: quapropter ſacræ Bibliæ à nobis non eſſent amplexandæ, & ex conſequenti ipſis non teneremur credere: ſicq; fides noſtra manca fieret. Si dixeris, uti neceſſe eſt affirmare, ipſis credimus, nõ quia ſcriptura canonica docuit, ſed quia Eccleſia determinauit, dicente ſuperius Aug. Euangelio non crederem, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas; Auguſt. Quare ergo & in aliis abſq; ſcripturarum teſtimonio Eccleſiæ non credis? Nonne una, & eadem eſt Eccleſia à Spiritu ſancto edocta, quæ hoc affirmat, & illud, dicente Domino Matth. 10. Matth. 10. Non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus patris ueſtri, qui loquitur in uobis. Nunquid Chriſtus ipſam Spiritu ſuo dereliquit, ut nobis, ſicut antea, per os ipſius deſinat loqui? abſit, dicẽte ipſo apud Matth. 28. Ego uobiſcũ ſum uſque ad conſummationem ſeculi. Matth. 28. Quomodo aũt nobiſcum, niſi Spiritu, & ueritate unitatem Eccleſiæ gubernando, inſtruendo, atq; docendo vſq; ad cõſummationẽ ſeculi? Vnde Aug. ſuper illis uerbis ait. Auguſt. Surſum eſt dominus, ſed tamen nobiſcũ eſt ueritas eius, donec ſeculum finiatur. Nunquid ueritas ipſa poteſt mentiri? Nam cęlum, & terra tranſibunt, inquit Chriſtus, uerba autem mea non tranſibunt. Matth. 24. Dicet autem Burgenſis, quemadmodũ & nonnulli aliorum hæreticorum aſſerunt, Cum aliud ſit de ſcripturis teſtimoniũ reddere, & aliud nouas ſanctiones in ſcripturis non cõtentas edere, ſcripturas ob Eccleſiæ teſtimonium tanquam nobis ad ſalutem neceſſarias amplectimur, nouas uero leges, atq; ſanctiones, tanquam ſuperfluas reſpuimus. *Etenim* (inquit Burgenſis) *quemadmodum Deus perfectus eſt, ſic eius doctrina perfecta eſt, & integra, omnibus ſuis numeris conſtans, neq; ullis additamentis eget.* Quis neſcit o Anna, vti etiã ſuperius dicebat Aug. contra Donatiſt. Auguſt. Dei, & Domini noſtri Iæſu Chriſti doctrinam ſic perfectam, & integram eſſe, vt nullis egeat additamentis? Hoc noſtra catholica Eccleſia non negat, hoc non reſpuit, immo hoc approbat, ipſumq́, vbique terrarum prædicat. Quid enim ab Eccleſia catholica editur, quod in Chriſti doctrina nõ contineatur? Chriſtus equidem perfectus eſt, & ipſius doctrina quoq; perfecta, &

integra, nullis egens additamentis, at infra ipsius terminos, non solum scripturas, uerum & traditiones, atque sanctiones Ecclesiasticas omnes contineri prædicamus, quod ostẽdit
Epiph. Epiph. contra hæresim Melchisedecianorum, pag. 223. dicens. Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & scripturæ sanctæ, & successiones doctrinæ, & undequaque veritas Dei munita est. Et nemo decipiatur nouis fabulis, &c. Non enim Dominus omnem suã insimul mundo explicite tradidit doctrinam, sed successiue secundum temporis exigentiã nobis manifestauit illam. Primo per prophetas. Secundo per proprium filium suum Dominum no-
Heb. 1. strum, iuxta illud Apostoli Heb. 1. Multifarie, multisq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis: nouissime diebus istis loquutus est nobis in filio. Tertio per Apostolos. Vltimo per illorum successores, in quibus semper vnus, atq; idem Spiri-
Origen. tus semper est locutus. Vnde Origenes in Prologo Peri archon. Sane ꝙ iste Spiritus sanctus unumquenq; sanctorum, vel prophetarum, vel Apostolorum inspirauit, & non alius Spiritus in veteribus, alius uero in his, qui in aduentu Christi inspirati sunt, manifeste in Ecclesiis prædicatur. Quis inter mortales, Christo excepto, unquam fuit, vel erit, qui perfectam, atq; integram Dei doctrinam, quæ est infinita, potuit consequi, vel consequetur? Ideo non mirum, si in diuersis temporibus, prout necesse est, & nostra exigit capacitas, Ecclesiæ sanctæ, & patribus per eundem Spiritum sanctum Deus salutaria reuelat. Propterea
Ioan. 16. Christus apud Ioan. 16. aiebat. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: cum autem uenerit ille Spiritus ueritatis; docebit uos omnem ueritatem. Super quibus
August. uerbis ait Aug. Quis autem uiuens in hoc corpore, posset omnino cognoscere ueritatem, cum dicat Apostolus, ex parte scimus, sed quia per Spiritum sanctum fit, ut ad ipsam quoq; plenitudinem ueniamus, de qua idem dicit Apostolus. Tunc autẽ facie ad faciem, Non quod est in hac tãtum uita, Dominus nobis promisit dicens. Cum autem uenerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem ueritatem, uel deducet uos in omnem veritatem, quo uerbo intelligimus eius nobis plenitudinem in uita alia reseruari. Ipse autem Spiritus sanctus & nunc docet fideles quanta quisque potest capere spiritualia, & in eorum cordibus desiderium maius accendit. Insuper non solum hæc om

nia

nia ad Dei doctrinam spectantia in sacris Biblijs non continentur, sed neque illa omnia, quæ nobis à Christo fuerunt ostensa, reperiuntur. Ioan. vltimo. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iæsus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros. Item Act. 1. habetur, quòd Dominus noster Iæsus Christus discipulis suis prębuit se ipsum uiuũ, post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Quid autem docuerit, & de qua re specialiter loquutus fuerit; in sacris literis mentio non fit. Nil autem Christus frustra est loquutus, & operatus: sed omnia uerba sua, & opera nobis sunt salutaria. Cum uero nil horum in scriptis canonicis reperiri posit; credendum est, atque dicendum, illa omnia, & alia similia ad salutem necessaria, secundum temporis, locorum, & personarum exigentiam, partim ab Apostolis ore tenus narrata fuisse, atq; ita ex ore in os, & ex pectore in pectus transfusa, absque scripturarum testimonio ad nostra usque peruenisse tempora; partim autem à Spiritu sancto patribus nostris reuelata fuisse, ut i superius ostensum est, & ut Fabianus Papa, & martyr in epistola ad Orientales Episcopos testatur dicens. Cura uestræ sollicitudinis est adhibenda, ut ea, quæ sunt ab Apostolis, eorumq; successoribus ordinata, & instigante Spiritu sancto instituta, nec disimulatio negligentiæ, nec aliqua pręsumptio ualeat perturbare: sed sicut hoc, quod exigebat rationis utilitas, oportuit definiri; ita quod definitum est, non debet uiolari. Hęc ille. Hoc etiam ex multis ad fidei nostrę substantiã spectantibus uidere, atq; ostendere est facile. Dic mihi in qua parte Bibliæ patrem ingenitum dici reperies? Nam August. in sacris literis hoc ipsum nunquam se inuenire potuisse testatur: & tamen ad fidei nostræ substantiam pertinet. Rursus ubi apud sacras scripturas inuenies, filium patri cælesti esse consubstantialem? Porrò nusquã. Quapropter Arrius sic contra Concilium. 1. Nicęnum institit, ne Christus homousios, id est Patri consubstantialis, diceretur: quia in sacris uidelicet scripturis non inueniatur. quod tamen est articulus fidei. Nam cum Synodus Nicæna celebrabatur, per dies singulos agitabatur conuentus: neque facile, aut temere de re tanta statuere audebant. Euocabatur Arrius frequenter in Concilium: & asiduo tractatu assertiones eius discutie-

[Margin notes: Ioan. vlt. — Act. 1. — Fabia. Pa. — August. — Con. Nicæn. 1.]

scutiebantur, & quid aduersum hæc teneri deberet, ac statui, summa cum deliberatione quærebatur. Tãdem post diutinum, multumq; tractatum, placuit omnibus, ac uelut uno cuncto ore, & corde decernitur, Homousion conscribi debere, id est eiusdem cum patre substantiæ filium confiteri: idq; firmissima omnium sententia pronuntiatur. Decem, & septem soli tunc fuisse dicuntur, quibus Arrij magis fides placeret, extrinsecus creatum Dei Filium, & non ex ipsa Patris deitate progenitum, confirmantes. Defertur ad Constantinum sacerdotum Concilij sententia. Ille tanquam à Deo prolatam ueneratur. Cui si quis tentasset obniti, uelut contra diuina statuta uenientem in exilium se protestatur acturum. Quinque igitur soli cum Arrio se patiuntur expelli: reliqui uero undecim, consilio inter se habito, etsi non mente, manu tamen ad subscribendum acquiescunt: cuius simulationis Eusebius Nicomediæ Episcopus auctor extitit præcipuus. Episcopi uero, qui huic interfuerunt, & subscripserunt Concilio, 318. sex illis exceptis, sunt numero: inter quos Athanasius ille Magnus, tunc temporis diaconus, & ex superiori Thebaide Paphnutius: nec non & alij multi uita, & miraculis clari, sunt connumerati. Hanc etiam consubstantialitatem filij cum patre sub fine affirmat

Conciliũ Chalced.

Conciliũ Chalcedonense. Tertio, ex quibus scripturis astringimur fateri Spiritum sanctum à patre, & filio procedere? quapropter multi, præcipue Gręci, in hanc inciderant hæresim, ut à Patre in Filium Spiritum sanctum tantum procedere affirmarent. Cuius tamen oppositum est articulus fidei, uidelicet ꝙ à Patre, & Filio insimul procedat Spiritus sanctus: uti semper

Athanas.

Romana tenuit, ac docuit Ecclesia. quod etiam Athanasius in suo fatetur Symbolo: & Concilium uniuersale Florentinum

Cõci. Florenti.

de communi tandem Græcorum, & Latinorum consensu approbauit, atque corroborauit. Quarto, dic mihi, in quibus scripturis legere poteris, Christum ad inferos descendisse, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorumque communionem credere esse necesse? Hæc scriptura non docet, attamen ea ipsa ad fidei articulos pertinent, quæ Symbolum tradidit Apostolicum. Dic quinto, qualis scripturarum locus diem Dominicam sub præcepto obseruandam esse omnibus mandat? Nam scriptura hoc non docet: sed Ecclesia diem illam obseruari pręcepit. Neque hoc à prophanis est inuentum: sed à pri-

mordijs

mordijs Eccleſiæ traditum,& à Chriſti fidelibus,quàm diligentiſsime hactenus cuſtoditum. Sexto, qualis ſcriptura docet, non alia die quàm Dominica feſtum Paſchę celebrandum eſſe? Hoc profectò in ſacris non inuenies literis:quod tamen inuiolabiliter obſeruari,à ſanctis patribus mandatum eſſe uidemus. Septimo,ubi in illis ſacris uoluminibus Maria uirgo Dei genitrix nominatur? quo tamen uocabulo ab Eccleſia catholica nuncupatur, quod Gręce theotocos dicitur: ita quòd ſi quis hoc non confiteatur, ſit anathema, uti Concilium Epheſinum. ca.1.determinauit. Idem & Concilium Chalcedonenſe actione.8.ſub Valentiniano, & Martiano Imperatoribus, tempore Leonis Papę huius nominis. 1. celebratum. quod etiam cap.2. Concilium Conſtantinopolitanum quintum ſub Iuſtiniano Imperatore circa tempora horum trium Pontificum Agapeti, Siluerij, & Vigilij celebratum,approbauit. Similiter in ſcripturis Mariam poſt uerbi incarnati partum uirginem perſeueraſſe,non inuenitur: quod tamen uniuerſalis Eccleſia confitetur. Vnde Concilium Epheſinum ſub Cæleſtino Papa,& Theodoſio iuniore Imperatore celebratum, cap.1. Si quis non confitetur, Deum eſſe ueraciter Emanuel, & propterea Dei genitricem ſanctam uirginem, &c. anathema ſit. Si enim poſt Chriſti partum uirgo non permanſiſſet, profectò ipſam uirginem non nominarent. Item Concilium. 5. Conſtantinopolitanum, cap.6. Si quis abuſiue,& non uere Dei genitricem dicit ſanctam glorioſam ſemper uirginem Mariam, &c. talis anathema ſit. Vnde Auguſtin. ſuper uerbis Prophetæ Ezechielis. 44. Porta hęc clauſa erit, & non aperietur, & uir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael egreſſus eſt per eam, in quodam ſermone ait. Quid eſt porta in domo Domini clauſa,niſi quòd Maria ſemper erit intacta? Et quid eſt homo non tranſibit per eam, niſi quòd Ioſeph non cognoſcet eam? Et quid eſt Dominus ſolus intrat, & egreditur per eam, niſi quòd Spiritus ſanctus imprægnabit eam, & Angelorum Dominus naſcetur per eam? Et quid eſt clauſa erit in æternum, niſi quòd Maria uirgo eſt ante partum, & uirgo in partu, & uirgo poſt partum? Et Hieronym. contra Heluidium, par. 1. epiſto. 9. Tu dicis Mariam uirginem non permanſiſſe, ego mihi plus uendico, etiam ipſum Ioſeph uirginem fuiſſe per Mariam, ut ex uirginali coniugio uirgo filius naſceretur. Nono, ubi apud ſacras

reperies

Conciliũ Epheſ. Conciliũ Chalced. Conciliũ Conſt.5. Conciliũ Epheſ. Conciliũ Conſt.5. Ezech.44. Auguſtin. Hierony.

reperies literas, baptizatos ab infidelibus, uel hæreticis, forma tamen baptismi obseruata, non esse rebaptizandos? Hoc ab Ecclesia est decretum; quod ostendit Nicolaus Papa de Consecra. dist. 4. respondens ad consulta Bulgarorum, cap. 3. dicens. A quodam Iudæo, nescitis utrum Christiano, an Pagano multos in patria uestra asseritis baptizatos, & quid inde sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent. Si autem forma Ecclesiæ non fuerit obseruata; sacramentum baptismi non confertur. Ideo & Isidorus aiebat. Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit, qui baptizat: sed ille, qui est baptizatus, non dicitur Paganus. Decimo, ubi quæso scriptũ est illud, quod à Christo dictum commemorat Apostolus. Beatius est magis dare, quàm accipere? Quis scripto redegit ea, quæ Apostoli ex Christi institutione docuerunt infinita? à quibus non longe sunt aliena, quòd sine unctione non fiat confirmationis Sacramentum, & insuper benedicto Missę sacrificio, aqua uino misceatur; aut fideles uiuificæ crucis signo se communiant, pluraque id genus, quæ uelut ex receptione quadam, & quasi per manus ab Apostolis emanarunt: quorum nonnulla in sequenti describentur articulo. Ecce igitur non omnia ad Christi doctrinam, & salutem nostram spectantia in sacris Biblijs explicite tradita, ac præscripta esse; quæ non ex hominum arbitrio sunt instituta, neque ab Euangelio Christi aliena, sed ab ipsa ueritate Christo Iæsu, uti superius ostensum est, per successionem Apostolorum, aliorumq; Prælatorum, Ecclesiæ sunt tradita, & à Spiritu sancto hæc ipsa & quamplurima alia similia patribus fuerunt reuelata, uti diffusius etiam in sequenti ostendetur articulo, ubi specialiter de Apostolorum traditionibus sermonem habebimus, quorum testimonio ipse Burgensis in sui defensionem, satisque abuti non ueretur.

De Consecr. dist. 4. cap. 3.

Isido.

Act. 20.

De Apostolorum traditionibus. Artic. IIII.

Sibijpsi Annas Burgensis timens, ne insufficienter suam concluserit pertinaciam, uoluit & Apostolorum exemplum ad sui erroris corroborationem adducere dicens. *Etenim quemadmodum Deus perfectus est, sic eius doctrina perfecta, & integra*

est,

eſt, omnibus ſuis numeris conſtans, neque ullis additamentis eget. Alioquin male, & imperite Apoſtoli ſuas Eccleſias gubernaſſent, in quibus nullas eiuſmodi ſuperſtitiones, & ritus, qui nunc à Papiſtis tam accurate obſeruantur, inſtituerunt. quippe ego ſolum Dei uerbum amplectens, eique innitens, & omnium earum Eccleſiarum, quæ beneficio Dei reformatæ ſunt, auctoritatem ſequens, omnes Papæ Romani conſtitutiones repudio, atque abiudico, quippe qui uel ſapientior Chriſto, eiusque Apoſtolis uideri uult, uel certe ei aduerſari, &c. O linguam ſacrilegam, atque impudentiſsimam, quis tibi retulit, Romani Pontificis conſtitutiones, ritus, cæremonias, quas tu ſuperſtitiones Papiſticas impudenter uocas; Chriſti doctrinæ, & uerbo Dei aduerſari? cum iam oſtenſum ſit ea ipſa nobis ab eo tradi? Vnde, & quibus ex ſcripturis, Apoſtolos nil horum inſtituiſſe hauſiſti? Si cupis, ut tuæ adheream ſententiæ, hoc indica mihi: quemadmodum ego ea ipſa, quæ nunc à Papiſtis (ut tu eos appellas) tam accurate obſeruantur, ab Apoſtolis ſimiliter nedum obſeruata, uerum etiam inſtituta, & Eccleſiæ per ſucceſsionem fuiſſe tradita, aperte oſtendam tibi, & ut ordinate tuas aperiam ineptias; hoc primo ex Apoſtolis oſtenſo, cæremonias ſecundo, non ſuperſtitiones, ſed diuini honoris obſeruantiam eſſe notabo: deinde nonnullas Romani Pontificis conſtitutiones à te cum regno Chriſti repudiatas, atque abiudicatas, nec Chriſto, neque Apoſtolis contrarias, ſed conſonas eſſe, ſigillatim unicuiq; ſatisfaciens, indicabo. Et ut ad primum ueniamus; quis rationis ſic eſt expers, ut non cognoſcat multa, & infinita ab Apoſtolis Eccleſiæ fuiſſe tradita, quæ non ex illorum ſcriptis, ſed ex ſuorum ſucceſſorum reuelatione à patribus fuerunt acceptata, & nobis exhibita? Nam de traditionibus ipſorum per ſermonem ab Eccleſia habitis, atque receptis non eſt ambigendum, niſi quis ſanctarum ſcripturarum ſe prorſus redderet ignarum. Etſi de hoc aliquis certior fieri cuperet; legat Ioannem Euangeliſtam ſub finem ſuæ tertiæ epiſtolæ dicentem. Multa habui tibi ſcribere: ſed nolui per atramentum, & calamum ſcribere tibi. Spero autem protinus te uidere, & os ad os loquemur. Item Apoſtolum ad Cor. 11. primæ. Laudo uos fratres, inquit Apoſtolus, quòd per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi uobis, præcepta mea tenetis. Non autem omnia in ſcriptis tradidit, ut eodem in loco ipſe Apoſtolus oſtendit dicens. Cetera autem, cum uenero, diſponam. Ex quibus uerbis patet, Eccle-

Ioan. epiſto. 3.

1. Cor. 11

 ſiam

siam ex Apostolorũ dispositione pleraq; recepisse, quę in canonicis non continentur libris, ad quæ obseruanda, & custodienda Paulus circa omnes erat solicitus. Perãbulabat.n. Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorũ, & seniorum. Et.16. de eodem Apostolo Paulo, & eius discipulo Timotheo legitur, ꝙ, cum pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quę erãt decreta ab Apostolis, & senioribus, qui erant Hierosolymis. Quod ipse Apostolus Paulus ad Thess. 1. secundæ, expressius ostendit dicens. Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonẽ, siue per epistolam nostram. Et Galatis à quibusdam Pseudo apostolis seductis quid scribit? Miror, inquit Apostolus, quòd sic tam cito transferimini ab eo, qui uos uocauit in gratiã Christi, in aliud Euangelium. Et infra. Notum enim uobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatũ est à me, &c. Quid autem Paulus illis primo euangelizauerit, & quæ dogmata ipsis tradiderit; in scriptis profectò eis non reliquit: quorum tamen nonnullorum, ad instructionem etiã aliorum, in reliquis nonnullis epistolis mentionem facit Apostolus, quemadmodum. 16. primæ Cor. de collectis habetur: ubi sic legitur. De collectis autẽ, quę fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesijs Galatiæ, ita & uos facite. Ecce quomodo aperte prędicator gentium Paulus ostendit, se Ecclesijs Galatiæ collectas ordinasse: cuius tamen institutionis nullam habemus scripturã Galatis ab Apostolo tunc temporis relictam. Item ad Timo. 1. secundæ ait, Formã habe sanorum uerborũ, quę à me audisti in fide, & dilectione in Christo Iæsu. Et. 2. secundæ. Tu ergo fili mi, confortare in gratia, quę est in Christo Iesu: & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Item ad Thess. 4. primæ. Scitis enim, quæ præcepta dederim uobis. Item. 3. secundę. Cõfidimus autẽ de uobis fratres in Domino, ꝙ quęcunq; præcipimus, & facitis, & facietis, &c. Deinde subinfert. Denuntiamus autẽ uobis fratres in nomine Domini nostri Iæsu Christi, ut subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundũ traditionẽ, quã acceperũt à nobis. Itẽ ad Phil. 4. De cetero fratres, quæcũq; sunt uera, quæcunq; pudica, quęcunq; iusta, quæcunq; sancta, quęcunque amabilia, quęcunq; bonæ famę, si qua uirtus, si qua laus disciplinę; hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & uidistis

Act.15. Act.16. 2.Thess.1. Gal.1. 1.Cor.16. 2.Tim.1. 2.Timo.2 1.Thess.4 2.Thess.3. Philip.4.

uidiſtis in me; hæc agite, & Deus pacis erit uobiſcũ. Quæ autẽ huiuſcemodi Apoſtolorũ fuerint traditiones ſermone tantum nobis exhibitæ, ſacris in literis deſcriptæ porrò non reperiuntur: quæ tamen in eorundẽ ſucceſſorũ ſcriptis equidẽ manifeſte continẽtur, & nobis ad noſtrã educationẽ exhibentur: quas quemadmodũ & alias, per ipſoſmet Apoſtolos ſcriptas ſuſcipere, atq; obſeruare debemus, tenemurq; . Cuius rei eorũ diſcipuli, & horũ ſucceſſores fidem faciunt quàm plurimi. Quorum primus Dionyſius ille diuinus Areopagita nuncupatus, Apoſtoli Dionyſi. Pauli diſcipulus, cap. 1. de Eccleſiaſtica hierarchia, ita nos in- Areopa. ſtruit dicens: Non ſcriptas doctrinas, ſeu leges Apoſtoli tradiderunt, quas oportet ſuſcipere. Et Ignatius Ioannis Euangeliſtæ Igna. diſcipulus, ut habetur in Eccleſiaſtica Hiſt. lib. 3. c. 36. edocebat Eccleſiæ populos, ut diligentius, ac tenacius Apoſtolorũ traditionibus inhererent: quas traditiones cautelę gratia, & nequid apud poſteros remaneret incerti, etiã ſcriptas ſe reliquiſſe aſſerit. Quid uero Irenæus Polycarpi diſcipulus circa hoc doceat; Irenę. eundẽ legat, quicũq; illũ audire optat, in c. 4. tertij. lib. aduerſus hæreſes dicentẽ. Tantæ igitur oſtenſiones cũ ſint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios ueritatẽ, quã facile eſt ab Eccleſia ſumere, in quã Apoſtoli quaſi in depoſitoriũ diues planiſsime contulerunt omnia, quæ ſunt ueritatis, ut omnis quicunque uelit ſumat ex ea potũ uitæ. Hęc eſt. n. uitæ introitus: omnes aũt reliqui fures ſunt, & latrones. propter quod oportet deuitare quidẽ illos, quæ aũt ſunt Eccleſiæ, cũ magna diligentia diligere, & apprehẽdere ueritatis traditionem. Quid enim? ſi quãdo de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, num oporteret in antiquiſsimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli cõuerſati ſunt, & ab eis de pręſenti quęſtione ſumere, quod certũ, & rei liquidũ eſt? Quid autem, ſi neq; Apoſtoli quidẽ ſcripturas reliquiſſent nobis; nonne oportebat ordinẽ ſequi traditionis, quẽ tradiderunt his, quibus cõmittebant Eccleſias? Origenes uerò Origin. in prooemio li. 1. Peri Archon, huic ſe ſubſcribit ſentẽtiæ dicẽs. Sicut multis apud Græcos, & Barbaros pollicẽtibus ueritatẽ deſueuimus apud oẽs quærere, qui eã falſis opinionibus aſſerebãt, poſteaquã credidimus, filiũ Dei eſſe Chriſtũ, & ab ipſo nobis hãc diſcendã eſſe perſuaſimus; ita cũ multi ſint, qui ſe putẽt ſentire, quæ Chriſti ſunt, & nõnulli eorũ diuerſa à prioribus ſentiãt, ſeruetur Eccl. ꝑdicatio, ꝑ ſucceſsionis ordinẽ, ab Apoſtolis tradi-

ta,& usque ad pręsens in Ecclesijs permanens. Illa sola credenda est ueritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione. Hanc eandem sententiam corroborat Magnus ille Basilius in lib. de Spiritu sancto, cap. 27. dicens. Dogmata, quæ in Ecclesia seruantur, ac prędicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in ministerio recepimus. Quę utraque eandem ad pietatem uim habent, & nemo his contradicit, qui uel modicam saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet. Idem in eodem lib. cap. 29. Apostolicum, inquit ipse, arbitror esse etiam in non scriptis traditionibus perseuerare. Laudo, inquit Paulus, uos, quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi uobis traditiones, continetis, & obtinetis traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam. Item Epiphan. contra Apostolicorum hęresim, pag. 243. Oportet & traditione uti: non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt. quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit sanctus Apostolus, Sicut tradidi uobis. Et alibi, Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesijs. Item Hier. in ca. 10. Ecclesiastes, sepis macerięq; euulsio, Ecclesiastica sunt dogmata, & institutio ab Apostolis, prophetisq; fundata: quæ qui dissoluerit, & uoluerit præterire, in eo ipso, quo negligit, à serpente percutitur: de quo serpente & in Amos scriptum est. Si descenderint in infernum, mandabo serpenti, & mordebit eos. Idē in cap. 25. Matth. Reor Apostolicam traditionem permansisse, ut in die uigiliarum Paschæ ante noctis dimidiū populos dimittere non liceat, expectantes aduentū Christi. Et Chrysos. in. 2. epistolam ad Thess. cap. 2. sic ait. Patet, quòd Apostoli non omnia per epistolas tradiderint, sed multa etiā sine literis. Eadem uero fide digna sunt tam illa, quàm ista. Itaq; traditionē quoq; Ecclesiæ fide dignā putamus. Ioannes, etiā Damascenus, lib. 4. cap. 8. eandem affirmat sententiam dicens. Plura tradita ab Apostolis non scripto, sed uerbo: quę tamen obseruāda sunt. Item c. 13. eiusdem libri, inquit ille, docens qualiter Deū adorare debemus ad orientē. Non scripta est aūt hęc Apostolorū traditio: nā multa sine scripto nobis tradita sunt. Item c. 17. eiusdē pariter libri hæc ille protulit uerba. Est autem hęc traditio nō scripta, perinde ac adorationis ad Orientem, adorare scilicet crucem, et alia plurima his, quę dicta sunt, similia. Hoc quoque

Basil. Epipha. Hiero. Math. 25. Chrisost. Ioan. Damasc.

Aug. confirmatur teſtimonio, qui in lib. ex dictis Baſilij, ut habetur etiã diſt. 11. cap. Eccleſiarũ. ſic ait. Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam in ſcriptis, quaſdam uero Apoſtolica traditione per ſucceſſores in miniſterio confirmatas accepimus: quaſdam uero conſuetudine roboratas, approbauit uſus. Item Seleucianæ, epiſtola 108. Non omnia, quæ facta ſunt ab Apoſtolis, etiam ſcripta inueniuntur, ueruntamen facta eſſe ex ceteris documentis probantur: Scriptum eſt, quando baptizatus ſit Paulus: & ſcriptum non eſt, quando baptizati ſint alij Apoſtoli: veruntamen etiam ipſos baptizatos intelligere debemus. Quemadmodum ſcriptum eſt, quando baptizatæ ſunt plebes Eccleſiarum in Hieruſalem, & Samaria: quando autem baptizatæ ſint aliæ plebes gentium, quibus Apoſtoli epiſtolas miſerunt; non eſt utique ſcriptum: & tamen etiam ipſas baptizatas utique minime dubitamus, propter illam ſententiam. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum. Item in epiſtola ad Ianuarium, quæ eſt in uolumine epiſtolarum eius. 118. cap. 1. ſic aſſerit. Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſeruantur, datur intelligi uel ab ipſis Apoſtolis, uel plenariis Conciliis; quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoriras; commendata, atq; ſtatuta retineri. Item contra Donatiſtas cap. 24. dicit quoque conſuetudines Eccleſiæ uniuerſalis ab Apoſtolis fuiſſe traditas exiſtimandum eſſe, quamuis multæ non inueniantur in literis eorum, nec in Conciliis poſterorum: & tamen quia cuſtodiuntur per uniuerſam Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur. Similiter & Theophilactus in 11. cap. 1. Corinth. eandem protulit ſententiam dicens. Sicut tradidi uobis, præcepta mea tenetis. Liquet ex his, cum Paulum, tum Apoſtolos reliquos haudquaquam omnia literis mandaſſe præcepta, quæ populis tradidiſſent. Si quis autẽ aliquid adhuc de huiuſcemodi Apoſtolorum traditionibus uidere cuperet; legat cap. 6. & 11. lib. 5. hiſtoriæ Eccl. quibus in locis ſatis diffuſe hæc tractatur materia. Non igitur Apoſtoli abſque ritibus, qui nunc à Papiſtis (ut Burgenſis utar uocabulo) tam accurate obſeruantur, ſuas gubernarunt Eccleſias: qui non ſolum eos in Eccleſiis inſtituerunt ritus, uerum & pleraque alia ore tenus nobis mandarunt obſeruanda: quæ ſi quis repudiauerit (quemadmodum Annas fecit

Auguſt. Diſt. 11. cap. Eccleſiarũ.

Theoph.

Eccl. hiſt.

fecit Burgensis) tanquam diuinarum legum exterminator, talis est habendus, atque puniendus. Ideo ad huius rei corroborationem Aug. in epistola 86. ad Casulanum presbyterum, de Ecclesiasticarum sanctionum contemptoribus loquens, hæc sancta protulit uerba. In his rebus, de quibus nil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinũ coercendi sunt. Hæc de Apostolorum traditionibus: nunc ad ritus, & cæremonias Ecclesiasticas (quas Burgensis superstitiones Papisticas vocat) deueniemus, atque descendemus.

August.

De ritibus, & cæremoniis Ecclesiasticis. Art. V.

DEI cultus, & christianæ pietatis exterminator Ioan. ille Vuicleffus, vt suum facilius prosequi posset intentum, omnes ritus, & cæremonias, Manichæi, Vigilantijq; dogma secutus, ab Ecclesia Christi abolendas esse docebat: cuius veneno imbutus Lutherus cum Anabaptistis plerisque aliis ex eodem propinauit poculo. quorum unus Annas extitit Burgensis: qui deinde absque Dei timore ritus, & cæremonias sanctas appellauit superstitiones Papisticas. O verba omni blasphemia plena. Ea, quæ ad Dei honorem, & nostri salutem faciunt multum, superstitiones non ueretur Annas nuncupare. Quæ enim (vt ait Damascen. in sermone de suffrag. pro defunctis) Christiana religio erroris nescia suscipit, & in tot secula seruat inconcussa, minime vana sunt, sed vtilia, Deo placita, salutiq; nostræ conducibilia plurimum. Et Ambrosius de pœnitentia libro secundo, cap. 6. Totum decet quicquid defertur religioni, vt nullum obsequium, quod proficit ad cultum, & obseruantiam Christi, erubescamus. Et ne quis hæc ipsa à patribus tantum fuisse inuenta, & absque ratione, vtilitateq; nostra, nobis tradita existimet; nolui præterire, quin ex sacris ipsis Biblijs antiquis, & nouis cæremonias ipsas semper Deo gratissimas fuisse, illasq; Dominum Deum nos docuisse, ostenderem, atque describerem. Primo, qui hoc scire cupit, Exodi cap. 4. legat. Cum enim Moyses à Domino ad populum mitteretur Israeliticum, & Domino, Non

Damas.

Ambr.

Exo. 4.

credent

credent mihi, neque mea audient uerba, protuliſſet; &c. dixit ei Dominus. Quid eſt, quod in tua tenes manu? reſpondit; Virga. Dixitq; Dominus. Proiice eam in terram. Proiecit, & uerſa eſt in colubrum: ita ut fugeret Moyſes. Dixitq; Dominus. Extende manum tuam, & eius apprehende caudam. Extendit, & tenuit, uerſaq; eſt in uirgam. Nonne omnia iſta cæremoniæ? Nonne ſine virgæ in terram proiectione, & abſque colubri caudæ apprehenſione, omnia hæc ſolo Dei nutu peracta fuiſſent? Similiter cum Deus Moyſi, primo manum ſuam in ſinum mittere iuſsiſſet, & manus leproſa, ad niuis inſtar, cum ex ſinu extraheretur, appareret; & ſecundo, & à lepra eadem manus mundaretur, & ſimilis carni reliquæ videretur, & eſſet; Nonne hæc omnia cæremonijs erant plena? Et 14. Cum Moyſes, Iſraelitico populo Aegyptios fugiente, manum ſuper mare extendiſſet, abſtulit illud Dominus, flante vento uehementi, & vrente tota nocte, & uertit in ſiccū, diuiſaq; eſt aqua. Et ingreſsi filij Iſrael, per medium ſicci maris tranſibant. Erat enim aqua quaſi murus à dextera eorum, & leua. Ingreſſo autem exercitu Aegyptiaco cum Moyſes ad iuſſum Domini ſuam contra mare extendiſſet manum; reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum: ita vt ipſius aquæ currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis operuerint, &c. Nonne hæc omnia Dominus Deus abſque manus Moyſi extenſione ualuit peragere? Quemadmodum per eandem nubis columnam Iſraelitico populo noctem illuminauit, & Aegyptijs tenebras offudit? Item. 17. Cum manus leuaret Moyſes, pugnante contra Amalec Ioſue, uincebat Iſrael, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec. Item eodem Ioſue aduerſus Regem Hai dimicante, dixit ad eum Dominus. Leua clypeum, qui in manu tua eſt, contra vrbem Hai: quoniam eam tibi tradam. Cumq; leuaſſet clypeum ex aduerſo ciuitatis, inſidiæ, quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim, & pergentes ad ciuitatem ceperunt, & ſuccenderunt eam. Ecce cæremonias, ecce & ipſarum virtutes. Item Elias filium viduæ de ſinu matris ſuæ mortuum tulit, & in cænaculum, ubi ipſe manebat, portauit, & ſuper lectulum ſuum poſuit, & ad Dominum clamauit, & dixit. Domine Deus meus, etiam ne uiduam, apud quam ego utcunque ſuſtentor, afflixiſti, ut eius interficeres filium? Deinde expandit ſe, atque menſus eſt ſuper

Exo. 14.

Exo. 17.

Ioſue. 8.

3. Reg. 17.

ſuper puerum tribus uicibus, & ad Dominum clamauit, & ait: Domine Deus meus, reuertatur, obſecro, anima pueri huius in
4. Reg. 4. uiſcera eius. Et exaudiuit Dominus uocem Eliæ. & reuerſa eſt anima pueri intra eum, & reuixit, &c. Videte cæremonias. Et Eliſæus, cum mulier Sunamitis ad eũ ob ſui filij mortem acceſſiſſet, dixit ad Giezi puerum ſuum. Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & uade. Si occurrerit tibi homo; non ſalutes eum: & ſi ſalutauerit te quiſpiam; non reſpondeas illi. Et pones baculum meum ſuper faciem pueri. Dicente autem matre pueri ad Eliſæum, Viuit Dominus, & uiuit anima tua, non dimittam te; ſurrexit Eliſæus, & ſequutus eſt eam. Giezi autem iam eos præceſſerat, & baculum ſuper faciem pueri poſuerat, ſed non erat uox, neque ſenſus, ita ut reuerſus fuerit Giezi in occurſum Eliſæi, & annuntiauerit ei dicens. Non ſurrexit puer. Ingreſſus eſt ergo Eliſæus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lecto eius: ingreſſusq; clauſit oſtium ſuper puerum, & orauit ad Dominum. Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitq; os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri. At ille reuerſus, deambulauit in domo ſemel huc, atque illuc: & aſcendit, & incubuit ſuper eum. Et oſcitauit puer ſepties, aperuitq;
4. Reg. 5. oculos. Et ille uocauit Giezi, & ait. Voca Sunamitidem hanc. Quæ uocata, ingreſſa eſt ad eum. Qui ait. Tolle filium tuum, &c. Et Naaman, ad ipſius Eliſæi mandatum, ſepties in Iordane lauit ſe, & mundatus eſt à lepra. Quomodo hæc omnia ſine cæremoniis ſunt facta? Hæ, & ſimiles aliæ cæremoniæ in veteribus ſcripturis reperiuntur infinitæ: quarum partim ex in-
Nehe. 1. ſtinctu Spiritus ſancti, partim ex mandato Domini Dei ſunt inſtitutæ: quas ſi quis tranſgreſſus fuiſſet, non paruum committebat delictum, uti expreſſe Nehemiæ primo oſtenditur. Vbi ſic legitur. Confiteor pro peccatis filiorum Iſrael, quibus peccauerunt tibi. Et ego, & domus patris mei peccauimus, vanitate ſeducti ſumus, & non cuſtodiuimus mandatum, & cæremonias, & iudicia, quæ præcepiſti Moyſi famulo tuo. Quid
Marci 7. his pro cęremoniarum corroboratione apud uetus Teſtamentum clarius? Si uero ex nouo quiſpiam, alias cæremoniarum audire deſideraret approbationes. Marci Euangelium aperiat, & ſeptimo cap. inueniet, quomodo Chriſtus ipſe ſurdum, &

mutum,

mutum ſibi adductum de turba ſeorſum apprehenderit, & digitos ſuos in illius auriculas miſerit, & expuens linguam eius tetigerit, & in cælum ſuſpiciens ingemuerit, atque illi dixerit, Hephethah, quod eſt adaperire, & ſtatim auriculæ eius apertæ fuerint, & uinculo linguæ eius ſoluto, recte loquutus fuerit. Legat & Lucam cap. 1. Vbi Zachariæ non ſine cæremonijs ſacrificanti, Angelus à dextris altaris apparens, Ioannis Baptiſtæ natiuitatem prænuntiat. Et 17. Chriſtus decem leproſis, ut ſe ſacerdotibus oſtenderent, mandauit: qui dum irent mundati ſunt. Item. 22. Cum ad oliuarum montem Chriſtus perueniſſet, ſuis dixit diſcipulis. Orate, ne intretis in tentationem. Et ipſe auulſus eſt ab eis, quantum iactus eſt lapidis, & poſitis genibus, orabat, &c. Quod ſi iſta non ſufficiant; videat, qui his non contentatur, & Ioannem cap. 9. de cæco nato, quem Chriſtus non ſine maximis illuminauit cæremoniis. Nam in terram primo expuit, & lutum ex ſputo fecit, & ſuper oculos eius lutum liniuit, atque illi dixit. Vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur miſſus. Abiit ergo, & lauit: & uenit uidens. Et. 11. Chriſtus, Lazari morte ei indicata, ſpiritu infremuit, & ſeipſum turbauit, & ſciſcitato eiuſdem ſepulturæ loco, lachrymatus eſt, ita ut ex Iudæis aliqui dicerent. Ecce quomodo amabat eum. Alij uerò. Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur? Deinde Iæſus rurſum fremens in ſemetipſo, uenit ad monumentum, & lapide ad Chriſti preceptum ab oſtio monumenti ſublato, eleuatis ſurſum oculis Pater, inquit, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. &c. Et hæc cum dixiſſet, voce magna clamauit. Lazare, veni foras. Et ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus. Et 13 Nonne & cœnam habemus Dominicam, magnis cæremonijs fuiſſe celebratam? Item. 20. Cum reſurrexiſſet, & diſcipulis ſuis apparuiſſet, illiſq; dixiſſet, Pax vobis, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos; inſufflauit, & dixit eis. Accipite Spiritum ſanctum, &c. Et Act. 13. Spiritu ſancto Apoſtolis indicante, vt ſegregarent ei Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſerat illos, tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſq; eis manus, dimiſerunt illos. Et Apoſtolus ad Timotheum 5. primæ. Manus cito nemini impoſueris. Quid horum, necnon & aliorum ſimilium infinitorum, ſine cæremonijs eſt peractum? Cum igitur omnia quæ-

Luc. 1. Luc. 17. Luc. 22. Ioan. 9. Ioan. 11. Ioan. 13. Ioan. 20. Act. 13. 1. Timo. 5.

cunque scripta sunt, ad nostram doctrinam sint scripta; quare in nostris obsequiis cæremoniis uti non debemus? præcipue cum cæremoniæ, nil aliud sint, q̃ ea, quæ exterius peraguntur, ad cultum diuinum celebrandum. Et nisi ipsas Christi fideles obseruarent, profecto, aut nullus, aut quàm frigidissimus foret Dei cultus. Fac (uti contra Lutherum art. 27. doctiss. ait Roffensis) ne quisquam leuet manus, ne ve genua flectat, aut ne tundat pectus, aut oret non uelato capite, aut non in pedes erectus stet, dum legitur Euangelium, aut id genus reliqua prætermittat; uidebis infra paucos dies, eam, quam uocas deuotionem, penitus euanescere. Nam ea, quæ in paucorum adhuc Christianorum pectoribus uiget, quanquam sit pertenuis illius cultus scintillula, cæremoniis tamen enutritur. Propterea sancti patres, tum ex traditione Apostolica, tum ex inspiratione diuina, cæremonias semper tanti fecerunt, illas nobis summopere commendantes, ut ex illorum scriptis quilibet uidere potest. Nam Tertullianus de corona militis, sic ait. Denique ut à baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius non aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit. Inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus: exq; ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ sacramentum, & in tempore uictus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum manu, quàm præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, uel geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis, aut panis etiam nostri, aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad uestitum, & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conuersatio exercet, frontem signaculo terimus. Harum, & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nulla legis traditio tibi prætendetur, auctrix consuetudo, confirmatrix, & fidei obseruatrix, &c. Idem in Apologetico, cap. 30. illuc,

Roffen.

Tertul.

(in

(in cælum .ſ.) ſuſpicientes Chriſtiani, manibus expanſis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubeſcimus: denique ſine monitore, quia de pectore oramus: precantes ſumus omnes ſemper pro omnibus Imperatoribus, uitam illis prolixam, Imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis, & Cæſaris uota ſunt. Idem eodem in loco, cap. tamen 16. Qua de re hinc gentilium ſuſpicio de Chriſtianis, ut ibidem ipſe refert Tertullianus, quaſi ſolem pro Deo haberent, orta eſt, ex eo ſcilicet, quòd innotuerat, nos ad Orientis regionem precari. Hoc ipſum pulcherrime deſcribit & Origenes in Homil. 5. ſuper lib. Numerorum dicens. In Eccleſiaſticis obſeruationibus ſunt nonnulla, quæ omnibus quidem facere eſt neceſſe, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam, quòd (uerbigratia) genua flectimus orantes, & quod ex omnibus cæli plagis ad ſolam Orientis partem conuerſi orationem fundimus, non facile cuiquam puto, ratione compertum. Sed & Euchariſtiæ, ſiue percipiendæ, ſiue eo ritu, quo geritur, explicandæ, uel eorum, quæ geruntur in baptiſmo uerborum, geſtorumque, & ordinum, atque interrogationum, ac reſponſionum, quis facile explicet rationem? Et tamen omnia hæc operta, & uelata portamus ſuper humeros noſtros, cum ita implemus ea, & exequimur, ut à Magno Pontifice, atque eius filiis tradita, & commendata ſuſcepimus. Quid autem ſuper his dicat Baſilius ille magnus in libro de Spiritu ſancto, cap. 27. audite. Si aggrederemur, inquit ipſe, non ſcripto proditas conſuetudines, uelut non magnam uim habentes reijcere; imprudentes etiam ipſis principalibus Euangelij partibus damnum inferremus, immo potius ipſam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus: uelut (uerbigratia) ut eius, quod primum, & communiſsimum eſt, primam mentionem faciam. Figura crucis ſignare eos, qui in nomen Domini noſtri Iæſu Chriſti ſpem habent, quis ſcripto docuit? Ad Orientem conuerſos eſſe nos, dum oramus, quæ ſcriptura nos docuit? Inuocationis uerba, dum oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis quis ſanctorum ſcripto nobis reliquit? Non .n. his contenti ſumus, quorum Apoſtolus, aut Euangelium mentionem fecit, ſed & ante, & poſtea quædam dicimus, uelut magnum robur ad my-

Origen.

Baſil.

ſteria habentia ex doctrina, ſcripto non prodita, aſſumpta. Benedicimus aquam baptiſmatis, & oleum unctionis, inſuperq; ipſum, qui baptizatur, ex quibus ſcriptis? Nonne à tacita, & arcana traditione? Ipſam uero olei illutionem quæ doctrina ſcripta docuit? At ter immergi hominem vnde eſt? Reliqua item, quæ circa baptiſma ſunt, renuntiare Satanæ, & Angelis eius, ex qua ſunt ſcriptura?. Nonne ex hac non publicata, & arcana doctrina, quam in minime curioſo, ac ſolicito ſilentio patres noſtri conſeruarunt? recte illi, utpotè docti, m ſteriorum reuerentiam, ac auctoritatem ſilentio cuſtodiri. Idem cap. 29. in eodem libro de Spiritu ſancto, ſic ait. Viſum eſt patribus noſtris beneficium ueſpertini luminis non ſilentio ſuſcipere, ſed ſtatim ut apparuit, gratias agere. Et quinam fuerit pater illorum uerborum lucernariæ gratiarum actionis, dicere non poſſumus: populus tamen antiquam edit uocem. & nemini utiquam impij putati ſunt, qui dicunt. Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum Dei. Cyprianus uero in ſermone, ac oratione Dominica ſic ait. In orationibus celebrandis inuenimus obſeruaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate uictores, horam tertiam, ſextam, & nonam, ſacramento ſcilicet Trinitatis, &c. Sed nobis præter horas antiquitus obſeruatas, orandi nunc & ſpatia, & ſacramenta creuerunt. Hilarius quoque in prologo ſuper lib. Pſalmorum. Sabbata Sabbatorum ea ab Apoſtolis religione celebrata ſunt, ut his Quinquageſimæ diebus, nullus neque in terram ſtrato corpore adoraret, neque ieiunio feſtiuitatẽ ſpiritualis huius beatitudinis impediret: quod idipſum extrinſecus etiam in diebus Dominicis eſt conſtitutum. &c. Ad huius rei corrobationem ait & Chryſoſt. in 2. Corin. cap. 13. Homil. 29. Veſtibulum, & ingreſſum templi oſculamur, mutuum oſculando. Nonne uidetis, cum etiam ueſtibula templi huius oſculantur? illi quidem flectentes, alij autem manu continentes, & ori manum admouentes, &c. Ambroſius autem Homil. 6. Omni hoc tempore (ſcilicet quod eſt inter Paſcha, & Pentecoſten) neque ad obſeruandum ieiunium indicamus, neque ad exorandum Deum genibus ſuccidamus: ſed ſicut Dominica ſolemus facere, erecti, & feriati reſurrectionem Domini celebramus. Deinde ibidem ſubinfert. Non ieiunamus in Quinquageſima (de Pentecoſte loquitur

[Margin notes: Cypria. — Hila. — Chryſoſ. — Ambro.]

loquitur) quia in his diebus nobifcum Dominus commoratur. Idem ad Auguftin.& matrem eius,ut refert Auguft.in epiftola.86.ad Cafulanum,fic ait. Ad quancunque Ecclefiam ueneritis,eius morem feruate, fi pati fcandalum non uultis, aut facere. Huic fententiæ affentiens & Hieronym.hæc in Dialogo aduerfus Luciferianos protulit uerba. Multa,quæ per traditionem in Ecclefijs obferuantur, auctoritatem fibi fcriptæ legis ufurparunt:uelut in lauacro ter caput mergitare,deinde egreffos lactis, & mellis prægustare concordiam ad infamiæ fignificationem,die Dominico, & per omnem Pentecoften nec de geniculis adorare,& ieiunium foluere,multaque alia,quæ fcripta non funt,rationabilis fibi obferuatio uindicauit. Idem in exhortatione ad Lucinum Beticum. Ego illud te breuiter admonendum puto. Traditiones Ecclefiafticas,præfertim, quę fidei non officiunt,ita obferuandas,ut à maioribus traditæ funt:nec aliorum confuetudinem aliorum contrario more fubuerti. Et Auguft.in epiftola ad Ianuarium,quę eft in uolumine epiftolarum eius 118. Quæ per loca terrarum,regionesq; uariantur, ficuti eft,quòd alij ieiunant fabbato,alij uerò non: alij quotidiæ communicant corpori, & fanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi fabbato tantum, & Dominico, alibi tantum Domico: etfi quid aliud huiufmodi animaduerti poteft.hoc genus rerum liberas habet obferuationes: nec difciplina ulla eft in his melior graui, prudentiq; Chriftiano, quàm ut eo modo agat, quo agere uidet Ecclefiam, ad quamcunque forte deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neq; contra bonos mores iniungitur; indifferenter eft habendum,& pro eorum,inter quos uiuitur,focietate feruandum eft. Idem ad eundem epiftola fequenti, cap.15. Poft Domini refurrectionem iam in figura non laboris, fed quietis, & letitię, & ieiunia relaxantur, & ftantes oramus, quod eft fignum refurrectionis. Vnde & omnibus diebus Dominicis, obferuatur id ad altare,& alleluia canitur,&c. Idem in.18.cap.eiufdem epiftolæ. Quę non funt, inquit, contra fidem,nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem uitæ melioris, ubicunque inftitui uidemus,uel inftituta cognofcimus, non folum non improbemus, fed etiam laudando,& imitando fectemur,fi aliquorum infirmitas non impedit, &c. Item cap. 17.pariter eiufdem epiftolæ ait. Ecclefia

Hieron.

Auguftin.

Dei

Dei inter multam paleam, multaq; zizania conſtituta, multa tolerat: & tamen quæ ſunt contra fidem, uel bonam uitam, non approbat, nec tacet, nec facit, &c. Idem de rectitudine catholicæ conuerſationis. Luminaria ſanctis locis, iuxta quod habetis, exhibete, &c. Ad Eccleſiam frequentius conuenite, ſanctorum patrocinia humiliter expetite, diem Dominicam pro reuerentia reſurrectionis Chriſti, abſq; ullo opere ſeruili colite, ſanctorum ſolennitates pro affectu celebrate, &c. Qui ægrotat, in ſola Dei miſericordia confidat, & Euchariſtiam cum fide, & deuotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Eccleſia petat, unde corpus ſuum ungatur: & ſecundum Apoſtolum, oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eũ Dominus, &c. Idem in libro de baptiſmo contra Donatiſtas lib. 4. c. 24. Quod uniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſsime creditur. Vnde & Cyrillus in Ioan. lib. 12. cap. 58. Iure ſanctæ congregationes die octauo in Eccleſijs fiunt, & foribus ſublimiore modo clauſis uiſibiliter ſimul, atq; inuiſibiliter Chriſtus omnibus apparet: inuiſibiliter quidem, ut Deus, uiſibiliter autem in corpore. Præbet enim nobis carnem ſuam tangendã, ut firmiter credamus, quia templum uere ſuum ſuſcitauit. Itẽ Theophilactus in. 19. cap. Lucæ. Tria uidemus in Eccleſia eſſe, purgationem, illuminationem, & perfectionem. Tres enim operationes illas ſortiti ſunt ordines. Diaconi purgant per inſtructionem, & doctrinam, Presbyteri illuminant per baptiſmum, Epiſcopi, & ſacerdotales ordines conſtituunt, & perficiunt, hoc eſt ordinant. Vides ordines cum operationibus, & neque plures, neque pauciores ordines. Illis ergo ſeruis diſtribuit decem mnas, hoc eſt dona, quæ unicuiq; data ſunt in utilitatem. Omnis enim, cuicunque concredita eſt præſidentia, etiam ſi indignus fuerit, donum habet ex unctione ſua: id quod magnũ diuinę miſericordię ſacramentũ eſt. Nonne & Conſtantinus Imperator (ut habetur in tripart. hiſt. lib. 1. cap. 10) diem honorabat Dominicã, quia in eo Chriſtus reſurrexiſſet à mortuis? Diem uero Veneris, quia in eo fuerat crucifixus? Concilium etiam Nicænum. 1. can. 20. Quoniam ſunt in die Dominica quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus Pentecoſtes; propterea eſt ita ſtatutum à ſancta Synodo (quoniam conſona, & conueniens per omnes Eccleſias cuſtodienda conſuetudo eſt)

Cyril.

Theophi.

Conſtan. Impera. Tripart. hiſt.

Conciliũ Nicæn. 1.

eſt) ut ſtantes ad orationem Domino uota reddamus. Poſſem & infinitas alias ſanctorum Patrum ad hoc adducere auctoritates, & ſententias: uerum ne ob nimiam prolixitatem tedio lectorem afficiam; his Burgenſis arrogantiæ ſatisfeciſſe uolui: præcipuæ cum crediderim me ſatis oſtendiſſe, ritus & cæremonias Eccleſiaſticas ſuperſtitiones non eſſe Papiſticas, ſed ſanctiones, inſtitutionesque Deo gratiſsimas, nobis, patribus mediantibus, partim diuinitus, partim ex Apoſtolorum traditione datas, atque exhibitas fuiſſe: uti ex ſupradictis poteſt quis percipere. Hæc pro ritibus, & cæremonijs Eccleſiaſticis ſufficiant.

De traditionibus humanis. Artic. VI.

CVm nonnulli inter hęreticos peruerſiſsimi, quorum unus Annas fuit Burgenſis, qui tanquam equites equo inſidentes, diuerſas ſacrarũ ſcripturarum, præcipue Chriſti apud Matthæum. 15. & Marcum. 7. ſententias detorquendo, hominum traditiones uniuerſaliter omnes prorſus contemnere, atque reſpuere auſi fuerint; dignum iudicaui ſpecialem ſuper his, & breuẽ facere ſermonem: ut unuſquiſque certus fiat, quænam amplexandę, & quæ reſpuendæ ſint hominum traditiones. Triplicem enim humanarum traditionum ex ſcripturis colligo ſpeciem. quarum aliquæ, & non paucæ, ex diametro aduerſantur Dei uerbo: quemadmodum eſt propinandi traditio, amicitiæ gratia, uſque ad ebrietatem. Quę (ut per quàm optime ait Auguſtin. ad ſacras uirgines) eſt flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo uitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tempeſtas linguę, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſsio temporis, inſania uoluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus uitę, honeſtatis infamia, animæ corruptela. Quapropter Paulus Apoſtolus Romanos, ut ſe ab ipſa ebrietate abſtinerent, hortabatur dicens. Abijciamus ergo opera tenebrarũ, & induamur arma lucis. Sicut in die, honeſte ambulemus: non in commeſſationibus, & ebrietatibus, &c. Et id genus quàm plurima alia, quę breuitatis gratia cenſui eſſe omittenda. quę prorſus omnia tanquam ignis à nobis ſunt uitanda, quamuis ſub pietatis nomine fuerint inſtituta. quemadmodũ Iudæorum erant traditiones,

Auguſti.

Rom. 13.

tiones,& mandata, quibus Scribæ, & Pharisæi sub falsæ pietatis umbra pueris persuadebant, ne quid parentibus in suis ne-
Exod 20. cessitatibus darent, contra illud quod habetur Exod.20, Honora patrē tuum,& matrem tuā, ut sis lōgæuus super terram, Et
Deut.5. Deut.5. Honora patrē tuum, & matrē tuam, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, &c. sed offerrēt in thesauro: docentes eos, ut dicerent. Donum Dei est, id est oblatum Deo. Quapropter parentes sic à filijs relinquebantur, atque contemnebantur. Et
Matt. 15. ideo Christus ipsos apud Matth. 15. increpabat dicens. Quare & uos transgredimimi mandatum Dei propter traditionem uestram? Nam Deus dixit. Honora patrem,& matrem. &, Qui maledixerit patri, uel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri, uel matri, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit. & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem uestram.
Marc.7. Et idem fere Marci.7. habetur. Super quibus
Chryso. uerbis apud Matth. descriptis, ait Chrysost. Pietatis simulatione
Hieron. despicere parentes adolescentes fuerunt eruditi. Et Hieron. Præmissam enim prouidentissimam Dei legem uolentes Scribæ, Phariseiq; subuertere, ut impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, ut si quis ea, quæ parentibus offerenda sunt, Deo uoluerit soluere, qui uerus est pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus. Deinde subinfert. Ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. atque ita fiebat, ut oblatio liberorum sub occasione templi, &
Theophilactus. Dei, in lucra cederet sacerdotum. Theophilactus autem super isdem uerbis, apud Marcū tamen positis, sic ait. Volentes enim Pharisæi, quæ offerebantur, comedere; instruebant filios, quòd cùm peculia aliqua habebant, & parentes hæc peterent, responderent illis, Corban, hoc est donum, quod à me petis, iam obtuli Domino: & ita hæc non exquirerent, quasi Domino oblata, id est ad salutem parentum proficua. & sic decipiebant filios, ut parentes non honorarent, & ipsi oblata deuorarēt. Hæc sunt,
Tertul. ut ait etiam Tertul. de præscript. hæreticorum, doctrinæ hominum, atque dæmoniorum, prurientibus auribus natæ de ingenio sapientiæ secularis. Tales, & alias similes hominum tra-
Matth.15. ditiones uerbo Dei aduersantes, apud Matth. 15. corrigit, increpatque Dominus dicens. Sine causa autem colunt me, do-

centes doctrinam, & mandata hominum. & non uniuerfaliter omnes, quemadmodum in primo articulo afferebat Burgenfis, & ceteri Ecclefiafticarum traditionũ deftructores uolunt, hanc Chrifti fententiam detorquendo. quod oftendit Apoftolus Paulus ad Titum. 1. quafi hanc Chrifti doctrinam fuperius apud Matthęum pofitam explicando dicens. Increpa illos dure, ut fani fint in fide, non attendentes à Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerfantium fe à ueritate. Vnde & Coloffenfes, ut fe ab his hominum traditionibus abftinerent, Apoftolus admonebat dicens. Videte, ne quis uos decipiat per philofophiam, & inanem fallaciam, fecundum traditionem hominum, fecũdum elementa mundi, & non fecundũ Chriftum, &c. Et hoc ideo, ne homo fimul pereat, iuxta illud Ecclefiaft. 14. Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui facit illud, corruet in illo. Nam huiufcemodi hominum mandata ualde funt corruptibilia, quia firma non habent fundamẽta, ut quàm optime & fapiens oftendit Sapien. 4. cum ait. Adulterinę plantationes non dabunt radices altas: quapropter eas euelli, eradicarique eft neceffe. De quibus loco, ut fupra, Chriftus nos admonere, certosque uoluit facere dicens. Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cęleftis, eradicabitur. de huiufmodi enim humanis traditionibus ibidẽ loquebatur Chriftus. Aliæ uero funt, quæ etfi fecundum fe legi Dei non fint contrariæ; nihilhominus, quia Dei mandatis multoties præponuntur, tunc malæ ab hominibus redduntur. quemadmodum nonnullæ feniorum popoli Ifraelitici traditiones erant, de quibus mentionem facit Marcus. 7. dicens. Pharifæi enim, & omnes Iudæi, nifi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem feniorum: & à foro uenientes nifi baptizentur, non comedunt. & alia multa funt, quæ tradita funt illis feruare, baptifmata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum, &c. Quę omnia, & id genus alia ex natura fua, non funt mala, neque legi Dei contraria, cum ad folam ciuilitatem, & morum politiam fpectent, quibus & nos maiori ex parte, ipfius politiæ gratia, fruimur, & gaudemus: & utinam peiora illis non apprehenderemus. At cum non pauci inter mortales Dei mandata contemnant, refpuantque, & huiufcemodi hominum traditiones, quàm libentifsime amplectantur, male, & peruerfe, atque inique pręcepta Dei tra-

Tit. 1. Coloff. 2. Eccle. 14. Sapien. 4. Matt. 15. Marc. 7.

Hierony. ditionibus hominum postponendo, ut testatur & Hierony. in 7. Marci dicens. Sæpe enim traditionibus hominum mandata Dei cedunt. De quorum numero erant Iudæorum Scribæ, & Pharisæi: qui cum Christi discipuli nil horum obseruarent, & ad Christum propterea accessissent, ipsum interrogantes,
Marc.7. ac dicentes, Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? ideo Christus eis respondendo, ipsos eodem in loco arguebat dicens. Bene prophetauit Esaias de uobis hypochritis, sicut scriptum est. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. in uanum autem me colunt docentes, doctrinas, & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptismata urceorum, & calicum: & similia his facitis multa. Deinde subintulit illis. Bene irritum fecistis præceptum Dei, ut traditionem uestram seruetis. Ecce Christus has Iudæorum traditiones, ad politiam spectantes, tãquam malas absolute non arguit: sed Iudæos ipsos illis adherentes, & mandatum Dei derelinquentes increpat. Aliæ demum sunt hominum traditiones à principibus, & alijs superioribus institutæ: quas, etsi ad cultum Dei non ordinentur, dummodo mandatis Dei, & bonis moribus non contrarientur, omnino (uti etiam superius in articulo immediate præcedenti, in epistola ad Ianuarium, duobus in locis docebat Augustinus) obseruare debemus: præceptis tamen
Tit.3. Dei non omissis. ad cuius corroborationem ad Titum. 3. ait Apostolus. Admone illos, principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. Si igitur omnibus potestatibus est subijciendum, illorum dicto obediendo, & ad omne opus bonum, per eos nobis iniunctum, nos præsto esse; quanto magis in his, quæ ad Dei cultum per ipsos ordinantur, & nobis ab illis traduntur, eis obedire, atque exequutioni illa mandare tenemur, atque astringimur? præcipue cum
Hebr.13. dicat Apostolus ad Hebræos 13. Obedite præpositis uestris, & subiacete eis: ipsi enim reddituri sunt rationem pro animabus uestris. Ex his itaque conijcere quis potest, quę hominum traditiones sint prorsus uitandæ, & quæ, cum grano tamen salis, obseruandæ, & quę omnino sint amplexandæ, & exequutioni mandandæ, præcipuę quæ ad animarum salutem sunt institutæ: de quibus superioribus in articulis dictum est satis.

De festis

De feſtis diebus. Artic. VII.

INter alios Valdenſium impiorum, ac ſceleratiſsimorum hominum errores hic unus fuit articulus, ꝙ nulla die ab opere ſit ceſſandum, niſi quæ Dominica nunc appellatur. Cuius opinionis, ut nonnulli uolunt, Armeni præ ceteris fuerunt, & Neſtoriani: quos in hoc ſecutus Vuicleffus, ne à Valdenſium doctrina deficeret, quam in omnibus ſe defenſurum, aucturumque iurauerat, pleroſque alios, Ioannem Hus, Lutherum cum Anabaptiſtis, & nunc ferè Annam Burgenſem ad huius erroris traxit perniciem. Burgenſis enim non contentus ſe in communi Romani Pontificis ſanctionibus detraxiſſe, uoluit & in ſpeciali ipſius, immo dicam Eccleſiæ, nonnulla impugnare decreta. Cuius rationibus ſigillatim, quemadmodum ſuperius pollicitus ſum, ſatiſfacere decreui. Nam primo dies feſtos reſpuit dicens.

Omnes Papæ Romani conſtitutiones repudio, atque abiudico, quippe qui uel ſapientior Chriſto, eiuſque Apoſtolis uideri uult, uel certe ei aduerſari. nam Exodi cap. 20. Deus ſic iubet. Sex Dies operabimini, ſeptimo quieſcetis. At Papa ſapientiorem Deo ſe ſtatuens, certis quibuſdam diebus, arbitrio ſuo delectis, & conſtitutis, uetat opus facere. Hic unus illorum eſt, qui plerunq; ſpiritualia Chriſtianorum feſta celebrare reſpuunt, & ſibi ocioſa, ſenſualiaq; feſta, & plura, appetere, inducereq; conſueuerunt. quapropter non parum mirari poſſum, prę cipue cum Burgen. tali ridiculoſa probatione id alijs perſuadere nitatur, & ſeipſum ſacrarum literarum prorſus ignarum eſſe oſtendat. Romanũ enim Pontificem tanquam Chriſto, & Apoſtolis ſapientiorem ſe faciẽtem, uel ipſis aduerſantem increpat, ex eo, quòd ultra ſeptimum diẽ in hebdomada opus facere uetuerit, quaſi à Chriſto, uel diſcipulis eius, oppoſitum fuerit inſtitutum, atq; mandatum. quod auctoritate Exodi conatur oſtendere: ac ſi Chriſti, uel Apoſtolorum tempore deſcriptus fuiſſet liber ille, uel ſaltem in hoc acceptatus, atque commendatus. O fatuitatem, ò inſaniam, ò ignorantiam huius hominis maximam. Vbi nam in ſacris nouis reperies literis hoc fuiſſe approbatum, & à Chriſto, uel ab Apoſtolis nobis mandatum? porrò nuſquam. Si uero pro huius auctoritatis confirmatione ad uetus Teſtamentum eſſet recurrendum; nonne ſacrarum literarum te prorſus ignarum eſſe oſtendis? cum non à Pontifice Romano, ſed ab eodem, qui apud Exodum 20. ſeptimo die

ab omni opere quiescere mandauit (quia Sabbatum Domini Dei erat) multis certis quibusdam diebus alijs delectis, atque constitutis, opus facere in diuersis antiquarum scripturarum locis, uetitum, atque prohibitum fuerit. Condonandum nempe est huius nequissimi uiri ignorantiæ, sed non ipsius temeritati, & audaciæ: qui cum purus iurista esset, & sacra illa uolumina, labijs uix attigisset; de ipsis temerarie, & ne quissime ausus fuerit sententiam proferre. Si enim in sacris uoluminibus à uigesimo Exodi ultro legendo, atque intelligendo progressus fuisset, non à tanta temeritate apprehensus esset, ut unam tantum festiuitatem admitteret, & Pontificem Romanum condemnaret: cum ultra septimum diem, plerasque alias Deus sanctificandas instituerit, atque mandauerit, Festũ sab. uti de singulis descriptionem quis legere poterit. Primo equidem septimam hebdomadę diem sanctificari præcepit, uti Exod. 20. apud Exod. 20. dicebat Burgensis: ubi sic legitur. Memento, ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis: & facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei Exod. 16. 23. 35. Leuit. 23. Num. 28. tui est. Non facies omne opus in eo, &c. Quod idem habetur superius cap. 16. & infra 23. & 35. Leuitici 23. de quo & 28. Numeri fit mentio. Et hoc in cunctarum rerum creationis memoriam: quia in eo rerum creationi finem imposuerat Deus. Genes. 2. Genes. 2. Igitur perfecti sunt cæli, & terra: & omnis ornatus eorum. compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat: & requieuit die septimo ab uniuerso opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus, ut faceret. Quapropter hanc septimi diei solennitatem in qualibet hebdomada iterari erat necesse. Altera uero Hebræis erat à Deo instituta solennitas, Neomeniæ scilicet, quæ Fest. Neomeniæ. Num. 28. in singulis mensium calendis iterebatur. Numeri 28. In calendis autem, id est in mensium exordijs, offeretis holocaustum Domino, &c. Deinde. Hoc erit holocaustum per omnes menses: qui sibi anno uertente succedunt. Et hoc ad diuinæ gubernationis opus commemorandum. Et quia duo ista beneficia uniuersali naturę humanę sunt communia; ideo in horum commemoratione frequentius ipsorum iterabãtur festa. Alia uero subsequentia semel tantum in anno celebrabantur solennia, ad recolenda in eis beneficia illi populo specialiter exhibita.

exhibita. Nam prius ſolennitatem azimorum, Phaſe uideliſcet, cuſtodiebant. Exodi 23. Tribus uicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis. Solennitatem quoque azimorum cuſtodies, quæ 14. die menſis primi, hoc eſt Aprilis, uti inferius oſtendetur; ſub ueſperam incipiebat: & uſque ad uigeſimum primum eiuſdem menſis pariter ſub ueſperam perſeuerabat. Exodi 12. Primo menſe 14. die menſis, ad ueſperam comedetis azima, uſque ad diem 21. eiuſdem menſis ad ueſperam, &c. Et prima die, & ultima ab omni opere ſeruili omnes abſtinere Deus mandauerat. Leuit. 23. Hæ ſunt ergo feriæ Domini ſanctæ, quas celebrare debetis temporibus ſuis. Menſe primo 14. die menſis ad ueſperam Phaſe Domini eſt: & 15. die mẽſis huius ſolennitas azimorum Domini eſt. Septem diebus azima comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, ſanctusq;. Omne opus ſeruile non facietis in eo: ſed offeretis ſacrificium in igne Domino ſeptem diebus. Dies autem ſeptimus, erit celebrior, & ſanctior: nullumq; ſeruile opus facietis in eo. Eadẽ & 28. Numeri habentur uerba. Huius etiam ſolennitatis mentionem facit Ioan. 2. cum ait. Et prope erat Paſcha Iudęorum, & aſcendit Iæſus Hieroſolymam. Et hoc porrò feſtum ad commemorandum beneficium liberationis ex Aegypto celebrabatur. Exod. 12. Et cum dixerint uobis filij ueſtri, Quæ eſt iſta religio? dicetis eis. Victima tranſitus Domini eſt, quando trãſiuit ſuper domos filiorum Iſrael in Aegypto, percutiens Aegyptios, & domos noſtras liberans, &c. Et quia in menſe Aprili, in quo omnia ex terra uernantur, hæc facta fuit liberatio; ideo in tali menſe, qui & primus uocabatur, talis ſancta ſolennitas celebrabatur. Deuteronomij 16. Obſerua menſem nouarum frugum, & uerni primum temporis, ut facias Phaſe Domino Deo tuo: quoniam in ipſo mẽſe eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte, &c. Deinde feſtiuitatem primitiuorum, hoc eſt Pentecoſtes, quando meſsis primitiæ offerebantur Domino, Deus celebrari mandauit. Exod. 23. Poſtquam dixerat Deus, Tribus uicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis, & primum quid eſſet, explicaſſet, ſecundum indicauit dicens, Et ſolennitate meſsis primitiuorum operis tui, quæcunque ſeminaueris in agro. Et Numeri 28. Dies etiam primitiuorum, quando offeretis nouas fruges Domino, expletis hebdomadibus, uenerabilis & ſancta erit. Omne opus ſeruile non facietis

Feſtum Phaſe. Exo. 23.

Exo. 12.

Leuit. 23.

Num. 28. Ioan. 2.

Exod. 12.

Deut. 16.

Feſtũ primiti. i. Pẽtecoſt. Exod. 23.

Num. 28.

facietis in ea. Dicit autem hanc primitiuorum solennitatem celebrandam fuisse, expletis hebdomadibus: quia à festo Phase, usq; ad primitiuorum solennitatem, septem interposuerat hebdomadas: qua de re & hebdomadarum festiuitas nuncupabatur. Deut. 16. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris: & celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo. Dies uero, qua falcem in segetem mittebant, erat dies Phase: non quia tunc communē frugum messem inciperent; sed quia spicæ magis maturitati appropinquantes, tunc secabantur: quæ Domino Deo tunc tēporis offerebantur. Nam ter in anno soluebantur primitiæ, Primo in Paschate de nouis granis, siue spicis. Secundo in Pentecoste de nouis panibus. Tertio in festo tabernaculorum de omnibus nouis fructibus. Et de hac tertia oblatione inferius loco suo dicetur. Prima igitur oblatio tempore azimorum facienda erat: & hoc in die immediate sequenti post solennitatē, quæ 15. mensis celebrabatur, erat peragendum. Leuit. 23. Postquā descripsit tēpus Phase inquiens, Mense primo 14. die mensis, ad uesperā Phase Domini est: & 15. die mēsis huius solēnitas azimorū Domini est, &c. subintulit & tēpus oblationis spicarū dicens. Cū ingressi fueritis terrā, quam ego dabo uobis, & messueritis segetē; feretis manipulos spicarū, primitias messis uestræ, ad sacerdotē. Qui eleuabit fasciculū eorū Domino, ut acceptabilis sit pro uobis: altero die sabbati (hoc est 16. die eiusdē mēsis) & sanctificabit illū, &c. Altera uero oblatio erat faciēda post integras septē hebdomadas, à die incipiendo, qua facta fuerat oblatio prima, q̄ erat 16. ita ut dies essent nouē, & quadraginta, & cū die sequēti, in qua solēnitas erat celebrāda, oblatioq; faciēda; quinquaginta. Leuit. 23. Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulū primitiarū, septē hebdomadas plenas, usq; ad alteram diē expletionis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis uestris: panes primitiarum duos, &c. Hoc autem celebrabatur festum, ad legis datæ beneficium recolendum: quæ quidem lex eis data fuerat quinquagesima die ab exitu ipsorū ex Aegypto. De qua quidē solennitate mentionē facit & Ioannes Euangelista, cap. 5. dicens. Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iæsus Hierosolymam. Iste enim dies festus Iudæorum erat festum

[Margin notes: Deut. 16. — Leuit. 23. — Leuit. 23. — Ioan. 5.]

stum Pentecostes, ut testatur etiam eo in loco Ioann. Chryso- stomus. Alia uero solennia habebant Iudæi festa, quæ in mense celebrabantur septimo, hoc est Octobri, qui apud eos, totus quasi, sicut & septimus dies, solennis erat. In prima enim die mensis illius tubarum festum celebrare tenebantur. Leuitici 23. Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens. Loquere filijs Israel. Mense septimo, prima die mensis, erit uobis sabbatum memoriale clangentibus tubis: & uocabitur sanctum. Omne opus seruile non facietis in eo: & offeretis holocaustum Domino. Et Num. 29. Mensis etiam septimi prima dies uenerabilis, & sancta erit uobis. Omne opus seruile non facietis in ea: quia dies clangoris est, & tubarum. Hoc autem in liberationis Isaac fiebat memoriam: quando Abraham inter uepres arietem cornibus inuenit herentem, & illum Domino pro filio obtulit in holocaustum: quam Hebræi cornibus repræsentabant, quibus buccinabant. Erat etiam hæc tubarum, & clangoris festiuitas, quasi inuitatio quædam, & præparatio ad festa uentura, in eodem mense subsequentia, expiationis scilicet, & tabernaculorum, atque cætus, & collectæ. Nam decima die huius mensis celebrabatur ab ipsis festum expiationis: Num. 29. Decima quoque dies mensis huius septimi erit uobis sancta, atque uenerabilis, & affligetis animas uestras. Omne opus seruile non facietis in ea, &c. Et hoc in memoriam illius beneficij, quo Deus propitiatus est peccato populi de adoratione uituli, ad preces Moysi. Leuit. 23. Decimo die mensis huius septimi dies expiationum erit celeberrimus, & uocabitur sanctus, affligetisq; animas uestras in eo. & offeretis holocaustum Domino. Omne opus seruile non facietis in tempore diei huius: quia dies propitiationis est, ut propitietur uobis Dominus Deus uester, &c. Post hoc autem celebrabatur, collectis omnibus tum segetum, tum uini frugibus, festum Scenophegię, id est tabernaculorum, septem diebus. Deut. 16. Solennitatem quoq; tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area, & torculari, fruges tuas, &c. Et hæc est una, & tertia illarum trium solennitatum, de quibus dicebam in superioribus ex 23. Exodi, in quibus ex frugibus terræ oblatio facienda erat Domino Deo. Ideo hæc non nisi post collectionem omnium frugum celebrabatur. Exod. loco superius assignato. Tribus uicibus per sin-

[Margin notes: Chrysost. — Festũ tubarum. Leuit. 23. — Num. 29. — Gen. 22. — Festum Expia. — Num. 29. — Leuit. 23. — Festum Scenoph. Deut. 16. — Exod. 23.]

gulos annos mihi festa celebrabitis, solennitatem azimorum, & solennitatem messis primitiuorum, solennitatem quoq; in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.
Deut. 16. Item Deut. 16. Tribus uicibus per annũ apparebit omne masculum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, in solennitate azimorum, & in solennitate hebdomadarũ, & in solennitate tabernaculorum. Hæc autem septem dierum solennitas initium habebat 15. die huius mensis septimi, cu-
Leuit. 23. ius dies prima celeberrima erat. Leuitici 23. Et locutus est Dominus ad Moysen dicens. Loquere filiis Israel. A quinto decimo mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino, dies primus uocabitur celeberrimus, atque sanctissimus. Omne opus seruile non facies in eo: & se-
Num. 29. ptem diebus offeretis holocausta Domino. Idem Num. 29. Quintadecima uero die mensis septimi, quæ uobis sancta erit, atque uenerabilis, omne opus seruile non facietis in ea, sed celebrabitis solennitatem Domino septem diebus, offeretisque holocaustum in odorem suauissimum Domino. Et hoc ad diuinæ protectionis, & deductionis per desertum, ubi in taber-
Leuit. 23. naculis habitauerunt, commemorandum beneficium. Leuit. 23. Mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in umbraculis septem diebus. Omnis, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, ut discant posteri uestri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Aegypti Ego Dominus Deus uester. Vnde hoc in festo pulcherrimæ arboris fructum habere debebant, id est citrum, & lignum densarum frondium, hoc est myrtum. quæ sunt odorifera, & spatulas palmarum, & salices de torrente, quæ diu suum retinent uirorem, quæ quidem in terra promissionis inueniebantur, ad quam à Domino Deo ducebantur, ad significandum, quòd per aridam terrã deserti eos deduxerat Deus
Leuit. 23. ad terram deliciosam. Leuit. 23. Sumetisq; uobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasq; palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini corãm Domino Deo uestro, celebrabitisq; solennitatem eius septem diebus per annum. legitimum sempiternum erit in generationibus uestris. De qua quidem solennitate mẽtio fit apud
Ioan. 7. Ioan. 7. ubi sic legitur. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum, id est Scenophegiæ, hoc est Tabernaculorum. Super

quibus

quibus uerbis ait August. Quid hic Scenophegia? qui scripturas legerunt, nouerunt. faciebant tabernacula in die festo, ad similitudinem tabernaculorum, in quibus habitauerunt, cum ex Aegypto educti peregrinarentur in heremo. celebrabant ex hoc diem festum: reminiscentes beneficiorum Domini, qui tamen occisuri erant Dominum. Octauo autem die aliud festũ, scilicet cætus, atque collectæ, celebrabatur: quod solennissimum erat. Leuit. 23. Dies quoq; octauus erit celeberrimus, atque sanctissimus: & offeretis holocausta Domino. Est .n. cætus, atque collectæ. Omne opus seruile non facietis in eo, &c. Deinde subintulit. A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ uestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus. Die primo, & die octauo erit Sabbatum, id est requies. Item Num. 29. Die octauo, qui est celeberrimus, omne opus seruile non facietis: offerentes holocaustum in odorem suauissimũ Domino, &c. Dicitur autem festum cætus, atq; collectæ, quia in eo die à populo ea colligebantur, quæ ad diuini cultus expensas erant necessaria, tũ quia in tali die populus ipse, ad diuinis uacandum, & à seruilibus operibus cessandum, adunari debebat, seu colligi. Præter has autem Iudæorum solennitates, pleraque alia illi adhuc celebrabant festa, unum præcipue in memoriam uictoriæ contra Holofernem habitæ, Iudith mediante. Nam in ipsius lib. cap. 16. sic legitur. Dies autem uictoriæ huius festiuitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore usq; in præsentem diem. Aliud autem ad commemorandum liberationis beneficium à persequutione Aman, ipsis ab Hester præstitum. Hest. 16. Tertiadecima .n. die mensis duodecimi, qui uocatur Adar. Hanc enim diem Deus omnipotens mœroris, & luctus eis uertit in gaudium. Vnde & uos inter ceteros festos dies, hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia: ut & in posterum cognoscatur, omnes, qui fideliter Persis obediunt; dignam pro fide recipere mercedem: qui autem insidiantur regno eorum; perire pro scelere. Omnis autem prouincia, & ciuitas, quæ noluerit solennitatis huius esse particeps; gladio, & igne pereat: &c. Insuper & magnum dedicationis templi habebant festum: quod quidem nõ absque Dei uoluntate fuerat institutum, præcipue cum templũ ex Dei iussu fuerit constructum: in quo fiebant sacrificia, &

August.
Festũ cætus.
Leuit. 23.
Num. 29.
Festum victoriæ Iudith.
Iudith 16.
Festum liberat. à persequutione Aman.
Hest. 16.
Festũ dedicationis templi.

Deo offerebantur holocausta, atq; Iudæorum exaudiebantur à Deo precamina. Nam primo illud iussit construi sub nomine
Exo. 25. portatilis tabernaculi, quod & sanctuarium nominabat. Exo. 25. inquit Deus ad Moysen. Facientq; mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum, iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi: & omnium uasorum in cultũ eius: Sicq; facietis illud. Arcam de lignis Sethim compingite, &c. Et
Exod. 40. Exodi 40. Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens. Mense primo, die prima mensis eriges tabernaculum testimonij: & pones in eo arcam, dimittesq; ante illam uelum: & illata mensa pones super eam, quæ rite præcepta sunt. Candelabrum stabit in lucernis suis: & altare aureum, in quo adoletur incensum coràm arca testimonij, &c. Deinde. Omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum. Applicabisq; Aaron, & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aqua indues sanctis uestibus, ut ministrent mihi: & unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. Fecitq; Moyses omnia, quæ præcepit Dominus. Igitur Mense primo anni 2. in prima die mensis, collocatum est tabernaculum. Erexitq; illud Moyses: & posuit tabulas, ac bases, & uectes: statuitq; columnas, &c. In ipsius uero dedicationis die, maximam celebrauerunt festiuitatem diuersa munera coràm Domino offerentes.
Num. 7. Num. 7. Factũ est autem in die, qua compleuit Moyses tabernaculum, & erexit illud, unxitq; & sanctificauit cum omnibus uasis suis; altare similiter, & omnia uasa eius: obtuleruntq; Principes Israel, & capita familiarum, quę erant per singulas tribus præfecti eorũ, qui numerati fuerãt, munera coràm Domino, &c. Et infra. Igitur obtulerũt duces in dedicationem altaris die, qua unctũ est, oblationem suam ante altare. Dixitq; Dominus ad Moysen. Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris, &c. Deinde loco huius tabernaculi templo firmo, atq; pulcherrimo sub Salomone constructo, omnibusq; sacris rebus ad Dei tabernaculũ spectantibus, in eo à sacerdotibus, & Leuitis, magna cum reuerẽtia repositis, ipsoq; tẽplo gloria Domini impleto (nã cũ exissent sacerdotes de sanctuario, nebula impleuerat domum Domini, & non poterãt sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam) maximum huius templi
3. Reg. 8. dedicationis celebrauerunt festiuitatem. 3. Reg. 8. Fecit ergo
1. Esdr. 6. Salomon in tempore illo festiuitatẽ celebrem: & omnis Israel cum

cum eo, multitudo magna ab introitu Emath uſque ad riuum Aegypti, coràm Domino Deo noſtro, ſeptem diebus, & ſeptem diebus .i. quatuordecim diebus. Secundò demum, templo à Zorobabel filio Salathiel, & Ioſue filio Ioſedech, iubentibus Cyro, & Dario, & Artaxerxe regibus, reædificato, fecerunt Iſrael ſacerdotes, & Leuitę, & reliqui filiorum tranſmigrationis, dedicationem domus Dei in gaudio: & obtulerunt in dedicatione domus Dei uitulos centum, &c. De qua quidem templi dedicatione etiam. 12. Nehemiæ fit mentio. Vltimò eodem tēplo, iterum ab Antiocho profanato, per Iudam Machabæum mundato, atq; Deo conſecrato, non parua à populo in ipſius tēpli dedicatione habita eſt per octo dies lætitia. 1. Macha. 4. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo: & obtulerunt holocauſta cum lætitia, & ſalutaria laudis. Et ornauerunt faciem templi coronis aureis, & ſcutulis, & dedicauerunt portas, & paſtophoria, & impoſuerunt eis ianuas: & facta eſt lætitia in populo magna ualde: & auerſum eſt opprobrium gentium. Et ſtatuit Iudas, & fratres eius, & uniuerſa Eccleſia Iſrael, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis, ab anno in annum per dies octo à quinta, & uigeſima die menſis Caſleu, cum lætitia, & gaudio. Quæ quidem dedicationis ſolennitas uſque ad Chriſti aduentum fuit obſeruata, & à Chriſti preſentia honorata. Ioan. 10. Facta ſunt autem Hencenia in Hieroſolymis, hoc eſt, ut ait Aug. ſolennitas dedicationis. Et hyems erat, & ambulabat Iæſus in templo in porticu Salomonis. Porticus autē Salomonis illa dicebatur, ut ait & Alcuinus, ubi rex ille ad adorandū ſtare conſueuerat: & ideo ex eius nomine cognominabatur. Et niſi iſta feſtiuitas ex Deo fuiſſet; Chriſtus profectò ad illam non acceſsiſſet. In hac autem ſolennitate, uti ait & Chryſoſt. Chriſtus cum multo adfuit ſtudio: quę quidem ſolennitas in memoriam illius, quam Iudas Machabæus celebrauerat, obſeruabatur. Ad cuius confirmationem ſuper uerbis Ioannis ait Alcuin. Hæc dedicatio in memoriam illius erat dedicationis, quam Iudas Machabæus fecit. Prima enim dedicatio à Salomone facta eſt, tempore autumni. Secunda à Zorobabel, & Iæſu ſacerdote tempore ueris. Hęc autē tempore hyemali. Vnde ſequitur; Et hyems erat. Ecce igitur pter ſeptimū diē in hebdomada, multos alios certos dies, nō à Romano Pontifice, ſed à Deo electos, atq; cōſtitutos fuiſſe: quibus opus

[Margin notes: Nehe. 12. — 1. Mach. 4. — Ioan. 10. — Auguſt. — Alcuin. — Chryſoſ. — Alcuin.]

facere, non Pontifex Romanus, sed Deus ipse uetuit, atq; prohibuit. Quas tamen Iudæorum festiuitates nos in Christũ credentes celebrare prohibemur, ne cum Burgensi & nos pariter iudaizare uideamur, qui tãquam Iudæus diem septimum, hoc est Sabbatum, sanctificandum esse, more Iudaico, insinuabat: cum in cruce Saluatoris nostri Iæsu Christi, dicente Domino,
Ioan. 19. consumatum est, omnia Iudæorum legalia cessauerint, & festa. in cuius rei signum uelum templi scissum fuisse testantur
Matth.27. & Mar.15. & Luc.24. tres Euangelistæ. Super quibus uerbis, apud Lucam positis, ait Ambr. Velum templi scinditur, quo duorum populorum diui-
Ambro. sio, Synagogę profanatio declaratur. Scinditur uelum uetus, ut Ecclesia noua fidei suæ uela suspendat. Synagogæ uelamen suspenditur, ut religionis interna mysteria reuelata mentis cernamus intuitu. Quòd autem legalia ipsa tunc fuerint impleta,
Colos. 2. aperte Apostolus ad Col.2. de circuncisione loquendo, quæ primum inter legalia tenebat locum; insinuat dicens. In quo (scilicet Christo) & circuncisi estis circuncisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo: in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis, &c. Si ergo circũcisio, quam tanti faciebant Iudæi, tanquam figura in figuratũ, in ipsum Christi baptisma est transmutata, ibiq; adimpleta; quanto magis dicendum est de alijs legalibus, quę non tantum eis erant commendata, ueluti festa, quæ mere futurorum erãt umbra, in passione Christi esse completa? Ideo dicebat Apo-
Colos. 2. stolus ad Colos. loco superius assignato. Nemo ergo uos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Neque mirum. Est enim naturale, umbram suo superuenienti corpori locum cedere. Non est enim umbra sine corpore: ita ꝙ si quis aliquam uiderit umbram, corpus immediate sequi iudicabit: quo apparente, umbram euanescere est necesse. Si itaque superuento Christi corpore, omnia Iudæorũ festa, tanquam huius corporis umbra, cessarunt; quomodo amplius celebrabuntur? In Christo igitur omnia illa, quæ Christi erant umbra, & quem figurabant, finem habuerunt. Ideo ne iudaizare comprehendamur, prorsus Iudæorum solennia respue-
Synod. Laod. ca. 29. re tenemur: sed alia per illa figurata amplecti, atque celebrare astringimur. Ad cuius corroboratione͂, Synodus Laod. cap. 29.

de solennitate Sabbati loquendo, hoc protulit decretum. Non oportet Christianos iudaizare, & in Sabbato uacare, sed operari eos in eadem die, Dominicam præponendo eidẽ diei. Si hoc eis placet, uacent tanquam Christiani: quòd si inuenti fuerint Iudaizare; anathema sint. Figuralis autem horum festorum ratio hæc est. Nam per Sabbatum, quòd à Iudęis celebrabatur in memoriam septimi diei, in quo Deus quieuit ab omni opere, quod patrarat in creatione; designatur tẽpus, quo requieuit in sepulchro, ab omni opere, quod patrarat in carne. Vnde Igna. in.2.epi.ad Trallianos scripta. Sabbato uerò mãsit sub terra in sepulchro, quo posuit eum Ioseph ab Arimathia, &c. Deinde. Sabbatum uerò significat sepulturã, & requiem. Significatur & spũalis requies, quę nobis in Christũ credẽtibus datur in patria, iuxta illud Apost. ad Heb. 4. Itaq; relinquitur Sabbatismus populo Dei. Qui.n.ingressus est in requiẽ eius; & ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis Deus. Per festum aũt Neomeniæ, id est nouę lunę, quod ad diuinæ gubernationis opus commemorandum celebrabatur; Christus ex noua luna uirgine Maria natus significabatur: qui est uera lux gubernans, dirigens, atq; illuminans omnem hominem in hunc mũdum uenientem. de quo bene dicebat Simeon apud Lucam. 2. Oculi mei uiderunt Salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Per festum uerò Phase, id est transitus, quod in liberationis ipsorum à seruitute Aegyptiorum memoriã sanctificabatur; naturæ humanę de manibus potestatis diabolicæ liberatio, per Christũ nobis præstita figurabatur: quodquàm optime Ioã. 12. explicat dicens. Nunc Princeps huius mundi (id est Diabolus eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Item. 16. Princeps huius mundi iã iudicatus est. Vnde August. in. 13. de Trinitate ait. Iustitia Christi uictus est Diabolus: quia cum in eo nihil morte dignum inueniret; occidit eum tamen, & utique iustum est, ut debitores, quos tenebat, liberi dimittantur: in eum credentes, quem sine ullo debito occidit. Per festum autem hebdomadarum, hoc est primitiuorum, quod in legis datæ memoriam peragebatur, descensus Spiritus sancti in Apostolos per Christum missi designabatur: iuxta illud Ioan. 16. Si enim non abiero; Paracletus non ueniet ad uos. Si autem abiero; mittam eum ad uos, &c.

Sabba. Figur. Ignat. Hebrę. 4. Neome. Figur. Ioann. 1. Luc. 2. Phase Figur. Ioãn. 12. Ioãn. 16. Augustin. Primit. Figur. Ioan. 16.

Deinde

Deinde. Cum autem uenerit ille Spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. non enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ uentura sunt, annuntiabit nobis. Illę me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi uobis. Quia de meo accipiet, & annuntiabit uobis. &c. Per festum uero clangoris, siue tubarũ, quod celebrabatur à Iudęis in cornibus pecorum clangentibus, in memoriam arietis immolati pro Isaac; figurabatur missio Apostolorum ad prędicandum in cornibus pectorum suorum, arietem Christum Dominum nostrum immolatum pro liberatione totius humanæ naturę: ut qui in eum crediderit, & baptizatus fuerit; saluus fiat. Per festum autem expiationis, quod in memoriam illius celebrabatur beneficij, quo Deus propitiatus est peccato populi Israelitici, de adoratione uituli, ad preces Moysi; hoc nouum, & maximum significabatur Dei beneficium, quo propitiatus est peccato totius humani generis, ob inobedientiam primi parentis, ad preces Christi, qui nos reconciliauit Deo Patri. Roma. 5. Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filij eius. Ista est uera, & singularis, atque inaudita propitiatio, de qua bene dicebat Aposto. pariter ad Rom. 3. Omnes enim peccauerunt: & egent gloria Dei. iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Ięsu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suę, propter remissionem prę cedentium delictorum. Per festum autem Scenophegiæ, id est tabernaculorum, quod celebrabatur in memoriam peregrinationis Iudæorum per desertum, ubi in tabernaculis habitauerunt; huius mundi designabatur peregrinatio Christi: qui in matris suæ tabernaculo habitauit uirginali. quod præuidens Hiere. quasi mirabundus aiebat. Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi uiator ad manendum? Figurabatur etiam peregrinatio nostra, qua per fidem peregrinamur in pręsenti uita, in tabernaculo corporis nostri habitando, uirtutibus per Christi gratiam proficiendo, quousque ad terram promissionis, hoc est uitæ æternæ, ducamur à Domino. Ideo Apostolus. 2. Cor. 5. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eo quòd nolumus expoliari, sed superuestiri, ut absorbeatur, quod mortale est, à uita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum,

Marginal notes: Tubar. figur. — Marc. 16. — Expiat. figur. — Roma. 5. — Roma. 3. — Tabern. figur. — Hiere. 14 — 2. Cor. 5.

ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus Sipritus. Audentes igitur ſemper, & ſcientes, quoniam dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino (Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam uoluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominũ, &c. Per feſtum uerò cœtus, atque collectæ; myſtici corporis Chriſti unitas ſignificabatur, hoc eſt congregatio fidelium in ſtatu uię, & congregatio comprehendentium in ſtatu patriæ, non tantum hominum, uerum & Angelorum. Corpus enim Eccleſiæ myſticum, ut ait & Sanctus Thomas. 3. q. 8. artic. 4. in corpore, non ſolũ non conſiſtit ex hominibus, ſed etiam ex Angelis. Ad cuius rei confirmationem ait Apoſto. ad Eph. 1. Et ipſum (ſcilicet Chriſtum) dedit Deus caput ſupra omnem Eccleſiam, hoc eſt militantem, atque triumphantem, quæ eſt corpus ipſius. Super quibus uerbis adhuc ait Aquinas. Et ipſum, ſcilicet Chriſtũ, dedit Deus Pater caput ſuper omnem Eccleſiam, ſcilicet tam militantem, quæ eſt hominum in præſenti uiuentium, quàm triumphantem, quæ eſt ex hominibus, & Angelis in patria. His nempe modis feſta ueteris legis futurorum umbra fuerunt, corpus autem Chriſtus. Si itaque umbra talibus, ac tantis ſolennitatibus obſeruabatur; quanto magis illius umbrę corpus huiuſcemodi feſtiuitatibus, & maioribus eſt honorandum? Si Deus pro figura, quibuſdam certis diebus, nullum ſeruile opus fieri uoluit mandare; quanto magis pro figurato, quod eſt Chriſtus, hoc obſeruandum eſſe uoluit intelligere? Si Iudæi ob diuerſa ſub lege recepta beneficia, diuerſis etiam feſtis Deum recognoſcebant; quanto magis nos, qui maiora ſub Euangelio per Chriſtum Dominum noſtrum recepimus beneficia, ſimilibus, atque præſtantioribus recognoſcere debemus feſtis, ne ingrati coràm Deo, & Domino noſtro Iæſu Chriſto uideamur? Si antiquiſsima apud Gentiles, atque Hebræos fuit conſuetudo, & eſt, annuales celebrare ſolennitates, tum in alicuius magni uiri natalis, ueluti Herodis, atque Pharaonis, tum in alicuius præclaræ rei geſtæ memoriam; quemadmodũ obſeruabant Romani, qui in memoriã uictoriæ, præ ceteris, contra Antonium, & Cleopatrã ab Octauio obtentę, prima Augusti die non paruam peragebant feſtiuitatem; cuius loco, induſtria, & precibus Theodoſiæ Imperatoris Theodoſij filiæ, circa annũ Domini. 430. in uinculorũ Apoſtoli Petri feſtum, ut mala,

Cœtus figur.

Tho.

Eph. 1.

gentium

gentium obseruantia obliuioni traderetur, fuit institutum; quanto magis nos Christi fideles, in memoria Natalis omnium Regum, & Angelorum Regis, & uictoriæ per ipsum contra totius mundi Tyrannum habitę, & de manibus ipsius liberationis nostrę, atq; missionis cœlestis auxilij, uidelicet Spiritus sancti, ad resistendum inimicorum nostrorum potestati, necnon & uictoriarũ à Deo nobis in sanctis suis aduersus Diabolum, carnem, & mundum ostensarum, festa celebrare debemus? præcipue cum hęc omnia in lege ueteri fuerint, uti iam ostensum est, figurata. Quia beneficia illi populo exhibita significabant dona nobis per Christum concessa, atque largita: quorum gratia, & festa Iudæorum festis succedentia celebrare tenemur, atque obligamur. Quapropter dicebat Ignatius Ioannis Euangelistę discipulus. epist. 5. ad Philippenses scripta. Dies festos nolite inhonorare. Festa autem nostra illis succedentia sunt ista. Festo enim Sabbati, quod primam significabat creationem; succedit dies Dominica: in qua noua commemoratur creatura in resurrectione Christi inchoata. Vnde August. in epistola. 86. ad Casulanum. Præponitur dies Dominicus Sabbato, fide resurrectionis. Item epist. 18. cap. 13. ad inquisitionem Ianuarij. Dies Dominicus non Iudæis, sed Christianis, resurrectione Domini declaratus est: & ex illo suam festiuitatem habere cœpit. Et Ambro. in sermone. 61. de Pentecoste. Dominica ideo uenerabilis est, atq; solennis, quia in ea saluator, uelut Sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit. Et Hierony. de Dominica Paschæ. Vniuersa Sabbati gratia, & antiqua illa festiuitas Iudæorum in diei istius, solennitatem mutata est. Et ne quid nouum uideatur; legat quis Apocalypsin Ioan. & uidebit primo capite, Ioannem huius Dominicæ diei mentionem fecisse, ubi ait. Fui in spiritu in Dominica die. Deinde Ignatius in epistola ad Trallianos. Dominica die resurrexit à mortuis, secundum quòd dictum est ab eo, sicut fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus, & tribus noctibus. Continet autem dies Parasceue passionem eius, Sabbatum uerò sepulturam, & requiem, Dominica autem resurrectionem. Festo autem Phase, quod celebrabatur in memoriam liberationis ipsorum ex Aegypto, in cuius signum immolabatur agnus masculus anniculus absque macula; succedit festum passionis, & resurrectionis Christi: qui ut nos liberaret, & saluos faceret, tanquã agnus

[Margin notes: Ignat. — Sab. succedit Dom. — August. — Ambro. — Hierony. — Apoca. 1. — Ignat. — Phase succedit Pascha.]

immaculatus uoluit immolari. Quod præuidens in ſpiritu
Eſaias, hęc deſcripſit uerba. Ipſe autem uulneratus eſt propter Eſa. 53.
iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſcipli
na pacis noſtræ ſuper eum: & liuore eius ſanati ſumus. Omnes
nos quaſi oues errauimus: unuſquiſque in uiam ſuam declina-
uit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.
oblatus eſt, quia ipſe uoluit: & non aperuit os ſuum. Sicut ouis
ad occiſionem ducetur: & quaſi agnus coràm tondente ſe ob-
muteſcet: & non aperiet os ſuum. Et Hierem. 11. Ego quaſi Hier. 11.
agnus manſuetus, qui portatur ad uictimam. Ideo in huius
Chriſti immolationis memoriam, Paſcha noſtrũ celebramus.
Primæ Cor. 5. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. 1. Cor. 5.
Itaque epulemur, non in fermento ueteri, neque in fermento
malitiæ, & nequitiæ: ſed in azimis ſinceritatis, & ueritatis. Fe-
ſto hebdomadarum, id eſt Pentecoſtes, in quo fuit data lex ue- Hebdom. feſto ſuccedit Pentecoſt.
tus; ſuccedit noſtrum Pentecoſtes feſtum: in quo fuit data lex
ſpiritus uitæ. Act. 2. Et cum complerentur dies Pentheco- Act. 2.
ſtes, hoc eſt quinquaginta dies (Pentecoſte enim ſecundum
Dionyſium Carthuſianum dicitur à pente, quod eſt quinque, & Dionyſ. Carth.
coſte, quod eſt decẽ, quaſi quinquies decem, quæ faciunt quin-
quaginta. Vel ut alij dicunt, Pentecoſte græce, à Penteconta la-
tine dicitur quinquagenaria, iuxta illud etiam Rabani, Pen- Rabanus.
tecoſte græce, latine quinquaginta: quoniam hęc dies à reſur-
rectione Dominica diſtat diebus quinquaginta) erant omnes
pariter in eodem loco: & factus eſt repente de cælo ſonus, tan-
quam aduenientis ſpiritus uehementis, & repleuit totam do-
mum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguę
tanquam ignis, ſeditq; ſuper ſingulos eorum: & repleti ſunt om
nes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui uarijs linguis, prout Spiri-
tus ſanctus dabat eloqui illis. Feſto Neomeniæ ſuccedit feſtum Neomen. ſuccedit feſt. Virgi. Mar.
glorioſę Virginis Marię: in qua primo apparuit illuminatio So
lis, id eſt Chriſti, per copiam gratiæ Mariam Virginẽ tali gra-
tia implendo. quod indicat Angelus apud Lucam. 1. cum il- Luc. 1.
lam alloqueretur dicens. Aue gratia plena, Dominus tecum:
benedicta tu in mulieribus. Feſto tubarũ ſuccedunt feſta Apo Tub. feſt. ſuc. Apoſto. feſt.
ſtolorum: qui uti ſuperius dixi, ad inſtar clangoris Iudæorum,
non in cornibus arietum, ſed naturalibus inſtrumentis talem
emiſerunt ſonũ; quòd immolatio cęleſtis arietis pro omnium
in ipſum credentium ſalute, ubique terrarum fuerit audita.

Psal. 18. de quibus bene dicebat Propheta in psalmo. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę uerba eorum. Expiat. festo succe. fes. mart. & confes. Festo expiationis, quod fiebat in memoriā propitiationis, &c. succedunt festa martyrum, & confessorum: qui tanquam uera mystici corporis Christi membra, ad ipsius capitis imitationem (iuxta illud Apostoli Petri in suę primę canonicę cap. 2. 1. Petr. 2. In hoc uocati estis: quia & Christus passus est pro uobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius.) multa passi sunt, ut mundum Christo lucrifacerent: & omnes, ipsis mediantibus, salui fierent. In persona quorū quàm optime dicebat 1. Cor. 9. Apo. ad Cor. 9. primæ. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus autē omnia factus sum: ut omnes facerem saluos. Quæ quidem omnia operatur idem Christus: qui sicut in proprijs membris patiendo, nostra factus est redem- 1. Ioan. 2. ptio. 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; ita in membris suis mysticis, id est sanctis martyribus, & confessoribus patiendo, in illis sanguinem effundendo, in istis infinitos labores sustinendo, fit nobis ipsis dominum deprecantibus noua peccatorum propitiatio. Quòd autem in sanctis suis Act. 9. patiatur Christus; hoc ipse indicat Act. 9. cum Paulum in uia alloquebatur dicens. Saule Saule, quid me persequeris? Certum est, quòd non Christum, sed sanctos suos persequutus fue- Zacha. 2. rat. Item Deus per Zachariam Prophetam. 2. Qui tetigerit uos, tanget pupillam oculi mei. Qua de re quicquid patiuntur sancti Dei, dicitur Christus pati, & hoc pro salute nostra. Non tamen per modum redemptionis, quam per passionem proprij 1. petr. 1. corporis ipsius Christi adepti sumus, iuxta illud Apostoli Petri primę, cap. 1. Non corruptibilibus auro, uel argento redempti estis de uana uestra conuersatione paternæ traditionis: sed Gal. 3. precioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. & Pauli ad Gala. 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, &c. Sed per modum 2. Cor. 1. exempli, & exhortationis, secundum illud Cor. 1. secundæ: Siue autem tribulamur, pro uestra exhortatione, & salute: siue consolamur, pro uestra consolatione: siue exhortamur, pro uestra exhortatione, & salute: quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur: ut spes nostra firma sit pro uobis: scientes, quòd sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. &c. Et per modum deprecationis

cationis, quo sancti martyres, & confessores in ipsorum passionibus pro nobis Dominum deprecantur: uti de Stephano habetur, qui pro persequutoribus Dominum exorabat, dicens. Domine, ne statuas illis hoc peccatum. His itaque Act. 7.
de causis illis festa celebramus, ut sicut ipsi in hoc seculo uiuentes, suo nobis non defuerunt auxilio; ita in cælis nobis non desinant esse patricinio. Vnde sanctus Bernardus in quodam sermone. Tria sunt, quæ in festiuitatibus sanctorum uigilanter considerare debemus, auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram. Auxilium eius, quia qui potens in terra, potentior est in cælis ante faciem Domini sui. Si enim dum hic adhuc uiueret, misertus est peccatoribus, & orauit pro eis; nunc quanto amplius, quanto uerius agnoscit miserias nostras? orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria charitatem eius non mutauit, sed augmentauit, immo potius mouit sibi uiscera misericordiæ, cum ante fontem misericordię adsistit. Debemus etenim uitam eius attendere: quia quàm diu in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est, non declinauit neque ad dexteram, neque ad sinistram: sed uiam regiam tenuit, donec ueniret ad illum, qui dicit. Ego sum uia, ueritas, & uita. Item diligentiori intuitu confusionem nostram aspiciamus: quia homo ille similis nobis fuit passibilis, ex eodem luto formatus, ex quo & nos. Quid ergo est, quòd non solum difficile, sed impossibile credimus, ut faciamus opera, quæ fecit, ut sequamur uestigia eius? Item ibidem. In sanctorum festiuitatibus & gaudere, & confundi debemus. Gaudere, quia patronos præmisimus: confundi, quia eos sequi non possumus. Vnde & Greg. Nazian. ora. 16. de paupertate fouenda. Veritatis martyribus festa instauramus, ut qui eorum certamina ueneramur, eorum quoque pietatem ueneremur. Et Augus. in psal. 88. Natalitia sanctorum cum sobrietate celebrate, ut imitemur eos, qui nos præcesserunt, & gaudeant de nobis, qui orant pro nobis, ut benedictio Domini in æternum maneat. Non sine ratione igitur martyrum, & confessorum festa expiationis festo dicimus succedere: quia quemadmodum illi precibus Moysi ueniam apud Deum sunt consequuti; ita Christiani horum patrocinio gratiam impetrant à Domino. Ne grauemur ergo nos omnes Christi fideles, martyrum, atque confessorum festa peragere, ut eos apud

Bernard. — Gregor. Nazian. — Augustin.

Dominum nostrum intercessores possimus habere. Festo autem tabernaculorum succedit festum consecrationis Ecclesiæ, quæ est uerum Dei tabernaculum. Nam sicut Christus in tabernaculo uirginali sub forma uisibili conceptus est per operationem Spiritus sancti, ibidem nouem mensibus moram faciendo; ita in isto tabernaculo manu facto, ille ipse Christus, eadem quoque Spiritus sancti uirtute operante, inuisibili tamen modo conficitur, atque conseruatur. Hæc est illa domus Domini, quam gloria, & maiestate sua Dominus impleuit, atque sanctificauit: in qua ignis de cælo descendens holocausta, & nostras deuorat uictimas. Hoc est templum illud Deo gratum, atq; acceptum, in quo Deus laudatur, & fidelium orationes exaudiuntur. 2. Par. 7. Apparuit autem Salomoni Dominus nocte, & ait. Audiui orationẽ tuam: & elegi locũ istum mihi in domũ sacrificij. Si clausero cælum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locustæ, ut deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum, conuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à uijs suis pessimis; & ego exaudiam de cælo: & propitius ero peccatis eorum: & sanabo terrã eorũ. Oculi mei quoque erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. Elegi enim, & sanctificaui locum istũ, ut sit nomen meum ibi in sempiternum: & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Item. 3. Reg. 9. Completa in templo Salomonis oratione, apparuit ei Dominus, &c. & dixit ad eum. Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coràm me. Sanctificaui domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum: & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Si enim templum, in quo bruta sacrificabantur animalia, & dedicationis illius festiuitatem (nam Salomon in tempore illo, & omnis Israel cum eo solennitatem fecerat celebrem Domino Deo nostro) tanti faciebat Deus, ut etiam filius suus talem dedicationis festiuitatem præsentia sua honorare uoluerit, quæ omnia futurorum erant umbra; quanti pensandum, atque credendum est, Dominum nostrum facere nostram templi dedicationem, & templum, in quo uera filij sui unigeniti caro, & ipsius sanguis consecrantur, & omnia il-

Taber. festo succedit dedic. fest.

3. Re. 8. 9.

2. Par. 7.

3. Reg. 9.

Ioan. 10

la facta ſub umbra adimplentur? Vnde Alcuinus, ſuper illis uerbis Ioann. 10. Et ambulabat Iæſus in templo, &c. ait. Si autem filius Dei in templo, in quo caro brutorum animalium offerebatur, ambulare uoluit; quanto magis noſtram orationis domum, in qua caro, & ſanguis eius conſecratur, uiſitare gaudebit? Non deficiamus ergo hanc domum Dei uiſitare, ibiq; preces ad Deum effundere, illiusq; feſtiuitatem celebrare, ut ibidem Chriſtum poſsimus inuenire, qui tali feſtiuitati uult, & cupit intereſſe: præcipue cum quicquid in huiuſcemodi templi ſolennitate peragitur, in nobis ſpiritualiter adimpleatur: qui uera Dei templa ſumus, iuxta illud Apoſtoli. Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in uobis? Si quis autem templũ Dei uiolauerit, diſperdet illũ Deus. templum.n. Dei ſanctum eſt: quod eſtis uos. Et infra. An neſcitis, quoniam membra ueſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in nobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis ueſtri? Et alibi. Vos enim eſtis templum Dei uiui. Vnde Aug. in ſermone de templi dedicatione. Quotieſcunque fratres cariſsimi, altaris, uel templi feſtiuitatem colimus, ſi fideliter, ac diligenter attendimus, & ſancte, ac iuſte uiuimus; quicquid in templis manu factis agitur, totum in nobis ſpirituali ædificatione completur: non enim mentitus eſt ille, qui dixit. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis uos. Quibus autem meritis, niſi per gratiam Dei, meruimus fieri templum Dei? Et ideo quantum poſſumus, laboremus, ne Deus noſter in templo ſuo, hoc eſt in nobis, inueniat, quod oculos ſuæ maieſtatis offendat, &c. Feſto demum cœtus, atque collectæ, ſuccedit feſtum Angelorum, atque ſanctorum omnium: qui ſic in unitate corporis Chriſti (quemadmodum ſuperius dictum eſt) continentur, quòd uere cœtus cæleſtis nuncupantur. Non reiiciamus itaque feſta omnium ſanctorum, atque Angelorum, ne priuemur conſortio ipſorum: præcipue cum omnem huiuſmodi uenerationem ipſis ſanctis, & Dei Angelis, à nobis exhibitam, in Chriſti honorem uideamus redundare. Baſilius in 40. Martyres. Honor erga bonos conſeruos (Diuos) collatus, beneuolentiæ ſignificationem apud communem Dominũ habet. Idem Synodus Nicæna 2. act. 6. Honor enim, qui à conſeruis idem ſentientibus inuicem exhibetur, indicium eſt beneuolentiæ erga Dominum. Sunt enim promptuaria Dei, & pura habi-

Alcuin. | 1. Cor. 3. | 1. Cor. 6. | 2. Cor. 6. | Auguſt. | Cœtus feſto ſucce. feſtũ Angel. atque ſanctorũ omnium. | Baſil. | Syn. Nicæ. 2.

habitacula, Spiritusq; sancti immaculata specula. Hæc sunt festa Christianorum: quæ non ex hominum institutis sunt inuenta, sed à Deo primò sub umbra instituta, deinde à Christi Ecclesia à Spiritu sancto edocta, illis, tanquam corpus umbræ, succedentia, ad celebrandum nobis sunt exhibita. Non sit ergo graue Christiano, pro tot, & tantis à Christo, & omnibus sanctis nobis collatis beneficijs, quandoq; in ipsorum memoriam, & ad nostri salutem, & medicinam, dies festos peragere, atque sanctificare: ut hac in uita illorum patrocinia ualeamus assequi, & in patria cælesti illis coniungi.

De cibis, & ieiuniis. Artic. VIII.

MVLTIPLEX circa ciborum comestionem ortus est error. fuerunt nanque aliqui in primitiua Ecclesia, ueluti Ebion, & Cherintus, similesq; alij dicentes, legem ueterem cum Euangelio omnino seruandam esse: & quia in lege nonnulli cibi erant prohibiti; ideo hoc etiam sub Euangelio obseruandum esse affirmabant. Quorum opinionem nonnulli Græcorum imitati, carnes sub lege prohibitas, non comedebãt: abstinentes à suffocatis, & sanguine: quibus falsis fratribus Petrus nimis dissimulans assentire uisus est. quapropter
Gal. 2. à beato Apostolo Paulo fuit reprehensus, uti habetur ad Gal. 2. Alij autem, ut Tatianistæ, & Priscillianistæ, existimantes nonnullos cibos suapte natura, si in cibũ sumantur, immundos esse, & animã coinquinare, carnes tanquam immundas respuerunt. Alij uero, uti Cathari, & Manichæi non solũ carnes, sed oua, & lac recusarũt comedere, & uinũ bibere. Machometani quoq;, & Seueriani uinũ bibere nefas esse affirmabant. Alij uero fuerunt, quemadmodum Iouiniani, qui inter ciborum abstinentiam, & cum gratiarum actione perceptionem eorum, nullam esse distantiam opinati sunt. Quorum errorẽ imitati Valdenses, astruere conati sunt, quorundam abstinentiam ciborum Ecclesiam prohibere non posse: illud Pauli assignantes ad Ti-
1. Tim. 4. mo. 1. 4. Omnis creatura Dei bona est: & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per uerbum Dei, & orationem. Quapropter tempore quadragesimæ, & feriis sextis, carnes, oua, & reliqua prohibita ad illorum comedebant beneplacitum. Quem errorem hac nostra tempestate Lutherus, & sequaces ipsius, libenti animo, ob cor-

poris

poris crapulam, ſunt amplexati: qui omnibus diebus indiffe-
renter effrenate uefcuntur carnibus, Pontificem Romanum
iniuriis afficientes, & à fide alienum eum appellantes, ipſi ſen-
tentiam Pauli ad Timo. obiicientes. In nouiſsimis tempori- 1. Tim. 4.
bus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, &
doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium,
& cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium
nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum
cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognouerunt ue-
ritatem. Quos ſecutus nouiter Annas Burgenſis noſter, Pon-
tificem Romanum his aggreditur uerbis. *Chriſtus poteſtatem
facit omnibus, qui ueritatem agnouerunt, utendi cum gratiarum actione
quouis ciborum genere, idq; quouis tempore, ſicuti teſtatur Paulus. 1. Ti-
mo. 4. At Papa id uetat.* Qua fronte potes ò Anna, Apoſtoli ad
Timotheum ſententiam detorquendo, Pontificem Romanũ ſu-
per hoc accuſare? cum Pontifex ipſe non ſolum Apoſtoli do-
ctrinæ nuſquam rebellis fuerit, ſed omnes ei aduerſantes ſem-
per damnauerit, eoſq; tanquam à ueritate Chriſtiana alienos
prorſus reſpuerit. Eccleſia enim Romana Dominicis, & Apo-
ſtolicis doctrinis inſtructa, cognoſcẽs nihil ſuapte natura pra-
uum, uel cõmune, aut immundum eſſe, ſed omnia ad uſum no-
ſtrum fuiſſe creata; ipſis omnibus ex libertate Chriſtiana no-
bis cum gratiarum actione uti licere decreuit: & omnes Iu-
daizantes, & quorundam ciborum genera prohibẽtes damna-
uit: iuxta illud Apoſtoli ad Col. 2. Nemo uos iudicet in cibo, Col. 2.
aut in potu, &c. quę ſunt umbra futurorum. Et hoc ex eo, quia,
uti ait Chriſtus ad Matth. 15. Quod intrat in os, non coinqui- Matth. 15.
nat hominem. Et Apoſtolus ad Timoth. 4. 1. Omnis creatura 1. Tim. 4.
bona eſt: & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione
percipitur. ſanctificatur enim per uerbum Dei, & orationem.
Omnia .n. propter hominẽ ſunt creata, ut habetur Gen. 1. pręci- Gen. 1.
pue animantia, iuxta illud Gen. 9. Omne, quod mouetur, & ui- Gen. 9.
uit, erit uobis in cibum. Quòd autem Eccleſia catholica hanc
ſemper fideles docuerit doctrinam; arduum non erit oſtẽdere:
uti ex diuerſis ipſius traditionibus eſt uidere. Nã Eleutherius Eleuthe.
in ſua decretali epiſtola ſic Gallię inſtruxit prouincias. Neceſ- Pa.
ſarium, inquit, iudicauimus uos inſtruere, ut eſcas, quas uitare
uos audiuimus, rationabiliter non reſpuatis. Scitis fratres, Le-
giſlatorem docuiſſe. Omnia, quæ creauit Deus, erãt ualde bo-

na,

Matth.15. na. Et ipsa per se ueritas ait. Non quod intrat in os, coinqui-
Conc. Ancyra. nat hominem. Et in Concilio Ancyrano, quod fuit ante Con-
cilium Nicænum, habetur cap. 14. Qui à carnibus abstinent,
Concil. Gangr. non eas tanquam immundas contemnat. Et in Concilio Gan-
gren. quod fuit contra Eustach. hæret. conuocatum, cap. 2. ita
pariter habetur. Si quis carnem edentem, præter sanguinem,
& idolis immolatum, & suffocatum, cum religione, & fide
condemnat, uelut spem propter huiusmodi perceptionẽ non
Conc. Toleta. 1. habentem; anathema sit. Et in Concil. Toletano 1. contra Pri
scillianos congregato, cap. 21. sic quoque legitur. Si quis di-
xerit carnes auium, seu pecudum, quæ ad escam datæ sunt,
execrandas; anathema sit. Quod idem habetur in alijs diuer-
sis locis, ex quibus quilibet percipere, & cognoscere potest,
Ro. Pontificem, Romanæq; Ecclesiæ Doctores, nusquam ci-
bos, cuiuscunque generis fuerint, prohibuisse: sed è conuerso
prohibentes damnasse. contra quos Pauli, & aliorum auctori-
tates erant asignandæ: cum de ipsis, & aliis similibus locutus
Vigil. Pa. fuerit Apostolus. Quod & Vigilius Papa in sua decretali epi-
stola ad Eutherum scripta, cap. 1. ostendit dicens. Priscillia-
nistæ execrationis potius animo, quàm deuotionis, à carnibus
1. Tim. 4. abstinent, similes Manichæis: de quibus ait Paulus. Erunt in
nouissimis diebus prohibentes nubere, & abstinere à cibis,
quos Deus creauit ad percipiendum, cum gratiarum actione.
Rom. 14. eodem dicente ad Roman. Omnia munda mundis. Et Sal-
Matth. 15. uatore, Non quod intrat in os, coinquinat hominem. Ecce
igitur Pontifices Romanos nullum genus escarum, ob naturã
ipsarum, nobis prohibuisse, sed prohibentes damnasse. Verum
tamen est, ipsam Ecclesiam Romanam, sub quibusdam tem-
poribus, nonnulla inhibuisse ciborum genera, non propter ip-
sorum naturam, uti faciebant Ebionitæ, Cherentiani, Tatia-
nistæ, Cathari, Manichæi, & id genus alij, sed propter absti-
nentiam, & corporis macerationem: cuius gratia etiam ieiu-
August. nium instituit. Quod ostendit August. contra Faustum. lib. 3.
cap. 5. dicens. Christiani non hæretici, sed catholici, edoman
di corporis causa, propter animam in rationibus amplius hu-
miliandum (non quòd illa esse immunda credant) non solum
à carnibus, uerum à quibusdam etiam terræ fructibus absti-
nent, uel semper, sicuti pauci: uel certis diebus, atque tem-
poribus, sicut per quadragesimam omnes. Et in lib. de morib.
Eccles.

Eccleſ. catholicæ, cap. 31. & 33. ait. Non ſolum à carnibus, & uino abſtinent hæremitæ, pro ſufficientia domandarum libidinum, ſed ab his etiam, quæ tanto concitatius uentris, & gutturis prouocant appetitum, quanto quaſi mundiora nõnullis uidentur. Et Ambr. ſuper epiſtolam ad Rom. 4. Sunt quidam, qui quarta feria carnem non edendam ſtatuerunt, ſunt qui Sabbatis, ſunt iterum qui à Paſcha uſque ad Pentecoſten edant. Et ne quis exiſtimet, quid nouum eſſe in Dei Eccleſia; legat Ignatium Ioannis Euangel. diſcipulum, epiſt. 5. ad Philip. ſcripta, dicentem. Quadrageſimam nolite pro nihilo habere: imitationem enim continet Dei conuerſationis. Hebdomadam etiam paſsionis nolite deſpicere. Quarta uero, & ſexta feria ieiunate: reliquias pauperibus porrigentes. Ideo dicebat Leo Papa huius nominis 4. ut habetur de conſec. diſt. 3. cap. de eſu carnium, uetuſtiſsimam eſſe conſuetudinem abſtinendi à carnibus quarta, & ſexta feria. Idem colligitur & ex Diuo Hieronymo ſuper epiſt. ad Galatas. Idemq; ab omnibus ferè ſacris Doctoribus habemus. Quapropter non ſunt tales damnandi, ſed laudandi: cum ſibi ipſis multum meriti apud Deum acquirant: uti teſtatur Diuus Auguſt. de Eccleſ. Dog. cap. 66. dicens. Pro more caſtigandi corporis abſtinentibus à uino, uel carnibus, nil credere meriti accreſcere, non hoc Chriſtiani, ſed Iouiniani eſt. Ad cuius etiam confirmationem ait Chriſt. Matth. 6. Cum autem ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. exterminant enim facies ſuas, ut pareant hominibus ieiunantes. Amen dico uobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua: ne uidearis hominibus ieiunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito. Ex quibus uerbis manifeſte coniicere poſſumus, uere ieiunantibus mercedem à Deo eſſe paratam. Quod ipſe Chriſtus ibidẽ ſubintulit dicens. Et pater tuus, qui uidet in abſcondito, reddet tibi. At ſi Doctores ſanctos, & hanc Chriſti auctoritatem quis temerarie reſpuere auderet; ad alios canonicos accedamus libros: in quibus quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſunt ſcripta: uti ait Apoſt. ad Rom. 15. Nã Moyſes propter peccata populi Iſraelitici 40. diebus, & 40. noctibus panem non comedit, & aquam non bibit. Et filij Iſrael, cum à filijs Beniamin opprimerentur, die illo, ad ueſperam uſq; flentes ieiunauerunt. Quod & alias, cum

Ambro. Igna. De conſ. diſt. 3. Hieron. Auguſt. Matth. 6. Rom. 15. Deut. 9. Iud. 20.

tribularentur, sæpißime fecerunt. Dauid etiam cum suis omnibus, audita morte Saul, super ipsum ieiunauit usque ad uesperam. quod & dum suus infirmaretur filius, obseruauit. Et Achab ab Elia redargutione habita, sua scidit uestimenta, & cilicio suam operuit carnem, in sacco dormiuit, corpusq; suũ ieiunio macerauit. Quapropter ei Dominus pepercit, malum ei non inducendo, quod ipsi minatus fuerat. Helias quoque 40. diebus 40. noctibus ieiunauit. Et Iudith ieiunabat omnibus diebus uitæ suæ, præter Sabbata, & Neomenias, & festa domus Israel. Et Hester Iudæis in angustiis existentibus aiebat. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillulis meis similiter ieiunabo. Vnde & Daniel 10. Panem desiderabilem, inquit, non comedi: & caro, & uinum non introierunt in os meum. Sed neque unguento unctus sum: donec complerentur trium hebdomadarum dies. Hoc habetur & de Esaia, & plerisque aliis apud uetus testamentum. Quorum profectò ieiunium non sine abstinentia ciborum potuit esse: uti bene docet Origenes in Iob libro 3. pag. 494. dicens. Quando ieiunamus ò uiri, abstineamus nos, ut non gustemus carnes, neque uinum, neque superfluas escas. Si ista autem superstitiosa, aut futilia essent; arguendus esset Ioan. Baptista. qui in deserto uestitus pilis cameli, locustas, & mel siluestre edebat. Et Iacobus frater Domini: qui à carnibus, & uino semper abstinuit. Et Timotheus: quem Apost. admonebat, ne adhuc ex toto aquam biberet: sed modico uteretur uino, propter stomachi debilitatem, & frequentes illius infirmitates. Ita etiam mentitus fuisset Iohel: qui in persona Dei dicebat. Conuertimini ad me in toto corde uestro: in ieiunio, fletu, & planctu, &c. Sic pariter & Christus: qui quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit: in quibus nihil manducauit, neque bibit. Cuius exemplum & nos, in quantum nostræ fragilitati humanæ permittitur; imitari debemus: eo ipso dicente. Exẽplũ.n. dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis. Ad quid si abstinentia est superstitiosa, atque inualida, Christus dicebat Ioannis Baptistæ discipulis, sermonem faciens de suis. Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt. Et Apostoli ad quid ieiunabant? ad quid Spiritus sanctus ieiunantibus, & non crapulatoribus dixit. Segregate mihi Saulum,

2. Reg. 1. 2. Reg. 12. 3 Reg. 21. Iudith 8. Hest. 4. Daniel 10 Origen. Matth. 3. Marc. 1. Timo. 5. Iohel 2. Lucæ 4. Ioan. 13. Matth. 9. & Marc. 2. & Luc. 5. Act. 13.

lum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos? Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesq; eis manus dimiſerunt illos. Ad quid Paulus, & Barnabas orabant cum ieiunijs? Superſtitioſi etiã fuiſſent innumerabiles ſancti patres: qui incredibiles ſibi præſcripſerunt carnis abſtinentias, & afflictiones, non tantum ut rebellem ſibi ſubiugarent carnem, ſed etiam ut Domino de corpore ſuo holocauſtum exhiberent: quemadmodum Chriſtus pro redemptione mundi de ſuo hoſtiam Deo patri exhibuit. Abſit enim, ut ſancti patres tam rebellem ſenſerint concupiſcentiam, quæ non niſi tantis inedijs ualeret reprimi. Quamobrem hi magis ſunt imitandi, quos ſic Apoſtolus habet commendatos, ut eis mundus non ſit dignus; quàm Epicuræi hæretici, ueluti is Annas Burgenſis, & ſimiles alij quàm plurimi: qui non niſi carnis libertates, & delicias prædicant ſectandas, contra tam euidentiſsima Chriſti, & ſanctorum exempla, atque dogmata. Sed adhuc dicet Burgenſis, abſtinentiam, ieiunium, & corporis macerationem, tanquam nobis ſalutaria, abſolute non reſpuo: ſed obligatiuum Romani Pontificis præceptum paruipendo. Huc te uolebam. Si itaque uoluntaria corporis maceratio ad noſtram utilis eſt ſalutem; quanto magis ſi cum Eccleſiæ obedientia fiet, ſalubrior erit? Audi quid dicat Samuel 1. Regum 15. Melior eſt enim obedientia, quam uictimæ: & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum. Audienda eſt igitur à nobis Chriſti Eccleſia, & iuxta illius decreta noſtra holocauſta Deo ſunt offerenda: alioquin Deo non erunt admodum grata, uti eo in loco dicebat Samuel. Nunquid uult Dominus holocauſta, & uictimas: & non potius, ut obediatur uoci Domini? Vox autem Domini per os Eccleſiæ nos ſemper alloquitur: iuxta illud Chriſti. Non uos eſtis, qui loquimini: ſed Spiritus patris ueſtri, qui loquitur in uobis. Iſti enim, qui Eccleſiæ præſunt, noſtram curam habentes, omnia ad noſtram ordinant ſalutem, & nobis ea ipſa per ipſos ædificata ad obſeruandum exhibent: ne in reddenda pro nobis Deo ratione, infideles miniſtri coràm diuina maieſtate inueniantur. Quibus propterea omnino in his omnibus obedire debemus, iuxta illud Apoſtoli. Obedite præpoſitis ueſtris, & ſubiacete eis. Ipſi .n. peruigilant quaſi rationem pro animabus ueſtris, redditurí. præcipue, ut ad rem redeamus, circa corporũ

Act. 14.
1. Reg. 15.
Matth. 10.
Heb. 13.

macerationem ſub quibuſdam diebus inſtitutam. Quod quidem non ſine magno factum eſt myſterio. Nam ſicut Deus poſtquam cuncta creauerat, & omne, quod mouetur, homini in cibum dederat, iuxta illud Geneſis 9. Et omne quod mouetur, & uiuit, erit uobis in cibum, Quaſi olera uirentia tradidi uobis omnia; Et deinde diuerſa animalium genera diuerſis in temporibus in cibum ſumere, non propter animalium naturam, ſed propter myſterium prohibuerat; ſic Eccleſia Catholica ſub quibuſdam diebus nonnulla ciborum genera uetuit: atque prohibuit, non ob immundam eorum naturam, uti obſeruabant Ebionitæ, & reliqui ſimiles, ſed propter non paruum Eccleſiæ ſanctæ myſterium, quod deſcribere nimis eſſet longum. Ad cuius obſeruationem omnes Chriſti fideles propterea aſtringimur: tum ne rebelles Eccleſiæ nos reddamus, tum ne illam ſcandalizemus. iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 14. Scio, & confido in Domino Iæſu, quia nihil commune per ipſum: niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur; iam non ſecundum charitatem ambulas, &c. Deinde. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. &c. Et infra. Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat. Si itaque malum eſt, & contra charitatem per offendiculum, & in ſcandalum proximi aliquid manducare, ne frater noſter ſcandalizetur; quanto magis deficit is, qui temeritate non ſolum in ſcandalum unius fratris, & proximi ſui, ſed omnium Chriſtianorum matris, Chriſti ſponſæ, uniuerſalis Eccleſiæ, per offendiculum in diebus prohibitis prohibita manducat? Væ homini illi, per quem tale ſcandalum uenit. Expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Cauete ergo à cibis temporibus ſuis ab Eccleſia prohibitis: ne Chriſti ſponſa mater noſtra, cum animarum ueſtrarum detrimento, offendatur, atque ſcandalizetur. Audite Apoſtolum dicentem. Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. Bonum enim eſt, inquit ipſe, non manducare carnem, & non bibere uinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Et hoc non quia illa ipſa ex natura ſua ſint mala, ut dictum eſt; ſed quia tali tempore ſunt prohibita. Ideo &. Auguſtin. in de ciuitate Dei,

Margin notes: Gen. 9. — Rom. 14. — Matth. 18. — 1. Cor. 8. — Rom. 14. — Auguſt.

Dei libro 14. cap. 12. Si quem uerò mouet, cur alijs peccatis ſic natura non mutetur humana, quemadmodum illa duorum primorum hominum præuaricatione mutata eſt, ut tantæ corruptioni, quantam uidemus, atque ſentimus, & per hanc ſubiaceret & morti, ac tot, & tantis, tamque inter ſe contrarijs pertubaretur, & fluctuaret affectibus, qualis in paradiſo ante peccatum, licet in corpore eſſet animali, utique non fuit; ſi quis hoc mouetur, ut dixi, non ideo debet exiſtimare, leue, ac paruum fuiſſe illud commiſſum: quia in eſca factum eſt, non quidem mala, nec noxia, niſi quia prohibita. Neque enim quicquam mali Deus in illo tantæ felicitatis paradiſo crearet, atq; plantaret. Sed obedientia commendata eſt in præcepto: quæ uirtus in creatura rationali, mater quodammodo eſt omnium, cuſtosque uirtutum: quandoquidem ſic facta eſt, ut ei ſubditam eſſe ſit utile, perniciosum autem ſuam, non eius, à quo creata eſt; facere uoluntatē. Hoc itaque de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia ſubiacebat, tam leue præceptum ad obſeruandum, tam breue ad memoriam retinendum, ubi præſertim nondum uoluntati cupiditas reſiſtebat, quod de pœna transgreſsionis poſtea ſubſecutum eſt, tanto maiore iniuſtitia uiolatum eſt, quanto faciliore poſſet obſeruantia cuſtodiri. Et quod de primis parentibus dicitur, de alijs quoque Eccleſiæ, ac ſuperiorum pręceptis rebellantibus intelligitur: quia ſemper domino Deo, etiam in ciborum prohibitione, placuit obedientia. quemadmodum de Rechabitis legitur: qui cum ad iuſſum Ionadab filij Rechab patris ipſorum non biberent uinum, à Deo ſummopere fuerunt commendati. Hierem. 35. Domui autem Rechabitarum dixit Hieremias. Hęc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, pro eo, quòd obediſtis pręcepto Ionadab patris ueſtri, & cuſtodiuiſtis omnia mandata eius, & feciſtis uniuerſa, quæ præcepit uobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael. Non deficiet uir de ſtirpe Ionadab filij Rechab, ſtans in cōſpectu meo, cunctis diebus. Concludimus ergo bonum eſſe, cibum cum gratiarum actione ſumere, & quicquid Deus præcepit edendum eſſe: abſtinere autem ab aliquibus, non quaſi à malis, & im mundis, ſed quaſi non neceſſarijs, & ſaluti noſtræ proficuis, non eſſe malum, immo ſanctum. Moderari enim uſum eorum pro neceſsitate, & tempore, Chriſtianorum eſt: præcipue gratia

Hiere. 35.

obediendi

obediendi Ecclesiæ, amoreq; macerandi corporis, & hostiam ex ipso corpore Deo offerendi: cuius gratia non parum meriti apud Deum Christianus acquirit: uti diffusius dictum est in superioribus. Illos uero, qui cibos quocunque tempore tanquam immundos respuunt, aut ab Ecclesia catholica sub quibusdam temporibus, mysterij gratia, prohibitos, in ipsius sanctæ Ecclesiæ contemptum, ac scandalum comedunt; à uero corpore Christi mystico prorsus alienos esse (quemadmodum superius ex patrum doctrina satis ostensum est) affirmamus. Quod & Vigilius Papa sub finem capituli primi suæ decretalis epistolæ in principio huius articuli citatę, concludendo ferè repetit dicẽs. Hæc igitur sequentia patrum uenerabilium constituta specialiter eos censuerunt esse damnandos, qui cum carnibus abstinerent, ea quoq; credebant esse uitanda, quæ carnibus fuisse uidebantur admixta. Nam & ipse Dominus noster Iæsus Christus ita præmonuit dicẽs. Non quod intrat in os, coinquinat hominẽ: sed quæ procedunt de ore, hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Quapropter nec abstinentiam Deo placitam reprobamus, nec eos, qui execrantur Domini creaturam, recipimus in nostra societate. Languentes tamen, uel quomodocunque corporeis uiribus deficientes, cibos ab Ecclesia tempore suo prohibitos comedentes, excusantur, si Ecclesia consulatur: hoc est si iuxta ipsius decretum, atq; consilium cibi prohibiti ab illis sumantur. Caueat autem unusquisq; fidelium hoc perpetrare, nisi magna coactus, compulsusq; fuerit necessitate: uti quam optime concilium 8. Toletanum, cap. 9. sermonẽ faciens de quadragesima, describit dicens. Quisquis sine ineuitabili necessitate, atque fragilitate, & euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus quadragesimę esum carnium prǽsumpserit attentare; non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, uerum etiam alienus ab eiusdem diei sancta cõmunione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam: quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi uero, quos aut ętas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita uiolare præsumant, quàm à sacerdote permissum percipiant.

[Margin: Vigil. Pa.]

[Margin: Concil. 8. Tolet.]

De ſacerdotum cælibatu. Arti. IX.

TAlis potentiæ in pleriſque hęreticis fuit libido, & luxuria, quòd cælibatum à perſonis Deo conſecratis, ad nihilum redigere ſunt conati: dicentes aliqui, uirginitatem non maioris meriti apud Deum eſſe, quàm matrimonium: nuptias uirginitati æquiparantes. Quapropter non pauci cęlibatui iam à multis annis dediti, proprijs non compatientes conſcientijs, coniugio ſe copularunt. Cuius perfidiæ primus auctor fuit Baſilides: quem ſecutus eſt & Iouinianus ipſe, ut teſtatur. Hieron. in 2. lib. aduerſus Iouinianum ſub finem dicens. Quadringenti ferè anni ſunt, quòd Chriſti prædicatio fulget in mundo: ex quo innumerabiles hæreſes tunicam eius conſciderunt. uniuerſus penè error de Chaldæo, & Syro, & Græco ſermone proceſſerat. Baſilides magiſter luxuriæ, & turpiſsimorum complexuū, poſt tot annos ita in Iouinianum quaſi in Euphorbū transformatus eſt, ut Latina quoq; lingua haberet hęreſim ſuam. Ipſe tamen Iouinianus quamuis à monachatu apoſtataſſet, (ut refert Auguſt. in lib. de hęreſ. cap. 82.) uxorem ducere noluit, non propter maius meritum in patria cæleſti aſſequendum, ſed ne nuptiarum pateretur moleſtias: de quibus dicebat Apoſtolus. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi, id eſt nupti. Huius etiam erroris dogma eſt amplexatus & Heluidius: aduerſus quem ſcripſit quoque Hieronymus, uti ipſemet in primo libro contra Iouinianum illius ſcripti mentionem facit. Et his noſtris temporibus hunc ipſum errorem nefandiſsimum renouarunt Lutherus in Epithalamio, Brentius, & confeſsio Vuittembergenſis, dicentes, uirginitatem non præſtare matrimonio. Et, quod peius eſt, Lutherus cum ceteris ſuis complicibus his non contentus, cælibatum, uirginitatem, aureolam, prorſus damnat, atque uituperat dicens (uti habetur in libr. de uotis) illa omnia nugas eſſe, & mera Satanæ mendacia. Quod ferè ſequens Burgenſis, hæc contra Romanum Pontificem aſsignat uerba. *Chriſtus ait, eos, qui continentiæ donum non habent, poſſe matrimonium contrahere. Primæ Timot. 5. At Papa ſacerdotibus matrimonium interdixit: cum tamen conſtet quàm plurimos in Eccleſia primitiua, & uſque ad tempora Calixti Papæ, uxores habuiſſe.* O conſequentias nota-

tu

Hierony.

Auguſt.

1. Cor. 7.

Hierony.

tu dignas Paulus, non Christus, Dei tamen spiritu instructus, eo ipse dicente. Puto autẽ, quòd & ego spiritum Dei habeam.
1. Cor.7. Et non ad Timot. sed ad Cor.7. primæ ait. Si non se continent; nubant. melius est enim nubere, quàm uri. Ergo sacerdotes ducere possunt uxores? O argutiam clarissimi Doctoris, atque academiæ Aurelianensis olim professoris. Alia est. Quàm plurimi in primitiua Ecclesia, & usque ad tempora Calixti Papæ uxores habuerunt. Ergo Papa male sacerdotibus interdixit matrimonium? Vt istis duabus ridiculosis Annæ Burgensis sequelis satisfaciamus, & primò secundæ (quamuis Pontifex Romanus matrimonium nemini unquam interdixerit, sed Deo promissa reddi tantum mandauerit) unum prius est animaduertendũ. Aliud esse, sacerdotes in primitiua Ecclesia uxores habuisse: & aliud, eos ipsos coniugio se copulasse. Nonnullos quidem tunc temporis uxores habentes reperimus, & fatemur, ordinatos fuisse in sacerdotes: non autem sacerdotes duxisse uxores, ut inferius magis ostendetur. Igitur consequentia secunda nulla. Pari modo ad primam deueniendo, & Apostoli sententiæ respondendo, dicimus, Apostolum Paulum illa protulisse uerba propter liberos, & liberas uirgines, & uiduas absolutas, & non propter sacerdotes, & personas alias Deo consecratas.
Ambro. Quod ostendit & Ambrosius ad uirginem lapsam, cap.5. dicẽs. Melius nubere, quàm uri. Hoc Apostoli dictum non ad pollicitam pertinet, sed ad nondum uelatam. Et Epipha. contra Apo-
Epiphan. stolicorum hęresim pag. 143. Tradiderunt sancti Dei Apostoli, peccatum esse post decretam uirginitatem ad nuptias conuerti. Et scripsit Apostol. Si nupserit uirgo, non peccauit. Quomodo igitur hoc cum illo concordat? Immo etiam illam uirginem dicit, quę non est dicata Deo. Velatis autem nubere uolentibus damnationem promittit Apostolus: quia sponsionem Deo factam uiolarunt. Et ideo ne aliqua in huiuscemodi incideret damnationẽ; Paulus Timotheo mandabat, ut adolescentiores uiduas, ob illarum incontinentiam, ad profitendam castitatem, deuitaret: sed uiduas ad minus sexaginta annorum
1. Tim.5. eligeret. Vidua, inquit Apostolus, eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius uiri uxor, in operibus bonis bonũ testimonium habens. &c. Deinde subintulit. Adolescentiores autem uiduas deuita. Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere uolunt, habentes damnationem, quia primam fidem (hoc est castitatis)

caſtitatis) irritam fecerunt. Nec ab re hæc dicebat Apoſtolus. Iam enim quædam conuerſæ erant retro poſt Satanam. Quæ quidem uerba conſiderans Auguſtin. ſic in de dono uiduitatis cap. 9. eſt locutus. Voto à uirginibus, uel uiduis emiſſo (quod intelligendum eſt pariter & de hominibus) iam non ſolum non capeſſere nuptias, ſed etiam ſi non nubantur, nubere uelle damnabile eſt. Nam ut hoc demonſtraret Apoſtolus, non ait, cũ in delicijs egerint in Chriſto, nubunt, ſed nubere uolunt, habentes, inquit, damnationẽ quoniam primam fidem irritam fecerunt, & ſi non nubendo, ſed tamen uolendo: non quia ipſæ nuptiæ, uel talium damnandæ iudicantur, ſed damnatur propoſiti fraus: damnatur fracta uoti fides: damnatur non ſuſceptio à bono inferiore, ſed ruina ex bono ſuperiore: poſtremo damnantur tales, non quia coniugalẽ fidem poſterius inierunt, ſed quia incontinentia primam fidem irritam fecerunt. Falſa eſt igitur prima Burgenſis conſequentia, uidelicet Apoſtolus ait. Qui nõ continent, nubant: ergo ſacerdotes nubere poſſunt. Vel Pontifex contra Apoſtoli doctrinam male ſacerdotibus carnale matrimonium interdixit: cum Apoſtolus ipſe, & non Pontifex Romanus hoc illud ſacerdotibus, alijsq; perſonis ſimilibus interdixerit: & ad Cor. non uniuerſaliter de omnibus, ſed de liberis tantum, locutus fuerit. Pontifex. n. neq; laicis, neq; ſacerdotibus matrimonium cum una unquam interdixit: immo hoc ipſum laudauit, approbauit, atq; ratificauit. cum duabus autem, ſecundum non tanquam matrimonium, ſed uti adulteriũ damnauit, atq; reprobauit. Quod idem dicimus & de mulieribus liberis indifferenter, & uelatis: quibus pariter cum uno ſponſalicium contrahere nunquam pontifex interdixit, ſed inceſtum ſolum, & adulterium reſpuit. Dupliciter autem contrahitur matrimoniũ. Vnum cum homine in Domino, aliud cum Chriſto, uirginitatem ei conſecrando. Auguſt. Tracta. 9. in Euangel. Ioan. Illi, qui uirginitatem Deo uouent, quanquam ampliorẽ gradum honoris, & ſanctitatis in Eccleſia teneant, non tamen ſine nuptijs ſunt. Nam & ipſi pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia: in quibus nuptijs ſponſus eſt Chriſtus. Hęc ille. Et ideo quemadmodum matrimonium carnale non licet homini uiolare, quod ſi fecerit, adulterium perpetrabit; ita multo minus ſpirituale licet alicui contaminare, uotum caſtitatis uiolando. Quod ſi quis hoc commiſerit; non ſolum adulter, uerum

August.

Matrimonium duplex.

August.

Hierony. & incestus, nuncupandus erit. Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum. Virgines, quæ post consecrationem nupserint, non tantum adulteratæ sunt, quàm incestæ. Et Theophilactus in. 7. primæ Cor. ex sententia Chrysostomi. Virgo Deo dicata, si nupserit; delinquit haud dubie plurimum: utpote quę Christo sponso superinducat adulterium. Si autem sponsa suo carnali sponso adulterium superinducente, sponsus ipse aduersus sponsam rationabiliter irascitur; quanto magis credendum est Christum, ob adulterium ab aliqua sponsa sua comissum, ira accendi debere? Ideo Cypria. lib. 1. epist. 11. Christus Dominus, & iudex noster, cum uirginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam, iacere cum altero cernat, quàm indignatur, & irascitur? Quapropter pari modo dicendum est, sicut illa apud sponsum suum se ream mortis reddit propter adulterium; sic multo magis ista apud Christum sponsum suũ mortis efficitur digna. Ambros. ad uirginem lapsam, c. 5. Ceterũ quæ se spopondit Christo, & sanctum uelamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est uiro. Et iã si uoluerit nubere communi lege connubij, adulterium perpetrat: ancilla mortis efficitur. Caueant itaque sacerdotes, & sanctimoniales Christo sponso nostro adulterium superinducere, fidem primam irritam faciendo, & nuptijs carnalibus adherendo: ne mortis serui efficiantur. Ad quod etiam obseruandũ pariter nos inuitat. Tertullianus: qui in lib. de uelandis uirginibus, sic nos alloquitur dicens. Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam: incede secundum sponsi tui uoluntatem. Christus est, qui alienas sponsas, & maritatas iubet uelari, multo magis suas. Non sunt igitur apud personas Deo sacratas nuptiæ carnales admittendæ: sed prorsus ab ipsis expellendę, atque reijciendę. Ideo Origenes in Lucam homil. 17. aiebat. Ab Ecclesiasticis dignitatibus, non solum fornicatio, sed & nuptiæ repelluntur. Neq; enim Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec uidua possunt esse bigami. At hoc nostro æuo ex nouis Christianis per quàm infiniti retro post Satanam (proh dolor) sunt conuersi: primam fidem irritam faciendo, & nuptijs carnalibus se coniungendo. Et, quod peius est, & nefandissimũ, de una tales non contenti muliere, ad beneplacitum, more Mahometico, plures sibi assumunt in uxores: illas demum unam post aliam repudiantes, & alias loco illarum denuo reassumentes.

Theophilactus. Cypria. Ambros. Tertul. Origen.

tes.quòd apud infidelium facerdotes perpetratum fuiffe non re
peritur. Hiero.contra Iouinianum. Antequam,inquit,religio Hierony.
noftra fulgeret in mundo, unicubas femper habuiffe inter ma-
tronas decuit.Per illas fortunæ muliebri façra fieri folitũ.Nul-
lum facerdotem bigamum, nullum flaminem bimaritum leges.
Hierophantes quoque Athenienfium ufque hodie cicutæ for-
bitione caftrari,& poftquam in Pontificatum fuerint electi,ui-
ros effe definere.Item Cherȩmon Stoicus,uir eloquentifsimus, Cheræ.
narrat de uita antiquorum facerdotum Aegypti, ut defcribit
Hiero.lib.2.contra Iouinianum.Quòd omnibus mundi nego-
cijs,curisq; poftpofitis,femper in templo fuerint,& rerum natu
ras,caufasq;, ac rationes fiderum contemplati fint:nunquã mu
lieribus fe mifcuerint:nunquam cognatos,& propinquos, ne li
beros quidẽ,uiderint ex eo tempore, quo cœpiffent diuino cul-
tui deferuire. Infuper neq; Græcis, quibus licet uti matrimo-
nio ante facros ordines contracto,ipfis facris ordinibus iam fu
fceptis coniugio fe copulare eft permiffum : quemadmodum &
in primitiua Ecclefia,neq; Latinis erat conceffum.quod ex di-
uerfis poteft oftendi. In canonibus.n.Apoftolicis,cap.25.fic ha Canon. Apofto.
betur. Qui ad clerum profecti funt,præcipimus,ut fi uoluerint,
uxores accipiant,fed lectores,cantoresq; tantummodo.Et fi fa
cerdos duceret; deponitur. Idẽ in Concilio Neocæfarienfi con Conciliũ Neocæf.
tinetur: ubi cap.1. fic legitur. Presbyter fi uxorem duxerit; ab
ordine illum deponi oportet: adulterantem autem, & fornican
tẽ ab Ecclefia abijci : & inter pœnitentes laicos redigi oportet.
Similiter fi lector,uel cantor exiftẽs,unam duxiffet,& ad gradũ
perueniens facerdotalẽ, ducta mortua, cũ alia contraxiffet;de-
ponendus erat : uti habetur dift. 28. cap.de Syracufanis in fine. Dift. 28.
Quod & moderno tẽpore ab Orientali Ecclefia, non folũ erga
facerdotes, uerũ & diaconos, fubdiaconosq; obferuatione per
quã diligenti cuftoditur,iuxta decretũ primi Cõcilij Toletani: Conciliũ Tol. 1.
in quo c.4.fic habetur.Subdiaconus defuncta uxore, fi uxorem
aliã duxerit;ab officio remoueatur:& inter oftiarios habeatur,
uel lectores,ita ut Euãgeliũ,et Epiftolã nõ legat.&c. Si quis aũt
fcifitaretur,qua de caufa Orientalibus, & non Occidentalibus
clericis, in facris conftitutis, uti matrimonio antea contracto
conceffum fit ? refpondet Innoc. Pa. huius nominis tertius, de Innocen. Papa.3.
clericis coniugatis,cap.Cum olim,dicens. Orientalis Ecclefia
uotũ cõtinentiæ non admifit:quoniã Orientales in minoribus
 ordinibus

Conciliū Anchiri. dist. 28.

ordinibus contrahunt: & in superioribus utuntur matrimonio iam contracto. Quod & habetur ex Concilio Anchiritano, & recitatur dist. 28. cap. Diaconi. Instabit uero luxuriȩ deditus di cens. Cur Roma. Pontifex in Occidentali Ecclesia ordinandos ad continentiæ uotum cogit? O insaniam talium hominum? Quis nam ille est, qui à Romano Pontifice ad tale uotum fuerit coactus? Nempe hoc nunquam reperietur: & si quis ad hoc coerceretur; ad ipsum obseruandum profectò non teneretur: quia uotum libera debet esse promissio, uoluntarie Deo facta: uti ostendetur inferius in articulo de uotis. Nullus etenim ad uotum continentiæ cogitur. Verum nemini Pontifex Romanus sacros ordines impertitur, nisi castitatem se obseruaturum pollicitus fuerit. Et hoc non ex se ipso, sed ex communi totius Occidentalis Ecclesiȩ consensu ob tanti mysterij reuerentiam, uti paulo post indicabitur, est decretum. Si quis autem iudicauerit se continere non posse; sacris se non sinat initiari ordinibus: sed utatur matrimonio sibi admisso fornicationis remedio, iuxta illud Apostoli ad Cor. 7. primæ. Quod si non se con tinent; nubant: melius est enim nubere, quàm uri. Qui donum hoc cælitus sibi datum non esse, sine quo continens esse nō potest, existimat; ab ordinibus suscipiendis abstineat: & cui uult, in Domino nubat: cum ad sacros ordines suscipiendos nul lus sit astrictus. Si autem sacris se initiari fecerit; factum est ei illicitum, quod prius ipsi erat honestum. His autem cælibatus inimicus Annas Burgensis se opponet dicens. Cum in primitiua Ecclesia usque ad Calixti Papæ tempora sacerdotibus ad mi nus matrimonio iam contracto gaudere permissum fuerit; ad quid nunc id illis interdicitur? Nunquid moderni patres illis sunt sanctiores? O argutiam inexcogitabilem. Non enim mutatio ista in Ecclesia circa sacerdotum cęlibatum, ex parte patrum, qui semper ab uno, & eodem spiritu fuerunt instructi, atque edocti, sed ex parte capacitatis hominum est orta: quibus quandoque Ecclesia ob illorum ruditatem, & pertinaciam ad tempus concedit nonnulla, quamuis non sint admodum licita. Quemadmodum Moyses ad duritiam cordis Iudęorum illis dimisit, & scripsit libellū repudij: quod Christus ipse Marc. 10. confirmat dicens. Ad duritiam cordis uestri scripsit uobis præ ceptum istud. Quod tandem non esse faciendum, ibidem osten dit Christus dicens. Ab initio autem creaturæ masculum, & feminam

(Margin notes: 1. Cor. 7. — Oppositio. — Satisfactio. — Marc. 10.)

feminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem: & adherebit ad uxorem ſuam: & erunt duo in carne una. Itaq; iam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet &c. Et Mathe. 19. Matth.19.
Moyſes, inquit ipſe Chriſtus, ad duritiam cordis ueſtri permiſit uobis dimittere uxores ueſtras. Ab initio autem non fuit ſic, &c. Quod & de omnibus alijs ab Eccleſia mutatis pariter eſt affirmandum: vti etiam. D. Auguſtinus contra Fauſtum Auguſt.
expreſſe oſtendit dicens. Nulla inconſtantia præcipientis, ſed ratione diſpenſantis pro temporum diuerſitate præcepta, vel conſilia, vel præmiſſa mutantur. Et in epiſtola. 5. ad Marcel- Act.15.
linum. Pari modo, quod Apoſtoli aliquando ſtatuerunt, quòd ſcilicet fideles abſtinerent ab immolatis ſimulachrorum, ſanguine & ſuffocato, poſtea licuit prætergredi. Dixit nanque Paulus. Omne, quod in macello uenit, manducate: nihil in- 1.Cor.10.
terrogantes propter conſcientiam. Et iterum, omnis creatu- 1.Tim. 4.
ra Dei bona eſt: & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Ecce tempore Pauli mutatum eſt, quod Ab apoſtolis ſancitum fuerat. Sic actum eſt, atq; obſeruatum & circa ſacerdotum cælibatum. Nam in primitiua Eccleſia, dum adhuc rudis ex gentibus conſtituebatur, leuiora Eccleſia per patres dedit præcepta: ne territi homines fugerent, quòd plus oneris illis imponeretur, quam ipſorum poſſet ſuſtinere fragilitas, iuxta illud Actorum. 15. Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, ni- Act.15.
hil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſario, &c. Ideo ſacerdotes matrimonio prius cõtracto frui permittebat. quapropter & Apoſtoli cælibatum non ſub præcepto, ſed conſilio hominibus proponebant, vti habetur ex Paulo primæ Cor. 7. 1.Cor.7.
Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. Item de virginibus prȩceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Item. Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Item. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium. Puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam. Deinde Eccleſia Dei corroborata, à Spiritu ſancto directa, ob tanti reuerentiam miniſterij, determinauit, neminem ſacris initiari, niſi ſe cȩlibem permanſurum profiteretur. Vnde Hieron. Hieron.
In tenella adhuc Eccleſia, dum Eccleſiaſticus ordo inſtituitur, propter

propter conuerſorum paucitatem admiſſum eſt ſacerdotibus uti matrimonio prius contracto. Roborata uero Eccleſia, hominibusq; ad potiora prouocatis, addictus eſt Eccleſiaſtico ordini cælibatus: ut non niſi deinceps cælebs uicturus admittatur ad ordines. Item Epiphanius contra Catharos, pag. 136.

Epipha. Re uera non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio poſt Chriſti aduentum eos, qui à nuptiis, mortua ipſorum uxore, ſecundis nuptiis coniuncti ſunt, propter excellentem ſacerdotij honorem, ac dignitatem. Et hæc certe ſancta Dei Eccleſia cum ſinceritate obſeruat: ſed & adhuc uiuentem, & liberos gignentem unius uxoris uirum non ſuſcipit, ſed eum, qui ſe ab una continuit, aut in uiduitate uixit, Diaconum & Presbyterum, & Epiſcopum, & Hypodiaconum, maxime ubi ſinceri ſunt canones Eccleſiaſtici. At dices mihi, omnino in quibuſdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos. At hoc non eſt iuxta canonem, ſed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cum non inueniretur miniſterium. Idem ad finem librorum contra 80. hæreſes, pag. 530. Sanctum ſacerdotium ex uirginibus quidē ut plurimum procedens: ſi uerò non ex uirginibus, at ex ſolitariam uitam degentibus. Si uero non ſuffecerint ad miniſterium ad ſolitariam uitam degentibus, de his, qui continent à proprijs uxoribus, aut ab unis nuptijs ſeruantibus uiduitatem. Nam eum, qui ſecundas nuptias contraxit, non licet in ipſa ad ſacerdotiū ſuſcipere: etiam ſi is, qui ab initio continens uiduus fuerit, poſsit habere locum Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi, & Subdiaconi, &c. Item Orige. in Leuiti: Homil. 17. Ante

Origen. omnia enim ſacerdos, qui diuinis aſsiſtit altaribus, caſtitate debet accingi, &c. Et Chryſoſt. Hom. 2. in de patientia Iob.

Chryſoſ. Tito dixit Paulus. Conſtitue Epiſcopos, ſicut ego diſpoſui tibi, ſi quis eſt ſine crimine, & unius uxoris uir, non ea ratione, ꝙ id nunc in Eccleſia obſeruetur. oportet.n. omni prorſus caſtitate ſacerdotem ornatum eſſe. Et Homil. 10. in 2. Timoth. 3. oſtendit, quomodo Apoſtoli ſententia, Oportet Epiſcopum unius uxoris eſſe uirum, ſit intelligenda, dicens. Non hoc ueluti ſanciens dicit Apoſtolus, quaſi non liceat abſq; uxore Epiſcopum fieri, ſed eiuſdem rei modum conſtituens. Iudæis quippe licitum erat etiam ſecundo matrimonio iungi, & duas itidem habere ſimul uxores. honorabiles.n. nuptię. Quidam uerò hoc ita

ita intelligunt, ut .ſ. ad Epiſcopatum is aſſumatur, qui unius fuerit uxoris uir. Hæc ille. Quod oſtendit & Hieron. aduerſus Iouinianum lib.1.cum ait. Non dicit Apoſtolus Paulus. Eligatur Epiſcopus, qui unam ducat uxorem, & filios faciat, ſed qui unam habuerit uxorem, & filios in omni ſubditos diſciplina. Item Euſebius demonſtrationis Euangelicæ lib.1.cap.9. Oportere.n.dicit ſermo diuinus, Epiſcopum unius uxoris uirum eſſe. Veruntamen eos, qui ſacrati ſunt, atq; in Dei miniſterio, cultuq; occupati, cõtinere deinceps ſeipſos à commercio uxoris decet. Qui autem non ad tantum aſſumpti ſunt ſacerdotij munus; iis idem ſermo diuinus indulget, ac propemodum palàm omnibus prædicat, ꝙ utique honorabile ſit coniugium, & thorus immaculatus: fornicatores uero, & adulteros iudicaturus ſit Deus. Ratio autem ſacerdotij cęlibatus eſt, uti habetur cap.8.epiſtolæ Syritij Papę ad Concilium Telenenſe ſcripta. Si laicis, quemadmodum ſcriptum eſt ad Corin. 7.1. abſtinentia imperatur, ut poſsint orationi uacando deprecantes exaudiri; quanto magis ſacerdos utique omni momento paratus eſſe debet, munditiæ puritate ſecurus, ne aut ſacrificium offerat, aut baptizare cogatur? Qui ſi contaminatus eſt carnali concupiſcentia, quid faciet? Excuſabitur? Quo pudore, qua mente uſurpabitur? Qua conſcientia, quo merito hic exaudiri ſe credit? Cum dictum ſit. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum. Forte creditur, quia ſcriptum eſt, Vnius uxoris uirum, non permanenti in concupiſcentia generandi dixit, ſed propter continentiam futuram. Neque enim integros non admiſit, qui ait. Vellem autem omnes homines ſic eſſe, ſicuti & ego. Et apertius declarat dicens. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt: uos autem iam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Et Hieronym. in Tit. cap.1. Si laicis imperatur, ut propter orationem abſtineant ab uxorum coitu; quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis, populiq; peccatis illibatas Deo oblaturus eſt uictimas? Item contra Iouinianum lib. 1.cap.19. Si laicus, & quicunq; fidelis orare non poteſt, niſi careat officio coniugali; ſacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum eſt; ergo ſemper carendum eſt matrimonio. Nam in ueteri lege, qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolum in domibus ſuis

Hiero. Euſeb. Conc. Telen. Syritius. 1.Cor.7. Tit.1. 1.Tim.3. Hieron.

suis non morabantur, sed ab vxoribus ad tempus separati purificabantur, vinumq;, & siceram non bibebant, quæ libidinem prouocare solent. Idem etiam Ambros. in epistolam primam Tim. cap. 3. Si enim plebis hominibus orationis causa ad tempus abstinere se præcepit, vt vacent orationi; quanto magis Leuitis, aut sacerdotibus, quos diu, noctuq; pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo esse debent ceteris, quia actores Dei sunt &c. Nec dicendum eandem veteris legis apud nos obseruandam esse consuetudinem, ut sacerdotes cum sacrificare tenentur, ab uxoribus ad tempus separati purificentur: tum quia illi in figura solummodo sacrificabant, nostri autem in figurato, illi hostiam carnium animalium Deo offerebant, nostrates autem hostiam sanctissimæ carnis, & pretiosissimi sanguinis saluatoris nostri Iæsu Christi, veri filij Dei; tum quia, vt ait Diuus Ambrosius in epistola. 1. ad Timoth. cap. 3. Sacerdotes, & Leuitæ veteris legis multum tempus otio uacabant à ministerio, aut sacerdotio. Multitudo enim erat sacerdotum, & magna copia Leuitarum, & vnusquisq; certo tempore seruiebat diuinis cęremonijs secundum institutum Dauid. Hic enim viginti, & quatuor classes constituit sacerdotum, vt uicibus deseruirent. Vnde Abia octauam classem habuit: cuius vice Zacharias fungebatur sacerdotio, sicut continetur in Paralipomenon: ita vt tempore, quo non illos contingebat deseruire altari, domorum suarum agerent curam. At vbi tempus imminebat ministerij, purificati aliquantis diebus accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem septem Diaconos esse oportet, aliquantos Presbyteros, vt bini sint per Ecclesias, & vnus in ciuitate Episcopus, ac per hoc omnes à conuentu feminæ abstinere deberent: quia necesse est eos quotidie præsto esse in Ecclesia, nec habere dilationem, ut post conuentum legitime purificentur, sicut ueteres. Omni enim hebdomada offerendũ est. etiam si non quotidie peregrinis, incolis tamen, uel bis in hebdomada: & non desunt, qui prope quotidie baptizentur ægri. Nam ueteribus ideo concessum est, quia multo tempore in templo non uidebantur, sed erant priuati. His itaque, & similibus alijs sanctis rationibus, non solum Pontifices Romani, uerum & omnes nostri sancti patres cõmuni totius Ecclesiæ catholicæ consensu inducti, cælibes solummodo sacris initiari sanxerunt.

Ambr.

Ambr.

Nam

Nam in primo Concilio uniuerſali Nicæno, ſcilicet tempore ſancti Siluestri, & magni Imperatoris Christianiſsimi Constantini celebrato, can. 3. ſic habetur. Omnibus modis interdixit ſancta Synodus, neque Epiſcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque ulli clericorum, omnino licere habere ſecum mulierem extraneam, niſi forte mater, aut ſoror, aut auia, aut amita, uel matertera ſit. In his nanque ſolis perſonis, & harum ſimilibus omnis, quæ ex mulieribus eſt, ſuſpicio declinatur. Qui autem præter hæc agit; periclitatur de clero. Cui ſententiæ, & decreto ſubſcripſerunt. 318. Epiſcopi, qui in eodem conuenerant Concilio. Et in Romano ſub eodum Siluestro Pontifice, & magno Imperatore Conſtantino celebrato, can. 8. omnium conſenſu ita eſt ſancitum. Nullus autem Subdiaconus ad nuptias tranſire ne aliqua præuaricatione præſumpſerit, præcipimus. Cui decreto cum ceteris omnibus ibi concluſis. 275. ſubſcripſerunt Epiſcopi, ibidem congregati. Item in Concilio uniuerſali ſexto, in ciuitate Conſtantinopolitana, præſidentibus Conſtantino Imperatore, huius nominis quinto, & legatis ab Agathone Papa miſsis, celebrato, can. 48. ſic legitur. Vxor eius, qui ad Epiſcopalem dignitatem promotus eſt, communi ſui uiri conſenſu prius ſeparata, poſtquam in Epiſcopum ordinatus eſt, ac conſecratus, monaſterium ingrediatur, procul ab Epiſcopi habitatione extractum, & Epiſcopi prouidentia fruatur. Sin autem digna uiſa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem prouehetur. In Concilio uerò Neocæſarienſi, quod fuit. 2. prouinciale, ſub Euſebio, uel Melchiade conuocato, capite primo, ſic determinatum eſt, quemadmodum & ſupra eſt dictum. Presbyter ſi uxorem duxerit; ab ordine ſuo illum deponi debere: quòd ſi fornicatus fuerit, uel adulterium commiſerit; extra Eccleſiam abiici, & ad pœnitentiam inter laicos redigi. Quod quidem decretum cum alijs tredecim ſexta Synodus, tertia uidelicet Conſtantinopolitana, approbauit. In Concilio autem Elibertino, tempore Siluestri, & Vniuerſalis Concilij Nicæni celebrato, can. 33. ſic præcipitur. Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, ac Subdiaconibus poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios. Quod quicunque fecerit; ab honore clericatus exterminetur. Et in Concilio Carthaginenſi ſecundo, tem-

Concil. Nicæn.

Concil. Rom.

6. Concil. Côſtan. 3.

Concil. Neoc.

Concil. Eliber.

Concil. Cartha. 2.

pore Syritij Papæ habito, à sexta Synodo pariter confirmato, cap. 2. ita decretum est. Cum in præterito Concilio de continentiæ, & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos ita placuit, ut condecet sacrosanctos antistites, & Dei sacerdotes, nec non & Leuitas, uel qui sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare: ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab uniuersis Episcopis dictum est. Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, uel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est placet, ut in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deseruiunt. Hoc quoque recitatur distinct. 31. cap. Episcopos, & distinct. 84. cap. Cum in præterito. Item in Concilio Agathensi can. 39. Omnium animo sic est determinatum. Presbyteri, Diacones, Subdiacones, uel deinceps quibus ducendi uxores licentia non est, etiam aliarum nuptiarum euitent conuiuia. Item in secundo Toletano, tempore Ioan. secundi Papæ celebrato, can. secundo, sic est decretum. Vt nullus clericorum à gradu Subdiaconatus, & supra, in consortio familiaritatis habeat mulierem, uel ingenuam, uel libertam, uel ancillam. Item in Aurelianensi secundo, tempore Vigilij Papæ celebrato, can. 8. ita legitur. Si quis Diaconus in captiuitatem redactus, uxori fuerit copulatus; reuersus, ab officio omnino ministerij remouendus est: cui sufficere debet pro actus sui leuitate impleta pœnitentia, pro satisfactione communio. In tertio pariter Aurelianensi, can. 2. sic etiam habetur. Vt nullus clericorum à Subdiacono, & supra, quos uxores in proposito suo accipere inhibetur; propriæ (si forte iam habet) misceatur uxori. Quòd si fecerit; laica communione contentus, iuxta priorum canonum statuta, ab officio deponatur, &c. Item Concilium Antisiodorense, circa tempora Deusdedit Papæ celebratum, can. 20. hoc idem decreuit, ubi sic legitur. Quod si Presbyter (quod nefas est dicere) aut Diaconus, aut Subdiaconus, post acceptam benedictionem, infantes procreauerit, aut adulterium commiserit, & Archipresbyter hoc

Dist. 31. & 84.

Concil. Agath.

Concil. Tolet. 2.

Conc. Aurel. 2.

Conc. Aurel. 3.

Concil. Antisiod.

Epiſcopo, aut Archidiacono non intimauerit; integro anno non communicet. Item can. 21. Non licet Presbytero, in uno lecto, poſt acceptam benedictionem, cum Presbytera dormire, nec in peccato miſceri: nec Diacono, nec Subdiacono. Concilium quoque Toletanum quartum, tempore Honorij Papæ, huius nominis primi, celebratum, can. 26. ſic ordinauit. Quando Presbyteri, aut Diaconi per parochias conſtituuntur; oportet eos primùm profeſsionem ſuo Epiſcopo facere, ut caſte, & pure uiuant ſub Dei timore: ut dum eos talis profeſsio obligauerit, uitæ ſanctæ diſciplinam retineant. Octauum etiam Toletanum, tempore Recceſiunthi Regis, celebratum, can. 7. ſic decreuit de talibus loquens. Mox omni Eccleſiaſtici ordinis dignitate priuetur, & ut apoſtata à ſanctæ Eccleſiæ liminibus, & ſocietate fidelium habeatur prorſus excluſus, monaſterij clauſtris, donec uixerit, ſub pœnitentia retrudendus. Idem ferè quinto, & ſexto can. habetur. Quod etiam in aliis diuerſorum Conciliorum locis continetur. Non ergo Roman. Pontifex, arbitrio ſuo, quemadmodum ei impingit Burgenſis, ſed totius Eccleſiæ catholicæ, ſanctiſsimi patres, non ſemel, uerum pluries inſimul congregati, & à Spiritu ſancto inſtructi, hoc inſtituerunt decretum, ab uniuerſali Eccleſia laudatum. Quamuis & Romani Pontifices id affirmauerint, & obſeruari ſub præcepto mandauerint. Calixtus diſtin. 27. cap. Presbyteris. Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & monachis, concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere, penitus interdicimus. Et Leo Papa, epiſtola 70. ad Epiſcopum Narbonenſem, ait. Laicis, & lectoribus licet uxores ducere, ſed cum ad gradus miniſtrorum peruenerunt; cœpit eis non licere, quod licuit. Item Zacharias Papa, in epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum. Quales ſe eſſe ſacerdotes exiſtimant, dicente Domino, Sacerdotes mei ſemel nubant. Et Apoſtolo, Vnius uxoris uirum, &cet. Et hoc ante ſuſceptum ſacerdotium, uti licitum eſt: nam à die ſuſcepti ſacerdotij, etiam ab ipſo proprio coniugio prohibendi ſunt, &cet. Quomodo ſacerdotio fungi conſiderant, qui talibus ſceleribus inuoluti eſſe monſtrantur? Qui peiora ſecularium ſcelera comittunt, ut plures uxores habere præſumant, quibus nec unam conceſſum eſt poſt ſuſceptum miniſterium attrectare? Iſti nanque (ut præmiſsi)

Concil. Tolet. 4.

Concil. Tolet. 8.

Calix. Pa.

Leo Pap.

Zachar. Pa.

nec ſacerdotio fungi patiantur, nec diuina contingere myſteria commonemus. Idem Lucius huius nominis primus, in ſua decretali epiſtola ad Gallię, & Hiſpanię Epiſcopos ſcripta. Idē & Syritius in epiſtola ad Himerum Tarraconenſem Epiſcopū. Idem & Nicolaus primus in epiſtola ad Michaelem Imperatorem ſcripta. Idem quàm plurimi alij Pontifices Maximi, uiriq; ſanctiſsimi approbarunt. Qui profectò, nō quia malum ſit matrimonium, hoc ſtatuerunt; ſed, quemadmodum ait & Aug. contra Fauſtum lib. 29. cap. 6., quia huic bono aliud melius anteposuerunt: iuxta illud Apoſtoli 1. Corin. 7. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit (non nubendo uidelicet) ſecundum meum conſilium. Tales autem carnis ſtimulum quandoq; patientur. Quod ſi quibuſdam diſpliceat, & ſe continere uiſum fuerit difficile; à ſacris ordinibus abſtineant: ad quos ſuſcipiendos cogitur nullus. Melius eſt enim cuilibet, ſi continere non uult; nubere, quàm uri. Sed dicet hæreticus. Exiſtimaui me continere poſſe: ſed carnis petulantia poſt ſuſceptos ordines ſic efferbuit; ut mihi iam ſit impoſsibile: itaq; fornicationis remedio, utendum eſſe aſſerit matrimonio. O peruerſam ſceleris excuſationem. cur in principio ſucceſſum rei non cōſideraſti? ergo Apoſtolus ex Spiritu ſancto rem impoſsibilem hortabatur amplecti? Abſit: cum iugum Chriſti ſuaue ſit, & onus eius leue. Non enim ex impoſsibilitate, ſed ex ipſius peruerſa hoc prouenit uoluntate. nam uolenti nihil eſt difficile: præcipue quod ad Chriſtum noſtrum dirigitur ſeruatorem. iuxta illud Apoſtoli ad Philippen. 4. Omnia poſſum in eo, qui me confortat Deus. Oblitus es ſponſionis Chriſti, qui ait. Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur uobis. Et alibi. Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Et iterum. Si manſeritis in me, & uerba mea in uobis manſerint; quodcunque uolueritis, petetis: & fiet uobis. Quid itaque facturus eſt ſacerdos petulantem, & laſciuientem ſentiens carnem? oret, abſtineat, ieiunet, corpus inedia ſubiiciat, occaſiones libidinem prouocantes fugiat, ad bona opera ſe conferat: & diuino fultus auxilio, continere poterit. quod ſibi prius impoſsibile ſuſpicatus fuerat. Dicit enim luxurioſus, atque negligens, ſe continere non poſſe: non quia non poteſt, ſed quia non uult. Nam deliciarum affluentiam, epularum, & poculorum copiam,

talis

Lucius Pa. 1. Syritius Pa. Nicolaus Pa. 1. August. 1. Cor. 7. Inſtantia. Reſpon. Matth. 11. Philip. 4. Luc. 11. Ioan. 14. Ioan. 15.

talis non cupit reſecare: mulierculárumque conſortia, & talia concupiſcentię incentiua refugit uitare: & otium ſtudio negligit repellere. Vnde Auguſt. lib. 1. Soliloquiorum cap. 10. Nihil eſſe ſentio, quod magis ex arce deijciat animũ uirilem, quàm blandiméta feminea, corporumq; ille contactus: ſine quo uxor haberi poteſt. Item Hierony. ad Ruſticum monachum. Ama ſcientiam ſcripturarũ, & carnis uitia non amabis. Et Chryſoſt. Homil. in pſal. 50. Non poſſum, ais, me continere. hoc puſillanimitatis eſt, & negligentię tuæ: qui Dei præcepta contemnere malles, quàm facere. Sic ſacerdotibus noſtræ ætatis quàm plurimis nouos Chriſtianos ſequentibus non uirtus continendi, ſed uoluntas deeſt. Ex his igitur patere poteſt, Annam Burgenſem, ceterosque alios ſimiles hęreticos, omnibus non ſolum Græcis ſchiſmaticis, & alijs ſimilibus infinitis neotericis; uerũ & quàm plurimis infidelibus peiores, atque deteriores eſſe: qui ſacerdotibus, monachis, atque monialibus licere matrimoniũ contrahere, docent: quod nunquam Græci, neque alij ſimiles auſi ſunt annuere. Hęc quo ad ſacerdotum cęlibatum ſufficiãt: præcipue cum infra in confeſsione ſecunda, cap. de uotis, diffuſius iſta tractetur materia. Imagines etiam ſanctorum damnat dicens. *Deus uetat, ne imagines in templis ſtatuantur, quemadmodum mox docebimus. At Papa id permittit.* Verum cum inferius in ſecunda confeſsione talem diffuſius tangat materiam uti ipſemet hoc in loco mentionem facit) ad huic impietati ſatis faciendum illucuſque expectabimus.

August.

Hierony.

Chryſoſt.

De infeſtis, ac moleſtijs Eccleſiæ Romanæ, atque eius Pontificis. Artic. X.

ANnas Burgenſis ſimiarum more, quæ cum homines non ſint, homines imitantur, Eccleſiæ catholicæ, ad inſtar præcedentium, ceterorumque hæreticorum, auctoritatẽ uoluit ſibi uindicare. Nam cum ipſe in Eccleſia non eſſet, ſed illi rebellis foret, hoc ſibi uindicabat, quod ceteros faciens hæreticos, ſummum Pontificem tanquam ex ſupra poſitis ſuis rationibus concluſionem inferendo, Antichriſtum appellauit, dicens. *Quare merito, atque optimo iure Antichriſtus appellatus eſt. Itaque à Paulo deſcribitur. 2. Theſſ. 2. Quod ſi eius rei indicium pijs uiris, & Euangelij notitiam habentibus deferatur, ſtatuent, quæ ſuperius dicta ſunt,*

sunt, uera, & certa esse. Quapropter ipse Burgensis, sicuti & prædecessores sui, quorum uestigia est sequutus, à Christi fidelibus fuit damnatus. Insurrexerant enim primo Ruteni, qui Ecclesiæ Romanæ nunquam obedientes fuere. In sui enim erroris schismatici defensionem, nulla natio pertinacior fuit hac gente Rutenica, quæ inter 40. errores ipsorum hos habebat duos. Sanctum Petrum non uerum Papam, neque Ro. Sedis Antistitem fuisse. Idem de successoribus suis tenentes. Item, Romanā Ecclesiam aliarū caput non esse, affirmabant. Similiter & Græci, qui à Romanæ Ecclesiæ unitate aberrarunt, & usq; hodie ei rebelles sunt, semper duræ ceruicis extiterunt, arrogantes Summum Pontificem Romanum Christi esse Vicariū negant, nosq; Latinos tanquam excommunicatos prædicant. Deinde Marsilius quidam insurrexit Paduanus, homo peruersus dicens, Papam ab Imperatore iudicari posse, Presbyterosq; tantam habere potestatem, quantam Episcopi, ne dum quantam Papa: atq; Imperatorem, uacante Ecclesia, Papatui succedere. Et post Domini ascensionem, neminem in terra eius Vicarium remansisse. Hoc & alios similes seminauit errores, qui à Ioā. 22. fuere damnati in Extrauaganti. Huius pariter sectæ fuit, & Ioan. de Iamduno, qui non solum Petrum non plus caput Ecclesiæ fuisse, quàm quilibet aliorum fuerit Apostolorum, asserebat; uerum & id, quod legitur apud Matth. de statere ex ore piscis sumpto. &c. quòd Christus non ex sua fecerit liberalitate, sed coactus necessitate. Alius autem Ioannes non minori diabolica peste imbutus ab Vuesalia superiori oriundus, multas contra Spiritum sanctum, & Christum, eiusque Ecclesiam diuersis in locis prædicauit blasphemias, præcipue istas, Christi Ecclesiā errare posse, atque errasse, & Concilia Vniuersalia in Spiritu sancto non esse congregata, quapropter illorum sanctionibus homines obedire non teneri, Pontificemque Romanum, etsi legitime institutum, Christi Vicarium non esse. Et unum Episcopum super alios, & Papam super omnes non à Christo, sed ab hominum electione originē habuisse, & omnes indifferenter Presbyteros, & Episcopos pares esse affirmando. Hos, & similes per plures alios seminauit errores: quos cum ipse Boemis communicaret; fuit condemnatus: eiusque libri Moguntiæ sub Friderico Imperatore. 3. igni fuerunt traditi. Ioannes uero Vuicleffus, qui à sacro Constantiensi Concilio cum 40. articulis fuit

Ruteni.

Græci.

Marsilius Paduanus

Ioann. de Iamdu.

Ioann. ab Vuesalia.

Ioan. Vuicleffus.

fuit condemnatus, arti. 9. post Vrbanum. 6. non esse aliquem recipiendum in Papam asserebat, sed more Græcorum sub legibus proprijs uiuendum esse affirmabat. Et articu. 37. Ecclesia Roma. est Synagoga Satanæ: nec Papa est immediatus Christi, & Apostolorum Vicarius. Ioannes autem Huss, qui pariter ab eadem sancta Synodo cum. 30. suis articulis fuit combustus; articulo septimo, Petrum non fuisse, neque esse caput Ecclesię astruebat. Et articulo nono, Papalem dignitatem à Cæsare inoleuisse, ac Papę institutionem à Cæsaris potentia emanasse affirmabat. Et articulo. 10. Aliquem particularis Ecclesiæ caput esse, nemo (inquit ipse) sine reuelatione rationabiliter de se, uel alio potest asserere: nec Romanum Pontificem Ecclesiæ Romanæ caput esse. Et artic. 11. Sic aiebat. Non oportet credere, quòd iste, quicunque est, particularis Roma. Pontifex, sit caput cuiuscunque particularis Ecclesię, nisi Deus eum prædestinauerit. Item artic. 29. Apostoli, & fideles Domini sacerdotes strenue in necessarijs ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum. Deinde tempore Leonis Papæ, huius nominis 10. & Maximiliani Imperatoris, nouus apparuit Eũangelista, Martinus nomine: qui inter alia, quę in agro Domini superseminauit zizania, hoc unum contra Sedem Apostolicam, & Summum Romanũ Pontificem fuit, Papatum regnum Babylonis, & potentiam Nemroth robusti uenatoris appellans, ac animo irreuerendo, & infrunito Papam Antichristum, hęreticum, apostatam, infidelem, tyrannum uocans, aliaque similia ignominiosa ei imponendo nomina: Rutenos, Vuicleffum, atque Hussitas imitans. Cuius ueneno multi ex suis discipulis imbuti pariter contra Romanam Sedem oblocuti sunt. Inter quos Vlricus fuit ille Zuuinglius, sacramentorum exterminator, & Martinus Butzerus, & Philippus Melanchton, confessionis Augustanæ auctor. Caluinus quoque, & Brentius confessionis Vuittembergensis defensor. nec non & quàm plurimi similes alij. At cum catholica nostra Ecclesia, ad instar cupressi, quanto magis opprimitur, tanto magis in altum eleuetur, illis omnibus ipsam infestantibus superatis, uictrix semper perseuerauit. Ideo Hilarius in libro de Trinitate septimo. Hoc Ecclesiæ proprium est, ut tum uincat, cum læditur: tum intelligatur, cum arguitur: tũ obtineat, cum deseritur. Et Alexander Episcopus Constantinopolitanus,

Ioã. Huss. Mart. Lut. Zuuingl. Butzerus. Melanch. Caluin. Brentius. Hilarius.

Hist. trip. nopolitanus, uti habetur in tripartita Historia, lib. 1. cap. 14. Ecclesia catholica, inquit ille, inuincibilis est, licet omnis mundus aduersus eam pugnet, & uictrix totius aduersæ impietatis existit. Quare & Annam Burgensem suis cum impugnationibus huic nostrę sanctæ Ecclesię, eiusque pastori, cedere erit necesse. quod non erit difficile ostendere. Nam, inquit Burgensis, si huius rei iudicium pijs uiris, & Euangelij notitiam habētibus deferatur; statuent, quæ superius dicta sunt, uera, & certa esse: ex quibus deinde intulit, Romanũ Pontificem esse Antichristum. Si enim omnia tua dicta ò Anna, superius assignata, huiuscemodi hominum iudicio essent deferenda; nonne te ipsum condemnas? Quis inter rationales creaturas, non dicam omnimodam, sed scintillam Euangelij notitiam habēs, non cognoscat, & iudicet supra scriptas probationes tuas peruersas, atque erroneas esse, & à ueritate prorsus deuiare? quemadmodum responsiones meę ad tua singula ununquenque certum possunt facere. Igitur & conclusio ex illis illata ex toto erit falsa: cum ex manifeste falsis nihil inferatur ratione, & uigore falsitatis ipsarum, nisi falsum, ut omnis doctrina docet peripatetica: quamuis gratia formæ syllogisticæ & uerum quandoq; ex falsis possit inferri, ut docent dialectici. Cuius etiam falsitatem tam ex Euangelio, tam ex reliquis libris canonicis describere, omnibusque aperire dignum esse iudicaui: ut unusquisq; de ueritate ambiguus, certus fiat, Ecclesiam Romanam, non Satanę Synagogam, sed Christi sponsam, & ipsius Pontificem, non Antichristum, sed uerum Christi Vicarium, & Petri esse successorem. Et Annam Burgensem, ceterosque hæreticos ipsum Pontificem cum Ecclesia impugnantes, ueros esse Antichristi præcursores, ex Satanæ Synagoga originem trahentes, & ex consequenti ab ipsa Christi Ecclesia prorsus distantes. De Antichristo enim proprie unum ferè tantum habetur, ut Apostolus ad
2. Thes. 2. Thes. secundæ. 2. testatur, in quo hæretici finē habebunt. Ideo
Glosa. Glosa super. 17. Luc. Multi heretici fuerunt, & futuri sunt: quorum primus Simō Magus, & ultimus Antichristus. Et hoc, quia post ipsum immediate Christus descendet, mundo finem imponendo: ita quòd ipsius Antichristi ortus hunc ultimum Christi
Euseb. aduentum in ianuis esse indicabit. Vnde Eusebius super illis
Luc. 17. uerbis apud Lucam. 17. positis, Et dicent uobis, Ecce hic, & ecce illic, Nolite ire, neq; sectamini, ait. Si adueniente Antichristo,

ſto, fama de eo uolet, quaſi apparuerit Chriſtus; non egrediamini, neque ſequamini. Nam impoſsibile eſt eum, qui ſemel in terra uiſus eſt, iterum in angulis terræ conuerſari. Erit igitur hic, de quo dicitur, non uerus Chriſtus: manifeſtum enim ſignum ſecundi aduentus Saluatoris noſtri hoc eſt, quod ſubito totum orbem claritas eius aduentus replebit. Vnde ſequitur. Nam ſicut fulgur coruſcans de ſub cælo in ea, quę ſub cælo ſunt, fulget; ita erit filius hominis in die ſua. &c. Quod & ceteri omnes itidem affirmant ſacri doctores. Si itaque Romanus Pontifex merito, & optimo iure, ut Burgenſis aſſerit, Antichriſtus eſſet appellandus; profecto non unus, ſed quàm plurimi elapſi fuiſſent Antichriſti: & dies illa iam diu, & pluries adueniſſet nouiſsima. Quod eſt abſurdum aſſerere: niſi forte Antichriſti nomen latiori ſumeretur modo, pro omnibus uidelicet ab Eccleſia catholica ſeparatis. tunc infiniti tales eſſent, ac fuiſſent Antichriſti, illius principalis iniquitatem participantes. Nam Antichriſtus ille proprie nuncupatur: quia ſicut in Chriſto omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit; ita in Antichriſto omnis malitiæ plenitudo inhabitabit: non quidem ita, quòd humanitas eius ſit aſſumenda à Diabolo in unitatem perſonæ, ſicut humanitas Chriſti à filio Dei eſt aſſumpta; ſed quia Diabolus ſuam ei præ ceteris eminentius ſuggerendo influet malitiam. Et ſecundum hoc omnes alij priores hæretici hanc ipſam participantes malitiam, ſunt quaſi quædam Antichriſti figura: iuxta illud Apoſtoli ad Theſ.2. ſecundæ. Myſterium iam operatur iniquitatis. Propterea & ipſi ſecundũ quid dici poſſunt Antichriſti. Quod expreſſe in ſua prima canonica cap.2. Ioannes oſtendit dicens. Antichriſtus uenit (ideſt in mẽbris ſuis) & nunc Antichriſti multi facti ſunt, hoc eſt imitantes Antichriſtum, quo ad Eccleſię perſequutionem, Gloſſa. Qui ſunt baptizati, & ſacro chriſmate uncti, per quod facilius poſſunt decipere ſunt Chriſto, & eius Eccleſię contrarij Antichriſti. Vnde ſcimus, quia nouiſsima hora eſt, ideſt ſimilis nouiſsimæ: quia ſimilis eſt ſecundum quid hæreticorum perſecutio perſecutioni Antichriſti futuræ: quæ talis erit, qualis non fuit ab initio mundi. Et hi ſimiles Antichriſti, inquit Euangeliſta, ex nobis prodierunt: ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis; permanſiſſent utique nobiſcum. Sed ut manifeſti ſint quoniam non ſunt ex nobis. Sic itaque plures dicuntur Anti-

Tho. 3. p. q. 8. ar. 8. in c.

2. Theſ 2.

1. Ioan. 2.

Gloſſ.

Matt. 24.

christi, uti & Ioannes ipse, nedum sub finem huius, & in principio quarti capituli, uerum & in secunda epistola ostendit expresse. Quod quidem Antichristi nomen non Romano Pontifici, neque ei adherentibus, sed Lutheranis, ceterisque hæreticis potest, & debet conuenire: quia ipsi, & non Papistæ, ab Ecclesia recesserunt catholica: quemadmodum in fine huius articuli manifestabitur. Secundò, ex communi doctorum consensu habetur, Antichristum ex tribu Dan originem esse ducturum. Nullus autem Romanorum Pontificum ex tali tribu originem traxit. Tertiò, Antichristus, uti etiã ait Albertus super 13. Apoca. uocabit se Solem iustitiæ, & gigantem geminæ substantiæ, id est diuinę, & humanæ. faciet se uocari Antheos, id est Christo contrarium, & Arneome, quod interpretatur nego: quia negabit Christum esse Deum, & se Deum affirmabit esse: iuxta illud Apostoli ad Thes. 2. secundæ. Ne quis uos seducat ullo modo. quoniam nisi uenerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. &c. quod de eodem intelligitur Antichristo. Romanus autem Pontifex neque Christum negat, neque se tanquam Deum adorari permittit, neque in Diaboli uirtute prodigia ostendit: sed potius tales damnauit: & alios similes omnes, præcipue Christum negantes, tanquam ab unitate Christi Ecclesiæ prorsus alienos, semper reprobauit: ueluti Ebionitas, Marcionitas, Manichæos, Hussitas, Lutheranos, & huius generis reliquos: qui non à Christo, sed à diuersis hęreticis nomina trahentes, ipsius Antichristi precursores, eiusdemq; Synagogæ mẽbra uere possunt dici, atq; appellari. Ad cuius confirmationem ait Hierony. contra Luciferianos, pag. 67. In illa Ecclesia permanendum est, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iæsu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentianos, Montenses, siue Campates; scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi Synagogam esse. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se iudicant, quos futuros Apostolus prænuntiat. Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis uidentur sibi affirmare, quod dicunt, cum & Diabolus de scripturis aliqua sit locutus: & scripturę

Albertus.

2. Thes. 2.

Hierony.

ſcripturæ non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtant. Quar tò, ſi Papa Antichriſtus eſſet appellandus; ad quid Chriſtus ipſum tam diu perſeuerare permiſit? Omnis enim plantatio, quam non plantauit pater cæleſtis, eradicabitur. Quare unumquenque Pontificum mundo talem eſſe non manifeſtauit Chriſtus, & ſpiritu oris ſui non interfecit? Nam ait Apoſtolus, de ipſo Antichriſto loquens. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quē Dominus Iæſus interficiet ſpiritu oris ſui. &c. Impoſsibile nempe eſſet, quòd Deus tot, & tantos homines, principesque, amore, feruore, zelo erga Chriſtum affectos, Romano Pontifici (ſi talis eſſet) obediendo, perire permiſiſſet, & tantam Romanorum Pontificum ſucceſsionem ſuſtinuiſſet, ſed tandem ipſis finem prorſus impoſuiſſet, quemadmodum omnibus reliquis hæreticorum ſectis, quæ non diu perſeuerare ualuerunt. Qualis enim reperiri poteſt Synagoga, quæ tantam, diutinamq; ſuorum Pontificum retinuerit ſucceſsionem, quemadmodum Romana fecit Eccleſia? Fortaſsis Simoniacorum, uel Ebionitarum, aut Marcioniſtarum, Manichæorum, Pelagianorum, Arrianorum, aut Lutheranorum? Qui Martino, illorum Deo adhuc uiuente, inter ſe diuiſi, neminem in ſuperiorem recognoſcentes, diuerſas conſtituerunt factiones, ut citius eradicarentur: cum omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolari ſit neceſſe. Quod indicat, ipſorum ſectas uere Antichriſti eſſe Synagogas, & non Chriſti Eccleſiam, quę una eſt, ſectionem non patiens, uti bene dicebat Cyprianus. lib. 2. epiſt. 12. Eccleſia catholica una eſſe poteſt, ſcindi, uel diuidi non poteſt, & omnes hæreſes deſtruens, quemadmodum bene ait & Laurentius Pudericus Neapolitanus, in breuiario decreti 24. quęſt. 1. cap. Memor. Romana Eccleſia nullam hæreſim tenet, ſed hæreſes deſtruit. Vnde Auguſtin. in lib. aduerſus epiſtolam Manichęi, quam Fundamenti uocant, cap. 4. hanc pulcherrimam, ad huius rei corroborationem, deſcribit ſententiam. In catholica enim Eccleſia, ut omittam ſinceriſsimam ſapientiam, ad cuius cognitionem pauci ſpiritales in hac uita perueniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines ſunt, ſed tamen ſine dubitatione cognoſcant: cęteram quippe turbam non intelligendi uiuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſsimam facit. Vt ergo hanc omittam ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe catholica non

Matth. 15.
2. Theſ. 2.
Marc. 3.
Cyprian.
Laurētius Pude.
Auguſt.

creditis; multa sunt alia, quæ in eius gremio me iustissime teneant. Tenet me consensio populorum, atque gentium. Tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, uetustate firmata. Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues post resurrectionem Dominus commendauit, usque ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum. Tenet postremò ipsum catholicæ nomen: quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit; ut cum omnes hæretici se catholicos dici uelint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conueniatur; nullus hęreticorum, uel basilicam suam, uel domum audeat ostendere. &c. At unusquisque dicet hæreticorum, ut illorum mos est, in defensionem uniuscuiusque sectæ ipsorum, suam hanc ueram, & catholicam Christi esse Ecclesiam, Romanam uero Diaboli Synagogam, & ipsius Pontificem hæreticum, atque apostatam.

August. Sed audiant Augustinum de utilitate creden. cap. 7. Vna est catholica Ecclesia, cui hæreses aliæ diuersa nomina imponunt: cum ipsæ singulę proprijs uocabulis, quę negare non audeant, appellentur. Quamobrem apud quos sit ista una Ecclesia, & qui ab unitate ipsius apostatauerint, est perspiciendum, atque indicandum: & primo quonam modo sit una, est ostendendum.

De unitate Ecclesię. Matt. 16. Eph. 1. De qua equidem unitate non est ambigendum, dicente Domino ad Petrum. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nec mirum: cum Ecclesia sit Christi corpus, quod est unum. Ephes. 1. Et Deus (Pater scilicet) omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Item ad Colos. 1. Nunc gaudeo in passionibus pro uobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Non autem naturale, quod esset impossibile; sed mysticum, quod sumus nos omnes Christi fideles: iuxta illud Apostoli ad Roma. 12. Multi enim unum corpus sumus in Christo. Quod quidem corpus unum efficimur ad similitudinem corporis naturalis. Nam sicut naturaliter ex capite uno, & diuersis membris unum producitur corpus naturale; ita spiritualiter ex capite, quod est Christus, & omnibus in Christum credentibus, unum constituitur corpus spirituale, hoc est mysticum, quod est ipse Christus. 1. Corinth. duodecimo. Sicut enim corpus unum, & membra habet multa, omnia autem membra corporis

Colos. 1 · Rom. 12. · 1. Cor. 12.

cum

cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt; ita & Chriſtus. Et infra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et ſicut corpus naturale unum fit ex multis in generatione; ſic nos unum corpus Chriſti efficimur in ipſo baptiſmate, in unitatem ſcilicet Spiritus ſancti, quemadmodum ait Apoſt. Etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in uno ſpiritu potati ſumus. Iſta autem unio Spiritus ſancti, qui eſt amor Patris, & Filij; nil aliud eſt, quàm dilectionis, atq; charitatis uinculum. quod oſtendit Apoſtolus ad Epheſios 4. dicens. Obſecro itaque uos ego uinctus in Domino, ut digne ambuletis uocatione, qua uocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare unitatem Spiritus in uinculo pacis. Vnum corpus, & unus Spiritus: ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ. Vnus Dominus, una fides, unum baptiſma. Vnus Deus, & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Et infra. Iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris: ueritatem autẽ facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecũdum operationem in menſuram uniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate. Ecce quomodo unum corpus Chriſti ſumus in unitate charitatis, quæ eſt ipſe Chriſtus: in quo qui manet, à charitate non recedit. Deus.n. charitas eſt: & qui manet in charitate; in Deo manet, & Deus in illo. Si itaque hæc charitatis unio, & pacis uinculum abeſſet à fidelibus; unum profecto Chriſti corpus nõ eſſemus: quia ipſius corporis unitas in amoris unitate conſiſtit, quemadmodum iam eſt oſtenſum. Ideo Apoſtolus. 1. Corin. 10. dicebat. Quoniam unus panis, unum corpus ſumus. quaſi dicat, niſi eſſemus panis unus unione fidei, ſpei, & charitatis; neq; unum eſſemus corpus, uidelicet Chriſti, quod ſumus nos, per ſubminiſtrationem operum ipſius charitatis, & unionis. Quod etiã expreſsius oſtendit, cum ait. Omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus, id eſt de corpore, & ſanguine Chriſti, digna participatione, ſcilicet ſpirituali, quæ eſt effectus ſacra-

1. Cor. 12.
Epheſ. 4.
1. Ioan. 4.
1. Cor. 10.

sacramentalis Christi corporis, manifestatus ex unione panis, & uini, ex diuersis granis confecti, uti quàm optimè ait Aug. Vnus panis, & unum corpus Ecclesia dicitur: pro eo quòd sicut unus panis ex multis granis, & unum corpus ex multis mẽbris componitur; sic Ecclesia ex multis fidelibus charitate copulante connectitur. His ergo habitis, quencunq; extra hanc Ecclesiæ unitatem quilibet cœcus audierit, ipsum etiam à corpore Christi alienum esse pro manifesto iudicabit. Ideo Aug. in epi. 152. ad Donatistas post collatio: Quisquis ergo ab Ecclesia catholica fuerit separatus, quantunlibet laudabiliter se uiuere existimet, hoc solo scelere, ꝙ à Christi unitate disiunctus est, non habebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Et ratio est: quia extra corporis Christi unitatem Spiritus sanctus uiuificat neminem. Nam hoc Christi corpus mysticum in ipsius sancti Spiritus unitate unum dicitur, atque conficitur. Quapropter qui ab unitate Spiritus est alienus; similiter ab ipso Spiritu omnes fideles uiuificante erit separatus. Quod & August. epistola 50. ad Bonifac. de moderate coercendis hæreticis, ostendit dicens. Ecclesia catholica sola corpus est Christi, cuius ille caput est saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminem uiuificat Spiritus sanctus. Ceterum tandem est inquirendum, an hæc corporis Christi unitas (Ecclesia uidelicet) apud Romanos, an apud Burgensem, ceterosq; hæreticos, nos Romanos schismaticos appellantes, reperiatur: nec non & quis ab illa discesserit unitate. Illa enim est uera Christi Ecclesia, quæ à Christo, Petro medio, originem duxit, & hucusque per Pontificum successionem sincere perseuerauit: quemadmodum superius tactum est, & infra satis diffuse ostendetur. Nulla autem alia, nisi Romana, talis potest esse Ecclesia: quæ (uti etiam habetur in epistola Aegyptiorum Pontificum ad Marcũ Papam scripta) permãsit semper immaculata, & Domino prę-uidente, ac B. Petro Apostolo opem ferente, in futurum intacta manebit, atque inuiolata: & sine ulla hæreticorum insultatione firma, & immobilis persistet omni tempore. Quod & in subsequenti articulo specialiter decreui manifestare. Modernorum autem hęreticorum (Lutheranorum uidelicet) cõuentio à quo originem traxit? à nempe Martino Luthero, à quo pariter nomen obtinuit: quemadmodum & Arriani ab Arrio, Pelagiani à Pelagio, &c. quod signum est abscisionis à

corpore

August. | August. | August. | Qualis sit uera Christi Ecclesia. | Pont. Aegyp. confessio.

corpore Chriſti, à quo nos nominamur, & non ab homine. Deinde ultimate hoc unum eſt perſpiciendum, an Papiſtæ à Lutheranorum diſſenſione, an Lutherani à Papiſtica diſceſſerint unitate. De Papiſtis profectò hoc non eſt dicendum, quòd ab illis originem duxerint: cum ante ipſos, & omnes ſimiles alios hæreticos extiterint. Lutherani uerò, Martino magiſtro ipſorum auctore, ab unitate Papiſtarum aberrarunt, anno Domini M D XVII. tempore Leonis Papæ huius nominis 10. & Maximiliani Imperatoris clementiſsimi. Et hoc, ob quandam Martini ipſius contra Pontificem, ambitionis gratia, indignationem ortã: uti pulcherrimè Doctiſsimus Ioan. deſcribit Cochleus. Ioann. Cochl. Burgenſis ergo, ceteriq; Lutherani, & non Romani, ſeu Papiſtæ ſunt, qui ab unitate catholicæ Eccleſiæ, tanquam ſarmenta inutilia ſunt abſciſsi: qui propterea uere hæretici, & ſchiſmatici (quæ nomina ab ipſis falſo nobis imponuntur) poſſunt iuridice appellari. De quibus, & ſimilibus loquens Grego. ſuper uerbis Iob 31. poſitis, Nunc autem rident me iuniores tempore, hanc pulcherrimam tradidit ſententiam. Omnes hæretici ætati uniuerſalis Eccleſiæ comparati, iuniores tempore congrue uocantur: quia ipſi ab ea, non autem ipſa egreſſa eſt ab illis. Vnde recte quoq; per Ioannem dicitur. A nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Iuniores ergo tempore ſanctam Eccleſiam irrident: cum hi, qui ab ea egreſsi ſunt, doctrinæ eius uerba decipiunt. Hoc itidem & Martinus ipſe Lutherus aduerſus Anabaptiſtas, & Sacramentarios, in epiſtola ad duos plebanos, expreſſe, pulchre, diſerte, & clare fatetur, atque indicat dicens. Nos fatemur ſub Papatu plurimum eſſe boni Chriſtiani, immo omne bonum Chriſtianum, atque illinc ad nos deueniſſe. Quippe fatemur in Papatu ueram eſſe ſcripturam ſacram, uerum baptiſmum, uerum altaris ſacramentum, ueras claues ad remiſsionem peccatorum, uerum prædicandi officium, uerum catechiſmum, ut ſunt oratio dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico inſuper ſub Papatu ueram Chriſtianitatem, immo uerum nucleum Chriſtianitatis eſſe. Ecce quomodo & Lutherus ipſe, ad inſtar Caiphæ, ſinceritatem Romanæ Eccleſiæ, eiuſq; Pontificis, perquàm dilucide ueritate ipſa uictus, exprimere, atque confiteri fuit coactus. Non igitur dicendum eſt, Romanam Eccleſiam Synagogam eſſe Satanæ,

Grego. Iob 31.

1. Ioan. 2.

Lutherus quoque à ueritate coactus Eccleſiæ Romanæ ſinceritatem fatetur.

tanæ,

thanæ, ſed Chriſti Eccleſiam matrem noſtram; & Pontificem non Antichriſtum, ſed uerum ſeruatoris noſtri Vicarium, & Petri ſucceſſorem. Quod & uerum eſſe in ſequentibus immediate articulis manifeſtabitur. Et primò, ut res magis elucescat, Petrum à Chriſto præ ceteris Apoſtolis ſuum inſtitutum fuiſſe Vicarium. Secundò, eundem Apoſtolum Romæ Eccleſiæ præfuiſſe. Tertiò, quemlibet Romanum Pontificem per ſucceſsionem ipſius Apoſtoli Petri uicem gerere articulatim deſcribitur.

De primatu Petri præ ceteris Apoſtolis. Artic. XI.

QVANQVAM Apoſtolus Petrus cum reliquis Apoſtolis communem tum ordinis, tum iuriſdictionis à Chriſto acceperit poteſtatem, illam in cœna, quando Chri-
Matth. 26. ſtus corpus ſuum, & ſanguinem conficiendi eis dedit poteſtatem, hanc uerò, iuriſdictionis uidelicet, primò ante paſsionē,
Matth. 18. dicente Domino apud Matth. 18. Amen dico uobis, quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo, ultimò à
Ioan. 20. paſsione, dum inſufflauit, & dixit, Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta ſunt, quæ quidem poteſtas, ut ait
Ambro. & Ambr. lib. 1. de pœnitentia, cap. 2. ſolis Presbyteris conuenit; attamen præ ceteris Apoſtolis Petro peculiaris præeminentia, ut totius Apoſtolatus, & Chriſti Eccleſiæ caput eſſet, à Chriſto fuit tradita. Quod tum ex ſacris literis, tum ex ſanctorum Doctorum ſententiis, oſtendere non erit admodum
Ioan. 1. difficile. Scribit nanque Ioan. 1. cum Petrus ab Andrea eius
Prima ratio principatus Petri. fratre ad Chriſtum fuiſſet adductus; hæc Petro à Iæſu prolata eſſe uerba. Tu es Simon filius Ioanna: tu uocaberis Cephas, hoc eſt caput, uel capitaneus. Nam cephali Græce, caput di-
Iſido. citur Latine, ut ait & Iſidorus. 7. Etymolo. cap. 9. & idem ſi-
Anaclet. dist. 22. gnificat Petrus uno modo. Ideo Anacletus, ut recitatur, diſt. 22. cap. Sancta Romana, Petro à Domino conceſſum eſt, ut reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas, id eſt caput, & principatum teneret Apoſtolatus. Alio modo Petrus dicitur à petra, quaſi firmus: quia in Chriſti fide erat perſeueraturus. Et quoniam Petrus futurus erat firmum Eccleſiæ Dei fundamentum,

mentum, quod per petram ſignificatur; de qua quidem petra dicebat Chriſtus ad eum, Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam; ideo dixit ei Chriſtus. Tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, id eſt firmus. Beda ſuper Ioan. 1. Intuitus autem eſt eum non exterioribus oculis ſolum, ſed & ęterno diuinitatis intuitu uidit cordis eius ſimplicitatem, animi ſublimitatem, quibus merito cunctæ eſſet præferendus Eccleſiæ. Neque autem in Petri uocabulo, quaſi Hebræo, uel Syro, aliam interpretationem quærere oportet: quia idem eſt Græce, & Latine Petrus, quod Syriace Cephas, & in utraque lingua nomen à petra deriuatur. Vocatur autem Petrus ob firmitatem fidei, qua illi petræ adheſit, de qua Apoſtolus ait. Petra autem erat Chriſtus. Et Auguſt. ſuper eiſdem uerbis, Non eſt autem magnum, quia Dominus dixit, cuius filius eſſet iſte. Omnia enim nomina Sanctorum ſuorum ſciebat, quos ante conſtitutionem mundi prædeſtinauit. Illud autem magnum, quia mutauit ei nomen, & fecit de Simone Petrum. Petrus autem à petra: petra uerò Eccleſia. ergo in Petri nomine figurata eſt Eccleſia. Et quis ſecurus eſt, niſi qui ædificat ſupra petram? Intentum autem te fecit Dominus: nam ſi antea Petrus uocaretur; non ita uideres myſterium petræ, & putares caſu eum ſic uocari, non prouidentia Dei. Ideo eum uoluit aliud prius uocari, ut ex ipſa commutatione nominis ſacramenti uiuacitas commendaretur. Deinde uti habetur apud Matth. 16. Cum ueniſſet Iæſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogaſſet diſcipulos ſuos dicens, Quem dicunt homines eſſe filium hominis? &c. & poſt paululum, Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit. Tu es Chriſtus filius Dei uiui, dixit ei Iæſus. Beatus es Simon Bariona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Quod nulli unquam reliquorum diſcipulorum à Chriſto dictum eſt. Fuerunt nanq; alij, qui Chriſtum eſſe filium Dei confeſsi ſunt: ueluti duo illi à Dæmone uexati, qui apud Matth. 8. dicebant. Quid nobis, & tibi Iæſu fili Dei?

Matth. 16. Beda. 1. Cor. 10. Auguſt. Matth. 16. Secunda ratio. Matth. 8.

Matth. 14. Et infra 14. qui erant in naui, clamabant dicentes. Vere filius
Ioan. 1. Dei es. Et Nathanael apud Ioan. 1. ait. Rabbi, tu es filius Dei.
Marc. 15. Item cum Christus in cruce esset positus, Centurio aiebat. Vere hic homo filius Dei erat. Non tamen beati propterea sunt uocati: quia non talem confessi sunt filiationem, qualem Petrus: sed unum ex filijs adoptiuis, & non ex substantia patris, quemadmodum Petrus confessus fuerat, eum existimabant.
Instãtia. Instabit autem ueritatis inimicus dicens, Petrum non in persona propria, sed Apostolorum omnium Christi respondisse
Respon. interrogationi. Hoc profectò non negatur. Vtique Petrus,
Chrysos. quemadmodum testatur & Chrysostomus, tanquam os, & caput Apostolorum Apostolis interrogatis, Christo respondit (quod plebs interrogata non facit) non tamen ex Apostolorum ore, sed Spiritus sancti reuelatione est locutus. quod eo-
Matth 16. dem in loco indicat Christus, cum ait. Beatus es Simon Bariona: quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Quod itidem ex alijs sacri Euangelij locis
Ioan. 6. comprobari potest. Nam Iæsu, recedentibus nonnullis discipulis, ad duodecim dicente, Nunquid & uos uultis abire? Petrus fratrum amator, amicitiæ conseruator, totius collegij loco hoc Christo dedit responsum. Domine, ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes: & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. attamen unus ipsorum Diabolus erat, Iudas uidelicet, unus de duodecim, qui Christum traditurus erat. Et multi aliorum etiam non perfecte in
Matth. 17. ipsum Saluatorem credebant, quod Christus ipse apud Matth. 17. discipulis eum interrogantibus, quare non potuimus nos eiicere illum? scilicet dæmonium, ostendit illis respondendo dicens. Propter incredulitatem uestram. Amen quippe dico uobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic monti, transi hinc illuc, & transibit: & nihil erit impossibile uobis. Hæc enim uerba, non Petri causa à Christo fuerunt
Chrysos. prolata, cum ipse tunc absens fuerit, ut testatur & Chrysostomus super illis uerbis dicens. Vnde manifestum est, quoniam & discipuli in fide infirmati sunt, sed non omnes. Columnæ enim illæ non aderant, scilicet Petrus, Iacobus, & Ioannes. Et ꝙ de Petro non locutus fuerit eo in loco Christus, Euangelista ipse eodem in capitulo, in sequenti particula eiusdem textus ostendit, cum ad solum Christi uerbum dicentis, Vade ad ma-

re,

re, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primò aſcenderit, tol le; & aperto ore eius, inuenies ſtaterem; illum ſumens da eis pro me, & te; ipſe Petrus ſine mora omnia ex fide executioni mandauit: quapropter magno honore dignus fuit. Ideo ait Chryſoſtomus ſuper eo. Sicut autem ſtupeſcis de Chriſti uirtute; ita admirare Petri fidem: quoniam rei tam difficili obediuit. Ideoq; de fide eum remunerans, copulauit eum ſibi in tributi datione: quod fuit abundantis honoris ſignum. Habetur etiam de diſcipulis euntibus in caſtellum Emaus, & non credentibus, quibus dixit Chriſtus. O ſtulti, & tardi corde ad credendum, &c. Super quibus uerbis ait Theophilactus. Iæſus dixit ad eos. O ſtulti, ferè enim eadem dixerant, quæ & aſtantes cruci, alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Hoc & de Thoma Apoſtolo legitur, qui uiſo ab alijs ſuis condiſcipulis Domino, dicebat. Niſi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius; non credam: quaſi ipſum Chriſtum Dei filium eſſe dubitaret. quemadmodum & ceteri in multis de Chriſto dubitarunt: Petro ſemper à principio in Chriſtum credente. Nam cum ab Andrea, fratre ſuo audiſſet, ſe Meſsiam inueniſſe, quod eſt Græce Chriſtus, & Latine unctus; immediate abſq; dubitatione credendo, Chriſtum cũ fratre acceſsit. Vnde Chryſoſt. ſuper his ait. Conſidera ex ipſo principio obedientem Petri mentem. confeſtim enim cucurrit, nihil tardans. ſ. ad Chriſtum, ſicuti Chriſto obedire non tardauit credendo, q̃ Chriſtus dixerat de ſtatere in piſce, quod fortaſsis aliorum diſcipulorum nõ crediſiſſet quis. Et apud Ioan. 21. dum etiam Petrus cum nonnullis aliorum diſcipulis piſcaretur, & Dominus in littore illis apparuiſſet incognitus; ad ſolum Ioannis uerbum dicentis, Dominus eſt, maximo præ gaudio, nauem ad littus peruenire nõ ualens expectare, immediate tunica ſuccinxit ſe, & abſq; periclitandi timore, ſe miſit in mare, fiduciam, ſpem, & fidem in Dominum habens: quod reliqui ſui non demonſtrarunt condiſcipuli, qui nauigio ad littus uenire curarunt. Ideo Chryſoſto. ſuper eiſdem uerbis ait. Petrus autem feruentior erat: & ideo promptius uenit ad Chriſtum. Et Beda. Eodem autem ardore Petrus, quo & multa alia fecerat, currit ad Iæſum. unde ſequitur, & miſit ſe in mare. Et hoc, quia Chriſtum cognoſcebat uerum, & naturalem

Chryſoſ. Luc. 24. Theophilactus. Ioan. 20. Ioan. 1. Chryſoſ. Ioan. 21. Chryſoſ. Beda.

Dei esse filium: quod alij perfectè nesciebant, nisi ex confessione Petri à Spiritu sancto instructi. Quapropter, uti ait & Chrysost. Chrysostomus, sortitus est uocabulum, quod reuelationem Spiritus sancti habeat, cuius & filius erat appellandus. Siquidem Bariona in lingua nostra sonat columbæ filius, id est sancti Spiritus. Hieron. Quamuis alij, uti asserit Hieronymus, simpliciter accipiant, quòd Simon, scilicet Petrus, filius sit Ioannis, iuxta alterius interrogationem apud Ioannem factam. Simon Ioannis diligis me? & uolunt scriptorum uitio deprauatum, ut probatur Ioanna, id est filius Ioannis Bariona scriptum sit, una detracta syllaba. Ioanna uerò interpretatur Dei gratia. Nihilominus in contrarium nihil afferunt. Vtrunque enim mystice intelligi potest, quòd & columba Spiritum sanctum, & gratia Dei donum significet spirituale. Nec dicendum (ut ad priorem reuertamur sermonem inter Christum, & Petrum habitum) quemadmodũ nonnulli interpretantur hęretici, Christum ad omnes locutum fuisse discipulos: cum sermonem suũ ad Petrum solummodo Christum direxisse, testetur scriptura. Primò equidem omnes in communi interrogauit dicens. Quem me uos esse dicitis? at deinde ad Petrum conuersus, totum suum sermonem direxit ad illum, nullam prorsus de alijs faciens mentionem: sicuti & in diuersis alijs locis hoc Christum obseruasse legimus. Nam si Petrus ex ore omnium aliorum, tanquam à Spiritu sancto pariter instructorum, locutus fuisset; Christus profectò tali modo non respondisset dicens. Beatus es Simon Bariona, sed Beati estis: neque caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed uobis: & neq;, ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. sed dico uobis. quod tamen primæ Christi contrarium fuisset intentioni: qui propterea ipsum Simonem Petri nomine uoluit uocare. August. Augustin. de conf. Euang. Nullus tamen arbitretur, quòd hic Petrus nomen acceperit: non enim accepit hoc nomen, nisi ubi Ioannes commemorat ei dictum esse, tu uocaberis Cephas, quod interpretatur petrus. Quod nomen ei impositum est secundum petræ metaphoram, ut super firmam ipsius fidem suam ædificaret Ecclesiam: cuius foret ipse caput, & pastor. Chrysos. Vnde Chrysostomus super illud, ædificabo Ecclesiam meam, id est in hac fide, & confessione ædificabo Ecclesiam meam, hinc ostendit multos iam credituros, quod Petrus confessus fuerat, & erigit eius sensum,

ſum, & paſtorem facit. Confirmatio Petri principatus etiam apud Lucam haberi poteſt, uti ait Dominus Petro. Simon ecce Satanas expetiuit uos, ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Ecce quomodo hoc in loco expreſſe nedum Petrũ tantũ alloquitur dicẽs, Satanas expetiuit uos, ut cribraret ſicut triticum: ego aũt rogaui pro te. &c. uerum etiã ipſum præ ceteris in ſuũ eligit Vicarium dicens. Et tu aliquãdo conuerſus, confirma fratres tuos. Ait ergo. Satanas expetiuit uos, ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te. Pro Petro rogauit Chriſtus, non ſolum quo ad perſonam (cum & pro reliquis ſemper rogauerit, iuxta illud Ioan. Ego rogabo Patrem de uobis. Ipſe enim Pater amat uos, quia me amaſtis. Et infra, Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.) ſed quo ad petram, ſuper quã Chriſtus ędificaturus erat Eccleſiam, quæ petra fides erat Chriſti, quam Petrus fuerat confeſſus, & omnes debent profiteri, ut fiant ſalui. Et hoc eſt, pro quo Patrem rogauit Chriſtus, ut non deficiat, eius unitatem oſtendens. Nam ſi pro uniuſcuiuſque fide rogaſſet; tot fuiſſent fides, quot homines. una autem ſola eſt fides noſtra, iuxta illud Apoſtoli. Vnus Deus, una fides. quam præ ceteris Petrus ſolus eſt confeſſus. Ideo meritò tali honore fuit dignus, ut pro omnibus Chriſti fidelibus, in ipſo, hoc eſt in fide ipſius, rogauerit Chriſtus, ut in eis fides Petri non deficiat: & ſi quis deficeret, eum Petrus iterum in ipſa ſancta fide confirmaret. Quod Chriſtus oſtendit dicens. Rogaui pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus, ſcilicet à negatione, non à fide, confirma fratres tuos, uidelicet in fide. Si itaque Petro poteſtas fratres ſuos deficientes confirmandi à Chriſto eſt tradita; igitur & prælatura. Quid eſt enim illos confirmare, niſi eorum curam habere? Quod optime ſuper his Chriſti uerbis oſtendit & Theophilactus dicens. Nam etſi paululum agitandus es; habes tamen reconditum ſemen fidei: quamuis deiecit folia ſpiritus tentationis, uiget tamen radix. Petit ergo Satanas te lædere, tanquam inuidens tibi de mea dilectione. Sed quamuis ego met pro te ſim depręcaturus; tu tamen delinquens aliquando conuerſus, confirma fratres tuos, q. d. Poſtquam me negato, pœnitueris, ploraueris; corrobora ceteros: cum te principem Apoſtolorum deputauerim,

Luc. 22. Tertia ratio. Ioan. 16. Ioan. 17. Eph. 4. Theophilactus.

Cyril. tauerim. Et Cyrillus. Dixit aũt Dominus Simoni. Simon, ecce Satanas expetiuit uos, ut cribraret ſicut triticum: ut oſtendat, quòd homines nihil exiſtentes, quantum pertinet ad humanam naturam, & lubricum mentis noſtræ, non decet, ut præeſſe ceteris uelint: & ideo omiſsis ceteris, uenit ad Petrum ceteris prælatum. Vnde ſequitur. Ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua. Manifeſtatur

Ioan. 21. Quarta ratio. quoque paſtoratus Petri inſtitutio apud Ioan. uigeſimo primo. Nam cum Iæſus tertiò à reſurrectione ſuis ſe manifeſtaſſet diſcipulis; Petrum ſolum, & aliorum neminem his uerbis interrogat dicens. Simon Ioannis, diligis me plus his? ſcilicet Apoſtolis ceteris? & reſpondente Petro, Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te; dixit ei Iæſus ſecundò. Paſce agnos meos. & tertiò. Paſce oues meas. quod oſtendit, uti ait &

Chryſoſt. Chryſoſt. quantum appretiatur prælationem propriarum ouium, & quoniam hoc eſt maximum eius amoris ſignum. Agni

Theophilactus. enim ſunt, ut ait Theophilactus, qui introducuntur: oues uerò perfecti. quos omnes non alteri commiſit, ſed ſoli Petro, tanquam ſuo Vicario, & uero omnium Chriſti ouium paſtori.

Chryſoſt. Vnde & Chryſoſtomus ſuper illis ipſis uerbis. Eximius enim Apoſtolorum erat Petrus, & os diſcipulorum, & uertex collegij, unde & negatione deleta, committit ei prælationem fra-

Auguſt. trum, Et Auguſtinus, Petro primatum tribuit Iæſus; perſonamque gerebat Eccleſiæ, ueluti Epiſcopus in Synodo generali perſonam ſuæ repreſentat Eccleſiæ, aut Princeps ſui regni. Et poſt paululum ſubdit. Claues regni cælorum pri-

Matth. 17 Quinta ratio. mus Apoſtolorum accepit Petrus. Hoc idem Matt. 17. oſtenditur. Nam cum ueniſſent diſcipuli cum Chriſto Capharnaum, & ibi pro ſingulo ipſorum didrachma exigeretur; dixit Iæſus Petro. Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primò aſcenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illum ſumens da eis pro me, & te. Stater enim duorum pondus eſt didrachmatum, quem iuſsit Chriſtus dari pro ſe, & pro Petro, & non pro alijs Apoſtolis, in

Chryſoſt. ſignum principatus ipſius. Chryſoſtom. ſuper eodem, Homil. 59. In ſignum etiam primatus Petri, pro ſe, ac pro Petro didrachma ſolui iuſsit Chriſtus. Et hoc propter ipſius fidem ibidem oſtenſam: quemadmodum inferius oſtendetur.

Ioan. 13. Illud ipſum apud Ioann. 13. etiam comprobatur, quando Chriſtus

ſtus Apoſtolorum pedes erat loturus: qui Petrum acceſsit primò: quod Petrum Apoſtolorum primatem eſſe uolebat inſinuare. Vnde Auguſtin. ſuper Ioann. tractatu 56. Saluator quoque abluturus pedes Apoſtolorum, ad Petrum tanquam ad aliorum principem uenit primum. Sunt autem Doctorum nonnulli, qui uolunt propter uerba Euangeliſtę dicentis, Deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus, Venit ergo ad Simonem Petrum, Chriſtum ab aliquo alio incœpiſſe, deinde ad Petrum ueniſſe: dicentes tamen Iudam, & aliorum neminem illum fuiſſe: quia Apoſtolorum nullus tantæ fuiſſet temeritatis, ut ſe Petro anteponeret. quod non magnifaciens Iudas, ex propria præſumptione, ſe præ omnibus Chriſto ad lauandum pedes nulla facta reſiſtentia obtulit: quod ceteri non ſuſtinuiſſent, quemadmodum nec Petrus. Theophilactus ſuper eo. Non primum lauat Petrum, quamuis primatum diſcipulorum gerat: ſed forte proditor, cum eſſet impudens, & inuerecundus, ante Petrum lotus eſt. Vnde hoc manifeſtum? Cœpit, inquit, pedes diſcipulorum lauare. & extergere: deinde uenit ad Simonem Petrum. atque ita declarat, quòd non primò lauerit Petrum, non enim dixiſſet, quòd ueniſſet ad Simonem Petrum: ſed alium quendam ante Petrum lauit. ex alijs itaque diſcipulis nullus ſuſtinuiſſet ante Petrum lauari: proditorem autem hoc auſum fuiſſe, poſsibile eſt. &c. Et Chriſoſto. Credibile eſt proditorem ſtultum exiſtentem, ante eum, ſcilicet Petrum, recubuiſſe: quod Euangeliſta ſignificauit, cum dixit. Cœpit lauare, deinde uenit ad Petrum. Quamuis enim iſti Doctores tali interpretatione nihil primatui Petri derogent, ſed ipſum potius ad altiora eleuent; nihilominus Diuus Auguſtinus eos in hoc audire non poteſt dicens. Non enim ita intelligendum eſt, quòd aliquibus iam lauiſſet: & poſt eos ueniſſet ad Petrum. Quis enim neſciat, primum Apoſtolorum eſſe beatiſsimum Petrum? ſcilicet quòd ab illo cœperit. Quando ergo pedes diſcipulorum lauare cœpit, uenit ad eum, à quo cœpit, id eſt ad Petrum: & tunc Petrus expauit, quod etiam quilibet eorum expaueſceret. Hoc etiam manifeſtari poſſet ex eo, quòd ſicuti in unoquoque collegio ille principatum tenet, qui ſemper primò inter

Sexta ratio.

Auguſt.

Theophilactus.

Chryſoſt.

Auguſt.

Settima ratio.

inter reliquos nominatur, qui pro alijs reſpondet, & ad quem extranei pro conficiendis accedunt negocijs; ſic ubicunque Apoſtolorum nomina recenſentur, Petrus tanquam aliorum princeps, reliquis ſemper præponitur. Et ubi Apoſtoli erant in-
Chryſoſt. terrogati; Petrus tanquam os ipſorum reſpondebat, omnibusq; ſatisfaciebat: uti in fine huius articuli ſpecialiter oſtendetur. Et ſi quid ceteri hominum ab ipſis exigere uolebant; ad Petrũ ut plurimum accedebant: uti in diuerſis ſacrę ſcripturæ habetur locis. Petrus igitur primatum in Apoſtolos à Chriſto obtinuit: & totius Eccleſiæ Chriſti Vicarius extitit. quemadmodũ
Luc. 24. etiam D. Ambr. in Lucam cap. 24. ait. Chriſtus eleuandus in cęlum, Petrum amoris ſui nobis uelut Vicarium reliquit. Non negamus autem, ſicuti ſuperius eſt aſsignatum, cunctos Apoſtolos claues regni cælorum accepiſse, & ex æquo Eccleſiæ fortitudinem ſuper eos ſolidatam fuiſſe: ſed ſic aſſerimus, unum neceſſariò inter duodecim fuiſſe eligendum, ut (hoc idem affirmante
Hierony. & Hieronymo) capite cõſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio. Quemadmodum enim uniuſcuiuſque magiſtratus ſenatores, & ſi eiuſdẽ ſint auctoritatis, nihilominus ad remouẽdas ſchiſmatum occaſiones, inter ipſos ſemper unus conſtituitur principalis; qua ratione etiã dicimus, quamuis Imperium apud Germanos ſit Electores, attamen non omnes Electores, ſed unus Imperij inſignitur titulo; ita & Petrus Apoſtolorũ primas à Chriſto propterea fuit inſtitutus: ut quemadmodum unus eſt Deus, unus Chriſtus, una fides, unum baptiſma, & unus ſpiritus, quo omnes uiuificamur; ita unus Epiſcopus in Chriſti Eccleſia, quæ
Cyprian. una eſt, eſſe debeat. Quod confirmat & Cyprianus in lib. 3. epi. dicens. Non tamen propterea reliquorum Apoſtolorum auctoritas minuitur: ſed ſolum Eccleſiam unam, ab unitate exordiũ habere oſtenditur. Item in de ſimplicitate prælatorum. Hoc
Cyprian. erant utique & ceteri Apoſtoli, inquit Cyprianus, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur. Quę quidem unitas non ſolum præ ceteris Chriſti Apoſtolis in Petri maioritate conſiſtit; uerum etiam in continuatione ipſius unitatis Eccleſię, in ſucceſsione primatus Petri, & non aliorũ Apo-
Auguſt. ſtolorum. Vnde Auguſt. in pſalmo contra partem Donati. Numerate ſacerdotes, uel ab ipſa Petri Sede, & ordine illo patrum, quis cui ſucceſsit, uidete: ipſa eſt petra, quam non uincunt infe-

rorum

ferorum portę. Si enim Apoſtoli omnes eiuſdem præeminentiæ, & dignitatis fuiſſent, qualis Petrus; profectò multa in Eccleſia Dei orta fuiſſent ſchiſmata: præcipue cum Apoſtoli perſonaliter ubique terrarum non fuerint: ſed multi illorum diſcipuli ab ipſis miſsi, Chriſti doctrinam prædicauerint: à quibus unaquæque Eccleſia ſucceſsionem accepiſſet: ita quòd tot orta fuiſſent ſchiſmata, quot fuiſſent ſacerdotes: uti, quàm optime deſcribit Hierony. aduerſus Luciferianos. Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exors quędam ab omnibus eminens detur poteſtas; tot in Eccleſijs efficerentur ſchiſmata, quot ſacerdotes. &c. Nec mirum. Nam ipſis uiuentibus Apoſtolis iam inter fideles orta erant zizania, ex eo ſolum, quia à diuerſis fuerant baptizati: ita quòd, uti habetur. 1. Corinth. 1. illorum unuſquiſque dicebat. Ego ſum Pauli, ego autem Apollo, ego uerò Cephæ, ego autem Chriſti: quaſi ſancta Chriſti Eccleſia fuiſſet diuiſa, & non ipſius tota. Quapropter illos charitatiue increpabat Apoſtolus, eos obſecrando, ut ſe à ſimilibus abſtinerent diuiſionibus, dicens. Obſecro uos fratres per nomen Domini noſtri Iæſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes: & non ſint in uobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia. Significatum eſt enim de uobis fratres mei ab his, qui ſunt Cloes, quia contentiones ſunt inter uos. &c. Et infra. Diuiſus eſt Chriſtus? Nunquid Paulus crucifixus eſt pro uobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Si igitur Apoſtolorum tēpore, ob baptiſmatis miniſtrorū multitudinem, talis orta fuerat contentio, & zizania; quanto maior præcipue in ſucceſſu temporis inſurrexiſſet diuiſio, ſi ununquenque Apoſtolorum in catholica Chriſti Eccleſia caput fuiſſe percepiſſent? Ideo ne huiuſmodi in Eccleſia Dei orirentur contentiones, & controuerſiæ; à Chriſto, uti etiam ait Cyprianus lib. 4. epiſt. 2. una Eccleſia per totum mundum in multa membra; diuiſa eſt: & Epiſcopatus unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus. Quapropter ait & Auguſtin. de Agone Chriſtiano, cap. 30. Non ſine cauſa inter omnes Apoſtolos huius Eccleſiæ catholicę perſonam ſuſtinet Petrus: huic enim Eccleſiæ claues regni cælorum datæ ſunt. Nec inficiamur claues dari Eccleſiæ. Nam Eccleſia finis eſt donationis: dantur enim propter Eccleſię utilitatem, ut Eccleſia ex his percipiat fructum. Et hoc con

Hierony.

1. Cor. 1.

Cyprian.

Auguſt.

August. firmat August. super Ioannem tractatu 124. Ecclesia, quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorum accipit in Petro. Octaua ratio. Hunc quoque in Petro primatum fuisse, ipsius executio potest perhibere, atque indicare. Nam cum Petrus uir esset timoratus, Christi magistri sui humilitatem sequens, nunquam primatum usurpasset, nisi à Seruatore nostro ei demandatum fuisset. Quòd autem Apostolus ipse primatus exercuerit officium, ex diuersis sacræ scripturæ locis uidere quilibet poterit. Primò Act. 1. enim in Actis habetur apostolicis, dum Mathias in numerum Apostolorũ est assumptus, solus Petrus reliquis omnibus astantibus hoc ipsum, ut alius loco Iudæ scilicet eligeretur, præposuit: & solus ipse ceteris tacentibus est locutus. Act. 1. Exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul ferè centum uiginti) Viri fratres oportet impleri scripturam, &c. Secundò, cum in die Pentecostes, sanctum accepissent Spiritum, & linguis loquerentur uarijs, ita ut multi Act. 2. mirarentur populi dicentes, Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilęi sunt? & quomodo nos audimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi. &c. Et alij Apostolos irriderent dicentes, Musto pleni sunt isti; Petrus solus suam eleuauit uocem: & Apostolos defendit, & illos homi- Act. 3. nes reprehendit. Tertiò, cum Petrus, & Ioannes ascendissent in templum ad horam orationis nonam, & pro eleemosyna à claudo essent rogati; tunc Petrus solus responsum dedit, & so- Act. 4. lus ipsum curauit. Quartò, cum Petrus, & Ioannes positi fuissent in custodiam ad crastinum, & die sequenti ad summorum præsentiam sacerdotum essent adducti; solus Petrus in sui, & Act. 5. Ioannis defensionem fecit sermonem. Quintò, in Ananiam, & eius uxorem Saphiram mortis sententiam solus publicauit. Act. 6. Sextò, Simonem Magum solus redarguit dicens. Pecunia tua tecum sit in perditionem. &c. Septimo, Petro tanquam prima- Act. 10. ti mandatum est, ut gentes in suam susciperet iurisdictionem, & potestatem: & hoc, quando super eum mentis cecidit excessus, & cælum uidit apertum, & descendens uas quoddam uelut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & uolatilia cæli; & facta est uox ad eum. Surge Petre: occide, & manduca. &c. Ita quòd inde uiso Cornelio Centurione, eiusque uisione cognita, os suum aperuit dicens. In

ueritate

ueritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. &c. Ex quibus omnibus, quàm euidentiſsime cuilibet poteſt conſtare, Apoſtolum Petrum prę ceteris Apoſtolis totius Eccleſiæ à Chriſto primatem inſtitutum fuiſſe, ipſiusque primatus officium exercuiſſe, & primum inter Apoſtolos à reliquis Apoſtolis ſemper recognitum fuiſſe: uti & Mattheus 10. expreſſe, atque manifeſte oſtendit dicens. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, &c. Quiſpiam uerò interrogare poſſet, cur Chriſtus Petro, & non alteri diſcipulorum, maxime Ioanni dilecto ſuo, uel Iacobo, qui frater Domini appellatur, hanc contulit præeminentiam? Ad hoc ſatisfacit Baſilius contra Euno. lib. 2. dicens. Petrus, quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ in ſe ipſo ædificationem ſuſcepit. Et Clemens epiſto. 1. ad Iacobum fratrem Domini. Simon Petrus uere fidei merito, & integræ prædicationis obtentu, fundamentum eſſe Eccleſiæ definitus eſt. Item Theophilactus ſuper Matthei decimo ſexto. Remunerat Petrum Dominus mercedem illi dans magnam, quòd ſuper eum ędificauit Eccleſiam: quia enim confeſſus fuerat eum Dei filium Petrus. Hilarius quoque ſuper eodem. Dignum autem confeſsio Petri pręmium conſecuta eſt: quia Dei filium in homine uidiſſet. &c. Et Hierony. eodem in loco ait. Sicut enim ipſe, ſcilicet Chriſtus, lumen Apoſtolis donauit, ut lumen mundi appellentur, & cetera, quę à Domino ſortiti ſunt, uocabula; ita & Simoni, qui credebat in petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen. Et Beda ſuper eiſdem uerbis. Qui regnum cælorum maiori dilectione præ ceteris confeſſus eſt, meritò prę ceteris collatis regni cæleſtis clauibus donatus eſt. Videat igitur ex his omnibus hæreticus, quomodo negare præſumat, Petrum à Chriſto præ ceteris Apoſtolis totius Eccleſiæ ſuum inſtitutum fuiſſe Vicarium.

[Margin notes: Cóncluſio. — Matth. 10. — Concluſionis corroboratio — Interrogatio. — Satisfactio Baſil. — Clemens. — Theophilactus. — Hilar. — Hierony. — Beda.]

De loco residentiæ Petri. Art. XII.

CVM nulla alia apertior sit uia ad negandum, Pontificem Romanum uerum esse Petri successorem, & Christi Vicarium, quàm si quis Petrum Romæ Cathedram fundasse, instituisseque subtraheret; ibique, priuatus officium exercuisse, & successorem reliquisse respueret; ideo particularem super his habere uolui sermonem: & primò, ad ostendendum, Petrum Romæ ultimate præfuisse Christi Ecclesiæ: deinde (& hoc in sequenti articulo) Romanum Pontificem uerum ipsius esse successorem. Quanquam, ut ad primum deueniamus, hoc ipsum ex canonicis scripturis ostendere nequimus; ex sanctorum tamen patrum immediate subsequentium, aliorumq; doctorum succedentium testimonio, hoc manifestare, atq; comprobare decreui. Dionysius enim Areopagita Apostoli Pauli discipulus, ad Timoth. suum condiscipulũ, hæc de transitu Petri, & Pauli scripsit uerba. O frater mi Timothee, si uidisses agones consumationis ipsorum, defecisses quidem prę tristitia, & dolore. Quis non fleret illa hora, quando præceptum sententię egressum est in eos, ut scilicet Petrus crucifigeretur, & Paulus decollaretur? Vidisses quidem tunc turbas Iudæorum, & Gentilium percutientes eos, & expuentes in facies eorum. sed adueniente terribili tempore consumationis ipsorum, ligarunt columnas mundi, non utique absq; fratrum gemitu, atq; ploratu: & cum separarentur; tunc Paulus ait Petro. Pax tecum, fundamentum Ecclesiarum, pastor ouiũ, & agnorum Christi. Ac Petrus ad Paulum. Vade in pace prædicator bonorum, mediator, & dux salutis iustorum. Cum autem elongassent eos ab inuicem, secutus sum magistrum meum, scilicet Paulum. Non in eodem loco, siue uico occiderunt eos. Deinde, inquit ipse. Attende miraculum, uide prodigium frater mi Timothee. Nam præsens fui in tempore separationis eorum. Post mortẽ autem eorum, uidi eos inuicem manu ad manum intrantes portas urbis, & indutos ueste luminis, & coronis claritatis, & lucis ornatos. Papias quoque Hieropolitanus, Ioannis Euangelistæ auditor, testatur, Petrum Romæ suam primam epistolam scripsisse. Dionysius Corinthiorum Episcopus, Apostolorum contemporaneus, anno Domini quinquagesimo, Romæ existens ait. Vos habentes commonitionem

Dionys. Areopa.

Papias.

Dionys. Cor. Episc.

tionem à Petro, & Paulo, plantationem Romanæ Ecclesiæ cõiunxistis, ambo etiam aduentantes, atq; in hac urbe simul docentes, etiam martyrio pariter uno, eodemq; tempore coronati sunt. Clemens Petri dilectus, atq; successor sic scripsit ad Iacobum fratrem Domini epistola prima. Iacobo fratri Domini, & Episcopo Episcoporum regenti Hebræorum sanctam Ecclesiam Hierosolymis, &c. Et infra. Hic denique ipse Petrus, qui pro immensa charitate, quam erga omnes gerebat, palàm cum omni fiducia, aduersante etiam Tyranno totius mundi, bonum prædicare non destitit; & Regem omnium seculorum per orbem terræ, & usque ad ipsius Romanæ urbis huius notitiam, ut ipsa saluaretur, inuexit; hic inquam pro pietate pati uolens, præsentem uitam finiuit. Linus etiam Petri coadiutor, & secundum aliquos ipsius immediate successor, Orientalibus scripsit pro martyrio Petri in urbe Romana. Quod itidem & Anacletus in epistola ad omnes Episcopos; & reliquos Christi sacerdotes, cap. 3. affirmat dicens. In eadem urbe Romana beatiss. Apostolus Paulus uas electionis, uno die, unoq; tempore gloriosa morte cum Petro sub Principe Nerone agonizans coronatus est: & ambo sanctam Rom. Ecclesiam cõsecrarunt, aliisq; urbibus in uniuerso mundo eam sua præsentia, atque uenerando triumpho prætulerunt. Et infra. Prima ergo Sedes est cælesti beneficio Rom. Eccle. quam, ut memoratum est, beatiss. Petrus, & Paulus suo martyrio cõsecrarunt. Tertullianus uerò, qui Apostolorum temporibus uicinus uixit, ita in de præscriptione hæreticorum ait. Si autem Italiæ adiiceris; habes Romanam: unde nobis quoque auctoritas præsto est statuta. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur: ubi Paulus Ioannis exitu coronatur. &c. Idem lib. 3. aduersus Marcionem. Romanis Euangelium Petrus, & Paulus sanguine suo signatum reliquerunt. Irenæus autem Polycarpi Ioannis Euangelistæ discipuli discipulus, sic capitulo primo 3. lib. contra hæreticos loquitur. Matthæus Hebræis ipsorum lingua scripturam dedit Euangelij: cum Petrus, & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Ecclesiam. Item capitulo tertio. A gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ sunt Ecclesię. Egesippus etiam scriptor uetustissimus, qui tempore Aniceti

Clemens. Linus. Anaclet. Tertul. Irenæ. Egesip.

Aniceti Romam uenit, lib. 3. de excidio Hierusalem, describit quomodo causam Nero quæsierit Apostolos occidendi, & dato, ut Apostoli comprehenderentur, præcepto; rogabatur Petrus, ut sese aliò transferret. Gaudentius uerò Brixinus, scriptor pariter antiquissimus, ait. Hoc enim die apud urbem Romanam ambos, scilicet Petrum, & Paulum, pro Christi nomine Neronis crudelitas interfecit. Eusebius autem Pamphilus Cæsariensis in libro de tempor. sic ait. Petrus Apostolus natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset; Romã proficiscitur: ubi Euangelium prædicans uigintiquinque annis eiusdem urbis Episcopus perseuerat. Idem in lib. 2. historiarum. In ipsis, inquit, Claudij temporibus, clementia diuinæ prouidentię probatissimum omnium Apostolorum, & maximum, fidei, magnificentiæ, & uirtutis meritò, primiorem Principem Petrum ad urbem Romanam deducit. Ambrosius quoque in sermon. Apostolorum Petri, & Pauli idem affirmat dicens. Non sine causa factum putemus, quòd una die, uno in loco, unius Tyranni tolerauere sententiam, una die passi sunt, ut ad Christum pariter peruenirent. Vno in loco, ne alteri Roma deesset: sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrunque constringeret, &c. Et infra. In urbe Roma, quæ Principatum, & caput obtinet nationum. Item de uocatione gentium, lib. 2. cap. 6. Roma, inquit, per Apostolici sacerdotij (hoc est Petri, & Pauli) principatum, amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis. Hieronym. uerò de uiris illust. sic asserit. Simon Petrus filius Ioannis, prouinciæ Galileæ, uico Betsaida, frater Andreæ Apostoli, & princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesię, & prædicationes dispersionis eorum, qui de circuncisione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithinia; secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem magum Romam pergit: ibi uigintiquinque annis cathedram sacerdotalem occupauit. Idem scribens Damaso ait, cathedram Petri, id est Ecclesiam Romanam, & fidem, Apostolico ore laudatam, mihi censui consulendam. Et Diuus Augustinus contra Donatistarum pertinaciam epistola 162. de ipsa Petri cathedra loquens ait. In Romana Ecclesia semper uiguit Apostolicæ Cathedræ principatus. Item aduersus Petiliani literas,

Gauden.

Euseb. Cæsa.

Ambro.

Hieron.

August.

lib. 2.

lib.2.cap.5.aiebat. Quid tibi fecit Cathedram (Romanæ Eccleſiæ) in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet? Sanctus quoque Maximus in Apoſtolorum Petri, & Pauli ſermone, hoc idem fatetur dicens. Fratres cariſsimi, Beatiſsimi Apoſtoli, Petrus uidelicet, & Paulus, quorum hodie ſolennia celebramus, una die paſsi ſunt, ut ad Chriſtum pariter peruenirent: uno in loco, ne alteri Roma deeſſet. Hoc ipſum & Gelaſius Papa in decreto de ſcripturis apocryphis Romæ cum 60. Epiſcopis confecto, approbat inquiens. Petro data eſt ſocietas beatiſsimi Pauli Apoſtoli uaſis electionis: qui non diuerſo (ſicuti hæretici garriunt) ſed uno tempore, uno, eodemq; die, glorioſa morte cum Petro in urbe Roma, ſub Cæſare Nerone agonizans coronatus eſt: & pariter ſupradictam ſanctam Romanam Eccleſiam Chriſto Domino conſecrarunt, talemq; omnibus urbibus in uniuerſo mundo ſua præſentia, atque uenerando triumpho prætulerunt. Paulus etiam Oroſius lib. 6. hiſtoriarum, cap. 6. idem approbat dicens. Anno ab urbe condita octingenteſimo quinto, Tiberius Claudius ab Auguſto quartus regnum adeptus eſt: manſitq; in eo annis ſexdecim. Exordio regni eius Petrus Apoſtolus Domini noſtri Iæſu Chriſti, Romam uenit, & ſalutarem cunctis credentibus fidem fideli uerbo docuit, potentiſsimiſq; uirtutibus approbauit. Atque exinde Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt. Item cap. ſequenti. Nero primus Romæ Chriſtianos ſupplicijs, & mortibus affecit: ac per omnes prouincias pari perſecutione excruciari imperauit: ipſumq; nomen extirpare conatus, beatiſsimos Apoſtolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Antherus quoque in epiſtola de tranſlat. Epiſcoporum, eidem aſſentit dicens. Petrus ſanctus magiſter, & Princeps Apoſtolorum de Antiochia utilitatis cauſa tranſlatus eſt Romam: ut ibidem potius proficere poſſet. Et Hermanus Contractus, Comes Veimgenſis, uirq; doctiſsimus, pariter in ſua Cronica de ſex mundi ætatibus ait. Petrus Apoſtolus Romam uenit: ibiq; per uigintiquinque annos prædicans Epiſcopatum tenuit. Sed ad quid tam in longum hunc protraho ſermonem? cum non pauci alij Doctores ſancti, ueluti Athanaſius, Damaſcenus, Bernardus, & plerique ſimiles alij, & Imperatores, ac Principes infiniti hoc itidem una uoce confirment. Vbinam legitur Petrum poſt Apo-

Maximus. Gelaſ. Pa. Paulus Oroſ. Anther. Herman.

ſtolorum

ſtolorum diſperſionem, diuiſionemq;, alio in loco, quàm Antiochiæ primò, & Romæ ultimò Eccleſiæ præfuiſſe, ſucceſſoremq; ſibi elegiſſe? Sileant igitur, Apoſtolum Petrum Romę haud quaquam fuiſſe aſſerentes, Romanæ Eccleſiæ detrahentes. In qua primò principatum tenuit Petrus: deinde ſucceſſores ipſius. De quibus in ſequenti articulo ſermonem faciemus.

De Petri, Cathedræq; eius ſucceſsione. Art. XIII.

QVAMVIS ſatis ex ſuperioribus (ut opinor) oſtenſum ſit, Romanum Pontificem uerum Chriſti Eccleſiæ ſummum eſſe paſtorem; nihilominus ad maiorem huius rei manifeſtationem tum ex Petri ſucceſsione, tum ex communis ſententiæ omnium approbatione, in præſenti articulo hoc ipſum uolui deſcribere. Et, ut ad primam ueniamus, non abſq; doctorum diſcrepantia, quis Petro in cathedra primò ſucceſſerit,
Clemens. rit, indicare potero. Nonnulli enim Clementem Petro immediate uolunt ſucceſsiſſe: quod confirmare uidetur prima illius epiſtola ad Apoſtolum Iacobum fratrem Domini ſcripta. in qua ſic legitur. In ipſis diebus, quibus uitæ finem ſibi imminere prȩſenſit (ſcilicet Petrus) in conuentu fratrum poſitus, apprehenſa manu mea, repente conſurgens in auribus totius Eccleſiæ hæc protulit uerba. Audite me fratres, & conſerui mei: quoniam, ut edoctus ſum ab eo, qui me miſit, Domino, & magiſtro meo Iæſu Chriſto, dies mortis meæ inſtat; Clementem hunc Epiſcopum uobis ordino: cui ſoli meæ prædicationis, &
Euſeb. doctrinæ cathedram trado, &c. Euſebius autem lib. 3. cap. 14. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Anacletum Clementi, & non Petrum, ſummi ſacerdotij ſedem ait tradidiſſe. Quod omnino eiuſdẽ Anacleti epiſtolæ ad omnes Epiſcopos, & reliquos Chriſti ſacerdotes ſcriptæ, contrarium eſſe uidetur: in cuius principio ſic legitur. De primatibus cariſsimi, ſuper quibus me quidam ueſtrum conſuluerunt, aut ſi eſſe deberent, aut non; quantum hactenus de iis à beato Petro Apoſtolo, & reliquis Apoſtolis, & à beato Clemente noſtro ſancto prædeceſſore, & martyre nouimus ſtatutum, &c. Idem repetit & cap. 3. Alij uerò, quo-
Hiero. rum unus eſt Hieronymus, & Platina, Clementem quartum
Plati. fuiſſe aſſerunt: qui ei Linum, & Cletum præponere uolunt.

Augu-

Auguſtinus autem cum alijs tertium eum fuiſſe affirmat, Linum tantummodo ei præponendo. Vnde Chryſoſtomus Homil. 102. 1. Timoth. 4. Aiunt quidam, Linum ſecundum poſt Petrum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum præfuiſſe. At ne Clementis epiſtolæ Apoſtolo Iacobo ſcriptæ aduerſari uiderentur; ait Platina, beatum Clementem omnium modeſtiſsimum, Linum, & Cletum ſponte ſibi in tanto honore prætuliſſe. Quapropter uiſis hac in re difficillima ſententiis uarijs, ego lectoris arbitrio iudicium hoc relinquere uolo: quamuis uerius eſſet credibile, quemadmodum in decretis etiam legitur, Linum, & Cletum à beato Petro Epiſcopos ad miniſterium ſacerdotale exhibendum fuiſſe ordinatos, ut ipſi omne miniſterium ſacerdotale in urbe Roma, uel ſuperuenientibus, loco Petri exhiberent, ipſo Apoſtolo Petro prædicationibus uacante: & Clementem immediatum, & proximum Petri ſucceſſorem fuiſſe, qui poſt ipſius obitum Cathedram eiuſdem tenuerit. Et hoc Ioannes Papa huius nominis tertius in ſua decretali epiſtola ad prouinciarum Galliæ, & Germaniæ Epiſcopos ſcripta, expreſſe confirmat dicens. Si autem Petrus princeps Apoſtolorum adiutores ſibi aſciuit Linum, & Cletum, non tamen poteſtatem Pontificij, aut ligandi, aut ſoluendi, eis normam tradidit, ſed ſucceſſori ſuo ſancto Clementi, qui Sedem Apoſtolicam poſt eum, & poteſtatem Pontificalem, tradente ſibi beato Petro, tenere promeruit. Linus uerò, & Cletus miniſtrabant exteriora. Princeps autem Apoſtolorum Petrus uerbo, & orationi inſiſtebat, &c. Quod & recitatur cauſa 8. q. 1. cap. Si Petrus. Cui ſententię & Alexander primus circa annum Domini 119. quintus (ut refert Euſebius Eccl. hiſt. lib. 4. cap. 2.) ſub Petro Papa creatus, in epiſtola ad Orthodoxos directa, uidetur annuere dicens. Beatus princeps Apoſtolorum Petrus in ordinatione ſancti prædeceſſoris noſtri Clementis inſtruens clerum, & populum ait, &c. Clemens uerò, uti affirmat etiam Euſeb. lib. 3. cap. 14. Eccleſiaſtici hiſt. diuini uerbi miniſterium Euariſto tradidit. Auguſt. autem, qui Linum ſolumodo Clementem præceſsiſſe aſſerebat Anacletum, & non Euariſtũ, Clementi ſucceſsiſſe affirmat, & Anacleto Euariſtum. Verum ſit quomodocunque: hoc unum certum eſt, Clementem poſt Petrum, Euariſtum poſt Clementem immediate, uel mediate, omnium Doctorum ſententia, Apoſtoli Cathedram Romæ obtinuiſſe,

Auguſt. Chryſoſt. Platin. Ioã. Pa. 3. cau. 8. q. 1. cap. ſi Petrus. Alexan. Pa. 1. Euſeb. Euſeb.

nuisse, atq; Christi Ecclesiæ præfuisse. Si quis uerò omniũ Romanorum Pontificum beato Petro succedentium descriptionẽ
Augusti. scire cuperet; legat Aug. contra Donatistas epistola 36. ubi ostendit, nullum Donatistam Apostolo Petro in sua Cathedra successisse: sicuti hac nostra tempestate nullus Lutheranorũ, ceterorumq; hæreticorum tanta sede indignorum, potest succedere. Ait enim. Si ordo sibi Episcoporum succedentium cõsiderandus est; quanto certius, & uere salubriter ab ipso Petro numeramus? cui totius Ecclesię figuram gerenti Dominus ait. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferorum non uincent eam. Petro.n. successit Linus. Lino Clemens. Clementi Anacletus. Anacleto Euaristus. Euaristo Alexander. Alexandro Xystus. Xysto Thelesphorus. Thelesphoro Hyginius. Hyginio Anicetus. Aniceto Pius. Pio Sother. Sothero Eleutherius. Eleutherio Victor. Victori Zephyrinus. Zephyrino Calixtus. Calixto Vrbanus. Vrbano Pontianus. Pontiano Antherus. Anthero Fabianus. Fabiano Cornelius. Cornelio Lucius. Lucio Stephanus. Stephano Xystus. Xysto Dionysius. Dionysio Felix. Felici Eutychianus. Eutychiano Caius. Caio Marcellinus. Marcellino Marcellus. Marcello Eusebius. Eusebio Melchiades. Melchiadi Siluester. Siluestro Marcus. Marco Iulius. Iulio Libertus. Liberto Damasus. Damaso Syritius. Syritio Anastasius. In hoc ordine successionis, nullus Donatista Episcopus inuenitur: sicuti neq; etiam ab illo Anastasio, usq; ad præsentem summum Pontificem Pium, huius nominis quartum, aliquis Lutheranus, siue alius hęreticus repertus fuit. sed potius Ecclesiæ sanctæ hi omnes uno impetu, tanquã membra abscissa, molesti esse non cessarunt, neq; cessant: à quibus tamen semper intacta remansit, immobilis in Petri radice per-
Augusti. seuerans. Vnde Aug. li. 1. de Symbolo, ad Cathecumenos, cap. 5. Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia uera, Ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans, pugnare potest: expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de uite pręcisa: ipsa autem manet in radice sua, in uite sua, in charitate sua: & portæ inferorum non uincent
Chrysost. eam. Et Chryso. Homi. 55. in Matth. cap. 16. Ecclesia tot, tantisq; fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor, & caput piscator homo &c. Væ autẽ talibus: quia quisquis absq; Ecclesia inuentus fuerit, à numero pariter filiorum

Dei alienus erit: nec habebit Deum patrem, qui Ecclesiam respuerit habere matrem. At nonnulli dicent hæreticorum peruersi, ad instar illorum magistri Martini Lutheri, se ueros Christi fideles esse, ueramq; Christi Ecclesiam repræsentare: nos autem Romanos hæreticos, schismaticos, diabolicosq;. Nam Lutherus in sua captiuitate Babilonica ita est affatus. Non Boemi, nec Græci sunt hæretici, & schismatici nominandi: sed nos Romani estis hæretici, & impij schismatici. Quod manifeste est contra illud Apostoli ad Ro.1. Omnibus, qui sunt Romę, dilectis Dei, & uocatis sanctis. Et infra. Gratias ago Deo meo, quia fides uestra annuntiatur in uniuerso mundo. Quod & Lucius in epistola prima ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ, & Felix in epistola ad Benignum Episcopum, Pontifices Maximi, & Christi martyres sanctissimi, de hac Romana Ecclesia sermonem facientes ostendunt, omnibusq; manifestant dicētes. Hæc est Apostolorum uiua traditio, hæc sancta, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiā à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errare probatur: nec ab hæreticis prauitatibus deprauata succubuit: sed, ut in exordio normam fidei Christianę percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi principibus; illibata fine tenus manet: iuxta illud Lucæ 22. Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua, & reliqua. Nec mirum. Nam hæc sancta Romana, & Apostolica Ecclesia (ut expresse beatus martyr Anacletus à Petro sacerdos ordinatus, & in ordine Pontificū, secundum aliquos, tertius, in epistola sua tertia ad omnes Episcopos, & Christi sacerdotes scripta, testatur) nō ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit: sicut ipse B. Petro dixit. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā: & portę inferi non pręualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quęcunq; ligaueris super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælo. Et hoc non solum Occidentales, uerum & Orientales affirmant, comprobantq; sacri Doctores, & patres. Dicebat enim Aug. in superioribus contra Donatistarū pertinaciam epistola 162. In Romana Ecclesia semper uiguit Apostolicæ Cathedræ principatus. Et contra literas Petiliani, lib.2.ca.5. ait. Quid tibi fecit Cathedra Ecclesię Romanę, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet?

[Margin notes: Rom.1. — Lucius Pa.1. Felix Pa.1. — Cau 24. q.1. cap. A recta. — Anaclet. — Dist.22. ca sacro sancta Roman. — August.]

ſedet? Et Ambroſ. ſupra de uocatione gentium, lib.2. cap.6. Roma per Apoſtolici ſacerdotij principatum amplior facta eſt arce religionis, quàm ſolio poteſtatis. Et in lib. de exceſ. fratris, cap.7. Romana Eccleſia communis eſt omnibus catholicis procul dubio ut caput. Et in tertio de ſacramentis, cap.1. In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam. Et alibi. Multis proficit fides Romanorum. Diuus quoque Hieron. ad Pammachium, & Oceanum de erroribus Origenis. Quiſquis es aſſector nouorum Dogmatum, quæſo te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apoſtoli uoce laudata eſt. Et in Apologia aduerſus Ruffinum. Scito tu Ruffine, Romanam fidem Apoſtolica uoce laudatam, iſtiusmodi præſtigias (quales .ſ. nectebant Origeniſtę) non recipere, etiam ſi angelus aliter annuntiet, quàm ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari. Et ad Theophilum. Sed tamen ſcito tu Theophile, nobis nihil eſſe antiquius, quàm Chriſti iura ſeruare, nec patrum tranſire terminos, ſemperq; meminiſſe, Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam, cuius ſe eſſe participē Alexandrina Eccleſia gloriatur. Item Cyprianus lib.4. epiſtola 8. Nos ſingulis nauigantibus, ne cum ſcandalo ullo nauigarent, rationem nos reddidiſſe ſcimus, & hortatos eſſe, ut (Romanam Eccleſiam ſcilicet) Eccleſiæ catholicę matricem, & radicem agnoſcerent, ac tenerent. Quid uerò ſuper his Tertullianus, ſuperius de præſcrip. hæreticorum pag.109. protulerit, attendite. Age iam, qui uoles curioſitatem melius exercere in negocio ſalutis tuæ; percurre Eccleſias Apoſtolicas, &c. Si autem Italiæ adiiceris, Romanam habes, unde nobis quoq; auctoritas prębto eſt ſtatuta. Felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. Quod confirmat & Irenæus aduerſus Valentini hæreſes, lib.3. ca.3. Hiſtoria etiam tripart. lib.4. cap.9. ſic loquitur. Eccleſiaſtica regula iubet, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. Et hoc ex omnibus tum uniuerſalibus, tum particularibus Concilijs celebratis poteſt oſtendi. Nicænum .n. quod primum fuit inter Generalia, à 318. Epiſcopis, auctoritate Silueſtri Romani Pontificis celebratum, cuius uice duo Legati Victor, & Innocentius eidem præfuerant Concilio; ipſo peracto, per epiſtolam à Pontifice Romano, omnia ibidem determinata corroborari petebat. Quod itidem nō ſolum ab alio Nicæ-

Hieron. Cyprian. Tertul. Irenæ. Hiſto. tripar. Concil. Nicæ. 1.

no,

no, uerum & ab alijs quatuor Conſtantinopolitanis, & Epheſino, ac Chalcedonenſi in partibus Orientalibus celebratis, eſt obſeruatum, Taceam poſtea de reliquis in partibus noſtris Occidentalibus habitis, uidelicet tribus Lateranenſibus, Conſtantienſi, Baſilienſi, Florentino, atque Tridentino: quæ omnem honorem, & reuerentiam, atq; obedientiam Eccleſiæ Romanæ tanquam matrici omnium aliarum Eccleſiarũ exhibuerunt. Si uerò ad Concilia Prouincialia seu Diocęſana acceſſerimus; nullum prorſus inueniemus, incipiendo ab Ancyrano, quod fuit primum, uſque ad Moguntium, quod fuit ultimum, Anno Domini MDXLIX. celebratum; in quo patres congregati Romanam Eccleſiam, & ipſius Pontificem, tanquã illorum, & totius Chriſtianitatis caput, non recognouerint, niſi ſchiſmaticorum fuerit Conciliabulum: quemadmodum fuit Ariminenſe, de quo Damaſus Papa mentionem facit in ſua quinta epiſtola, & Epheſinum ſecundum, atque Conſtantinopolitanum ſub Leone Imperatore hæretico celebratum, & id genus alia. Quapropter dicebat Damaſus Papa ad Stephanũ Archiepiſcopum, & Africanos Epiſcopos. Nulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non ſunt fulta Apoſtolica auctoritate, Romana uidelicet. Quod & Magnus ille Athanaſius in epiſtola ad Liberium Papam confirmare uidetur dicens. Vniuerſalis Eccleſia uobis in Chriſto eſt commiſſa, ut pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis. Baſilius pariter Magnus epiſtola 52. ad Athanaſium, Viſum eſt autem mihi conſentaneum, ut ſcribatur Epiſcopo Romæ, ut quæ hic geruntur, conſideret, detque conſilium: & quoniam difficile eſt, ut communi, ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur; ipſe ſua auctoritate in iſta cauſa uſus, uiros eligat, ad ferendas quidem itineris moleſtias idoneos, uerum iuxta ad hoc quoque accommodos, ut manſuetudine, & facilitate ingenij eos, qui diſtorti, & obliqui apud nos ſunt, corrigant. Et Aegyptiorum Pontifices in epiſtola ad Felicem Papam, de infeſtationibus Arrianorum. Pater beatiſsime, quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos à ueſtra Apoſtolica ſancta Sede auxilium hauſimus; & noſtri Vos curam habere agnouimus; præfatam Apoſtolicam, & ſummam expetimus iuxta canonum decreta Sedem, ut inde auxilium capiamus, unde prædeceſſores noſtri ordinationes, & dogmata, atque ſubleuationes ceperunt. ad eam quoq; quaſi

Damaſus Papa.

Athanaſius.

Baſil.

Aegyptiorum Pontificũ cõfeſsio.

ad matrem recurrimus, ut eius uberibus nutriamur: quoniam non poteſt mater obliuiſci infantē ſuum. Sic & uos nolite obliuiſci nos uobis cōmiſſos: quoniam non leuibus nos inimici noſtri implicauerūt, & quotidie facere moliuntur, afflictionibus, & apprehendere, aut ferro nos conſtringere minantur, niſi eorū conſentiamus erroribus. quod nequaquam uobis inconſultis agere præſumimus: canonibus quippe iubentibus, abſque Romano Pōtifice, nos de maioribus cauſis nihil debere decernere. Itē ſcimus in Nicęna magna Synodo. 318. Epiſcoporū ab omnibus concorditer eſſe roboratū, nō debere abſq; Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari. Hoc itidē affirmāt & patres trium Conciliorum Africæ in epiſtola ſcripta per Stephanum Archiepiſcopum ad Damaſum Papam. Et Ioſeph Conſtantinopolitanus Patriarcha, dū Florentię in ultimo Concilij extremū uitæ ſuæ cognouiſſet diem, ad magis Gręcorum animos in catholica Chriſti Eccleſia confirmandos, hanc ſanctam illis, ac reliquis omnibus in ſcriptis reliquit cōfeſsionem. Ioſeph, inquit ipſe, miſeratione diuina Conſtantinopolis, & nouæ Romæ Archiepiſcopus, ac œcumenicus Patriarcha, quoniam ad extremum uitæ meæ perueni; idcirco pro meo munere dilectis filijs benignitate Dei meam ſententiam his literis palàm facio. Nā, quæ Domini noſtri Iæſu Chriſti catholica, & Apoſtolica Eccleſia Romæ ueteris ſentiat, ac celebret omnia, me quoq; ſentire, credereq; profiteor, ac ipſis plurimum acquieſco. Beatiſsimum autem patrum patrem, ac ſummum Pontificem, Romæq; ueteris Papam, Domini noſtri Iæſu Chriſti Vicarium eſſe, concedo, atque animarum purgatorium eſſe non inficior. Datum Florentiæ die octauo menſis Iunij, anno 1439. Idem definiuit, ac ſanciuit ex conſenſu omnium tàm Græcorum, quàm Latinorum, ipſum ſacrum Florentinum Concilium dicens. Item definimus, ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in uniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & uerum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem, ac doctorem exiſtere, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi uniuerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro Iæſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe: quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris canonibus continetur. Datum Florentiæ

Patrū. 3. Concil o. Afric. confeſsio.

Ioſephi Conſtāt. Patriarchæ confeſsio.

Conciliū Floren.

rentię in ſeſsione publica Synodali, anno 1439. Ceterum quid de Armenis dicemus à noſtris regionibus maxime diſtantibus, Regi Perſarum principi infideli ſubditis? qui hac noſtra ætate tertiò ad Sedē Ro. pro ipſius recognitione, & fidei inſtructione, nec non & pro paſtoris ipſorū acceſſerunt cōfirmatione? quorū profeſsionem in electione Benedicti filij Berzati de Naſchioan habitā, & Paulo huius nominis tertio traſmiſſam, prę manibus habemus, quę eſt iſta. In nomine unigeniti filij Dei, qui ſua ſancta gratia, & miſeratione de uirgine naſci dignatus eſt, Anno Domini 1540. In die beati Andreę Apoſtoli fuimus cōgregati (Pater beatiſsime) nos, qui ſumus oues Veſtræ, & prouincię in ſpiritualibus ſubiecti Veſtræ Sanctitati. Vos aūt caput noſtrū eſtis, & in hoc ſeculo omnibus ſuperior, & nos ſub Veſtrę Sanctitatis obedientia. Vos uero cæleſtē poteſtatē habetis, & gratiā à Deo ad regendū mundū. Et Angeli cæli ſunt in ſocietate Veſtra. Et eſtis princeps totius Eccleſię, & caput capitū, & princeps Prelatorū totius mundi. Et eſtis Vicarius Chriſti in omni loco, ubi duodecim Apoſtoli prædicauerunt. Et uos ueram, & rectā retinetis fidem: ad cuius Sedē omnes fideles, & catholici Chriſtiani concurrunt. Et eſtis hominum lætitia, & exultatio: qui (quemadmodū de uino dicitur) corda hominum lætificatis. Et eſtis uerus Vicarius S. Petri, qui mundū uniuerſum manu continetis, & quodcūq; ligatis, & ſoluitis ſuper terrā, ligatū ſimiliter, uel ſolutū erit in cælis. Et eſtis fundamentū totius Dei Eccleſię. O Pater Sancte, quē mundus in partibus noſtris non cognoſcit. Armenorum confeſsio.

Nos Andreas Vicarius Caſalis, ſeu Villæ, quæ dicitur Giach, & Subprouincialis totius prouinciæ Armenorum catholicorū.

Azarias Prior Villæ Sabonis.
Ioannes Prior de Ablarenter.
Ioannes Prior Cuſcaſcim.
Ioannes Prior Abheracundis.
Zacharias Prior Salitah.
Thomas Prior Carna.
Petrus Prior de Ganzam.

Omnes iſti Chriſtiani catholici, & fratres Ordinis Prædicatorum Sancti Dominici ſubiecti, & filij obedientiſsimi Sanctitatis Veſtrę ad omnia exequenda.

Petrus Conſul, ſiue caput de Giach.
Petrus Ioannes Conſul Villæ Sabonis.
Mirans Conſul de Ablarenter.
Saphar Conſul de Cuſcaſcim.
Aceich Conſul de Abheracundis.
Aguhech Conſul de Salitah.
Putach Conſul de Carna.
Siluan Conſul de Ganzam.

Laici omnes, & capita, ſeu primiores Villarum ſupradictarū, omnes ſimiliter filij, &c.

O Pater

O Pater Sancte mortuus eſt Epiſcopus noſter, & alium paſtorem, & caput loco eius cupimus ſubſtitui nobis. Conferentes autem inter nos inuenimus uirum idoneum F. Benedictum filium Berzati de Naſchioan, ordinis Sancti Dominici, quem & adire fecimus regionem, & urbem ueſtram. Hunc elegimus in Epiſcopum noſtrum Nozouanienſem, poſt biennium à morte prænominati, & prædeceſſoris noſtri Epiſcopi, die uidelicet & anno ſupradictis. O Pater Sancte Papa Paule, conſeruet Vos Deus omnipotens, & S. Petrus, & S. Paulus, & omnes ſancti cæleſtis curiæ, & ita commendatum habeat electum noſtrum Veſtra Sanctitas: quia eſt bonus, & catholicus Chriſtianus, qui nec Latinam loqui linguam, neque Italicam nouit. Vnde compatiatur ei Sanctitas Veſtra. O Pater Sancte, quicquid boni facietis huic fratri Benedicto electo noſtro, retribuent Sanctitati Veſtræ Sancti Dei Apoſtoli Petrus, & Paulus. Nos infidelibus ſubiecti ſumus, à quibus ipſe iam electus, captus, & cathenatus, & in uinculis, & cathena per nouem menſes habitus eſt. Vnde ut ipſum redimeremus, paramenta Eccleſiæ, & calices, & cruces uendere coacti ſumus. Et ita cum tribus millibus trecentis aureis redemimus: & uenit in ſanctam Ciuitatem ueſtram. Nunc autem Sanctitas Veſtra tantum boni ipſi retribuat, quantum illi Deus in mentem dederit.

Et ille, qui ſcripſit, oſculatur pedes Sanctitatis Veſtræ, Ioannes Abheracundis, nominatus filius Coſigian.

Ignatius Syrus Patriar. Antioche. cõfeſsio.

Nonne & Ignatius Syrus modernus Patriarcha Antiochenus nomine ipſius, & omnium ſibi ſubditorum, tum literis ad Paulum, & Iulium Pontifices Maximos, horum nominum tertios, tum per Legatum ad utrunque miſſum, nomine Moyſen Syrum (qui Viennę in ultima reuerſione Cæſareæ Maieſtatis Ferdinandi tunc Romanorũ Regis expenſis, anno 55. ibidẽ per integrum annum moram trahendo, nouum teſtamentum, non nullaque alia Syriace imprimi curauit) omnem humilitatem, recognitionem, & obedientiam Eccleſiæ Romanę, atque eius Pontifici exhibuit? à quo inſtructionem orthodoxę fidei, magno cum feruore poſtulauit. quam ſequi omnium ſuorum ſubditorum nomine pollicitus eſt: quemadmodum antea & à ſuis prædeceſſoribus, præcipue tempore Concilij Florentiæ celebrati, actum eſt. Vnde & Iulius ipſe tertius in literis ad ipſum Patriarcham Antiochenum reſpõſiuis, ſe in armarijs, & ſcrinijs,

hoc

hoc idem uidisse, atque legisse, narrat. Ex quibus ego manu propria exemplar extraxi. Et Indiani Presbytero Ioanni subditi, ad Christi fidem per Thomam Apostolum conuersi, quamuis ad tempus iudaizauerint circuncisionem recipientes, & paruulos suos in frontibus calamo ferreo adusto in modum crucis signantes, & in fermento conficientes, atq; sub utraque specie communicantes; attamen sæpe literis à Presbytero Ioanne illorum principe Pontifici Romano scriptis, Ecclesiam Romanam totius Christianismi matricem recognoscebant: & ultimò nuntijs cum literis ab eorundem Principe ad Iulium Tertium missis, se totaliter Ecclesiæ Romanæ submiserunt obedientiæ, à Romano Pontifice ueræ fidei instructionem requirentes: quemadmodum etiam paulo ante nonnullæ aliæ Indiarum partes, diuersis alijs Principibus subiectæ, sanctorum uirorum prędicationibus, atque exemplis erant conuersæ, & aliæ partes continue ad Christi cognitionem, & fidem reducuntur: ad quas (uti dicitur) Euangelij notitia nondum peruenerat. Cuius rei fidem faciunt tot, tantaque ordini Prædicatorum, atque Minorum monasteria, ac reuerendis Dominis patribus de societate Ięsu collegia ibi denuo constructa: quorum labore ingenti uerbum Domini multum fructum affert Ecclesię Christi. Possem & infinita alia similia ad huius rei corroborationem adducere testimonia: sed ne his tàm euidentibus iniuria fiat, & pius lector nimia prolixitate tedio afficiatur; reliquis omnibus relictis, unum tantummodo & nouum, atque probatissimum describere curabo. quod dum Tridenti in Concilio, Reuerendissimi, atque Illustrissimi Domini mei Salisburgensis nuntium, procuratoremque agerem; ad meas peruenit manus: & huic meo operi iam completo, atque perfecto, ad maiorem fidelium excitandam in Romanam Ecclesiam deuotionem, atque subiectionem, addendum censui dignum. Vir quidam summe religiosus, & sexagenarius, nomine Abdisu Assyriorum Orientalium, à clero, & laicis eorum populorum, qui finitima Tigri fluuio loca incolunt, & Turcarum, Persarumque Imperio sunt subiecti, electus Patriarcha, anno superiore, uidelicet M D L X I. ut Apostolorum uisitaret limina, & à Romano Pontifice Maximo confirmaretur, cum non paruo propriæ uitæ discrimine (nam illum semel à Curdis, bis à Turcis ma-

Indorum Presbyt. Ioan. subditorũ cõfessio.

Indorum aliorũ cõuersio.

Abdisu electus Patriarcha Assyriorũ Oriẽtaliũ Romã uenit pro confirmatione obtinenda.

le acceptum, ac fustibus cæsum esse satis constat) ad urbem se contulit, & Santiss. D. N. PP. Pio IIII. omnem obedientiam exhibuit, atque præstitit: uti nedum ex nonnullorum fide dignorum literis, Reuerendißimi, & Illustrißimi præcipue Cardinalis Amulij, Tridentum ad Concilium transmißis, & in sexta seßione, cum omnium iubilatione perlectis; uerum & ex multorum sanctorum uirorum, qui illum uiderunt, & per interpretem eiusdem sinceram audierunt fidem, relatione, firmißimum redditur testimonium: à quibus pariter ea, quæ sequuntur relata fuere. Cum enim literis, ac testibus fide dignis eius electio, & probitas cognita esset, ac per multos non solum dies, uerum etiam menses, absolutam nostrorum rituum cognitionem, à quibus antea in nonnullis, non quidem grauibus, dissenserat, à catholicis, & eruditis hominibus accepisset; tandem à Santißimo D. N. PP. Pio IIII. Patriarcha, & pastor illorum populorum est declaratus: cum prius se nunquam à sanctißimis Sedis Apostolicæ decretis esse dissensurum, aut discessurum, solenniter de more, confeßione, & iureiurando pollicitus esset. Quarum rerum omnium memoria literis diligenter consignata, in Archiuio custoditur. Insuper. Is sæpe de sacris literis interrogatus, grauiter admodum, & copiose respondit, magna omnium admiratione, qui sententiam eius uerborum ab interprete audiebant. Nominabat, eosque se habere dixit libros omnes ueteris, & noui Testamenti, etiam quos Hebræi, aut hæretici non probant: antiquos Doctores Græcos, & Latinos, eosdem ferè, quibus nos utimur, Caldaice, Syriace, aut Arabice uersos diligenter legisse: nonnullos etiam, quorum nomina à nobis ignorantur. Addebat hoc in Caramiet Turcarum ciuitate libros esse ab ipsa ferè Apostolorum ætate conscriptos, qui nunc in quadam bibliotheca custodiuntur. Summam profectò Dei beneficentiam licet agnoscere, quòd in tàm longinquis regionibus, quæ nobis uix fama notæ sunt, ueræ fidei cultus adhuc uigeat, & Christiana religio, non minore fortasse, quàm apud nos, pietate excolatur: conseruata doctrina, quam per ea loca beatorum Apostolorum Thomæ, & Thadæi pijs sermonibus disseminatam, & Marij eorum discipuli prædicationibus confirmatam, hic Patriarcha esse ita asseuerauit, ut etiam id se scriptis probaturũ promitteret. Sacramentis aiebat uti se, ac popu

los illos ijſdẽ ferè, quibus nos: confeſsione auriculari, precatione pro ſalute mortuorũ, canone ijſdẽ ferè uerbis in celebranda miſſa, cõſecratione prorſus eadẽ. Imagines quoq; Sanctorũ pijs precibus uenerãtur. Fideles autẽ huic Patriarchatui ſubiectos ad ducenta uſq; millia eſſe affirmabat. Quo argumento noſtri confundi deberent hæretici: cũ per annos mille quingentos, & ultra, Eccleſię dignitas, ac ſalutaris doctrina apud gentes, à nobis tot terrarũ interuallo diſiunctas, in tanta rerũ, Regum, & regnorũ mutatione, religionis uarietate, ſub infidelium graui per iniurias, & contumelias uexatione, in medio Barbariæ, eadem tamen ad hanc diẽ permanſerit: & nunc ab ipſis nobis regione propinquis tantopere oppugnetur. Sed hæc qualia ſint, & quantã uim apud omnes habere debeant, quilibet põderare poterit. Ceterum ipſe tandem ſanctus Patriarcha, niſi ſenio iam confectus redire ad ſuos, impetrata primum à Santiſsimo D. N. licentia, properaſſet, ut eos eccleſiaſtica doctrina plenius inſtrueret; ad ſacrum Concilium profectus eſſet: ut iſthic fidem catholicam, ſuumq; erga Sedem Apoſtolicam ſingulare ſtudiũ, & obedientiã profiteretur. Abeuntem autem eũ ſummus Pontifex, ſuosq; Presbyteros, & Diaconũ, ueſtimentis, & rebus omnibus ad eius ſacerdotium pertinentibus, & uiatico eſt proſecutus. Huius etiã uiri eximiã in Deum pietatẽ eſſe, optimumq; de uera fide ſenſum, cum in multis alijs, tum in eo perſpectum eſt: quòd cum Roma diſcederet, ut iſtius ſacri Concilij canones, & decreta ad eum curarẽtur perferenda, ſtudioſiſsime petijt: promittens ſe quicquid in Concilio ſtatutum fuerit, omnino ſeruaturum, & ut omnes ſui ſeruent, operã daturum: quod & chirographo ſuo Chaldaice confecto, & per interpretẽ in noſtram Latinã linguam tranſlato, confirmauit. Et ut his maior adhibeatur fides; nolui prętermittere, quin hanc, & priorẽ ipſius confeſsionẽ, in ſexta ſeſsione huius ſacroſanctę Synodi publicatam, pio lectori patefacerem. Quarum prima hæc eſt.

Confeſſus ſum puro corde, & fide non ficta, coràm Reuerendiſsimis, & Illuſtriſsimis. D. Michaele tituli Sanctę Sabinæ, Alexandrino, & M. Antonio tituli S. Marcelli. Amulio, S. R. E. præsbyteris Cardinalibus, in hanc formã, uidelicet. Ego Abdiſu filius Ioãnis, de domo Marcia, ex ciuitate Gezire, in Tigri flumine, olim monachus S. Antonij, monaſterij ſanctorum Rahæ, & Ioannis fratrum, electus Primas, ſiue Patriarcha ciuitatis *Profeſsio fidei Patriarchæ Aſſyriorũ Orientalium lecta in ſexta ſeſsione*

Tridentini Concilij, sub Papa Pio Quarto.
Esa. 5.

Muzal in Aßyria Orientali, iuro, quòd ita corde credo, & ore confiteor, sanctæque R. E. fidem, approbatis omnibus, & singulis illis, quæ ipsa approbat, & damnatis similiter omnibus, quæ ipsa damnat, amplector, & perpetuò me amplexurum, & retenturum esse profiteor, & promitto, & omnes fratres meos Metropolitas, siue Episcopos, ac Diocæsanos, quouis modo meę iurisdictioni subiectos, ita credendum, & tenendũ esse docebo, & modis omnibus, quibus potero, persuadere conabor: ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. In quorum omnium fidem hanc meæ fidei professionem, & attestationem manu mea scripsi, & subscripsi, coràm Reuerendiss. & Illustriss. Dominis, D. Michaele tituli Sanctæ Sabinæ, Alexandrino, & D. Marco Antonio tituli Sancti Marcelli, Amulio, uulgariter nuncupatis. S. R. E. presbyteris Cardinalibus. Romæ. Die VII. Martij. Anno MDLXII.

Altera uerò est, quæ sequitur.

Patriarcha Aßyr. Orien. recipit omnia decreta Conciliorũ, præsertim Tridentini.

Ego Abdisu filius Ioannis de domo Marcia, ex ciuitate Gezirae in Tigri flumine, olim monachus sancti Antonij, monasterij sanctorum Rahæ, & Ioannis fratrum, nunc Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Primas, siue Patriarcha ciuitatis Muzal in Aßyria Orientali, sub cuius iurisdictione multi Metropolitæ, Episcopi, & Diocæsani continentur, uidelicet Arber Metropolis. Siraua, Hancana Episcopatus. Chouthian Metropolis. Caramleys, Alchusch Episcopatus. Naßyhin Metropolis. Machazzin, Talleschani. Mardin Episcopatus. Sceert Metropolis. Azzen Eiscopatus. Elæhessen Metroppolis. Zuch, & Mesciara Episcopatus. Gurghel Metropolis. Esci Episc opatus. Amed Metropolis. Chiaruchia, Hayn, Tannur Episc opatus. Quæ omnes simul regiones subsunt Turcarũ Imperio. Ormi superior Metropolis. Vscimi, & Cuchia Episcopatus. Ormi inferior Metropolis. Dura, solddos, Escinuch, Episcopatus. Espurgan Metropolis. Nare, Gennene Episcopatus. Salamas Metropolis. Baumar, Sciabathan, Vasthan Episcopatus. Omnes Persarum Regi, uulgo Sophì nuncupato, subiecti. In India uerò Lusitanis subiecta, Cuschin Metrop olis. C nanor Metropolis. Goa Metropolis. Calichat Episcopatus; cui subest Corongol ciuitas, quæ adhuc ab idolatris, & ethnicis hominibus poßidetur. Iuro, & polliceor, cum mihi non liceat ad Sanctam sacram Synodum Tridentinam accedere, sed necesse

sit,

ſit, ut ad Patriarchatum meum me transferam, qui meo eget auxilio, & ſine cuſtode, me abſente, permanet (munus enim Eccleſiarum Præſulis eſt, animas ſibi ſubiectas quotidie in ſancta Chriſtiana fide inſtruere, & moribus, uitæque integritate eas in fide confirmare: ne grex ſibi commiſſus, paſtoris regimine deſtitutus, in uarios incidat morbos. quod eo facilius gregi meo accidere poſſet, quòd cum ſit ſub infidelium Tyrannide, adhuc multos in Chriſtiana fide imbecilles tenet: & quotidie etiam mea diligentia, Dei gratia cooperante, ampliare poteſt. Cumque difficile fratres Metropolitę, Epiſcopi, & Diocęſani, qui tam longe abſunt, poſſint ad hanc ſacram Tridentinam Synodum conuocari; ea de re tàm meo, quàm meorum nomine, quos omnes ex corde S. R. C. E. partes tenere non dubito, inhærendo iuramento fidelitatis aliàs per me confecto, ſiue per me præſtito; Iuro inquam, & polliceor omnia nos tenere, & credere, quæ in ſanctis œcumenicis Concilijs hucuſq; ſunt acta, & ſecundum eorum decreta promitto omnes filios noſtros inſtituere, & præcipue in his, quæ in ſancta ſacra œcumenica Tridentina Synodo terminabuntur. De cuius legitima congregatione nihil penitus dubito: ſed ei & meo, & eorum nomine reuerenter, & humiliter me ſubiicio. Vocatusq; ad hanc, ſeu ad aliam ſanctam Synodum, cum dictis fratribus meis, libenter ſemper accedam. ſic me Deus adiuuet, & hęc ſancta Euangelia. Romæ XXIII. Iulij. Anno MDLXII.

Et hæc omnia ſupradictus Patriarcha coràm Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Cardinali Amulio nedum ore, uerum & ſcriptura, charactere Caldaico, ſiue Syriaco, manu ſua propria exarata, confeſſus eſt. Cuius rei fidem fecit præſentibus infraſcriptis teſtibus, Dominus Ioannes Baptiſta Abiſcinus Indus interpres. In quorum omnium maius teſtimonium, his infraſcripti omnes, qui huic interfuerunt confeſsioni, ſubſcripſere. Romæ, in ædibus Illuſtriſsimi Domini Cardinalis de Vrbino. Die, ut ſupra, XXIII. uidelicet Iulij. Anno MDLXII.

Ita eſt, Marcus Antonius Cardinalis Amulius.

Ego Bartholomeus Euſtachius Sācto ſeuerinas affirmo, ut ſupra.

Ego Antonius Iannottius affirmo, ut ſupra.

Ego Chriſtophorus Anichinus affirmo, ut ſupra.

Ego Aurelius Sauignanus, ut ſupra, propria manu fidē facio, &c.

Eccleſia

Eccleſia igitur Romana eſt illa uera catholica, quam totus orbis terrarum populus Chriſtianus tanquam Chriſti ſponſam ueneratur, confitetur, & amplectitur: quam Lutherani, & alij ſimiles hæretici, antiquas ſtipulas combuſtas reuiuiſcere conãtes, negant: ipſorum Synagogam Chriſti Eccleſiam eſſe affirmantes: dicentes bonum malum, & malum eſſe bonum.

Eſa. 5. Sed audiant quid eis dicat Eſaias. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum, id eſt falſum, in dulce: & dulce .i. uerum, in amarum. Hæc quo ad primam Burgenſis confeſsionem ſufficiant.

ASSERTIO FIDEI CATHOLICAE ADVERSVS ARTICVLOS SECVNDAE CONFESSIONIS ANNAE BVRGENSIS.

Auctore Feliciano Ninguarda à Morbinio Dominicano Theologo.



De inuocatione Sanctorum. *Art. I.*



IAM AD ARTICVLOS EIDEM Annæ Burgensi præpositos est accedẽdum: quorum primus circa Sanctorum inuocationem existit: quem ipse, Catharorum, & Vigilantij errorem renouans, præceptorum suorum Lutheri, atque Zuuinglij sequens doctrinam, pertinaciter respuit dicens. *Iam uero, ut ad interrogata uestra ueniam, & primum, an liceat Sanctos mortuos inuocare? Respondeo, nusquam id in literis sacris præceptum esse: quin potius mandari, ut quoties ueniam peccatorum nostrorum impetrare uolemus, inuocemus Dominum per filium suum Iæsum Christum mediatorem, & aduocatum nostrum.* Quod ex diuersis sacrarum scripturarum locis comprobare nititur: quæ tamen maiori ex parte nihil ad rem faciunt ferè, cum ad omnipotentiam Dei manifestandam illa ipsa sint descripta: uti ex ipsis quilibet potest comprehendere. Ait enim. *Christus per os prophetæ sui Esaiæ loquens cap. 43. dicit. Ego sum, qui peccata propter me doleo, et tuorum scelerum memoriam deponã. Similiter scriptum est psal. 80. & 90. Nunquid sum æternus? nullus*

nullus est Deus, qui sit conseruator præter me. Idem traditur apud Esaiã 45. Deut.23. Videte nunc me esse, neque alium existere Deum præter me. Ego mortis, & uitæ sum Dominus. Quod idem inculcatur 1. Samuel.2. Oseæ 13. Deut.4. Hæ sunt auctoritates, quibus una ex parte Annas Sanctorum inuocationem ductus est negare: quod ex sequentibus immediate positis uerbis, ipsemet ostendit dicens. *Quibus omnibus ex locis confirmo, nullum alium præter solum Christum inuocandum esse ijs, qui peccatorum suorum ueniam impetrare cupiunt.* O consequentiam notatu dignam, & uiris sacri Euangelij notitiam habentibus deferendam. Quis mentis inops ignorat, Deum esse æternum, omnipotentem, omnia conseruantem, mortis, & uitæ Dominum, omnium iudicem, & alium Deum præter ipsum non esse? Ergo Sancti propterea non sunt inuocandi? Vbi nam est doctrina tua, prudentia tua, à Confessionistis tam celebriter prædicata? Vnde hunc arguendi modum hausisti? Quis rationis expers hanc tuam consequentiam erroneã prorsus, absurdamq; esse non affirmaret? Quis Euangelij notitiam habens probare posset, Deus est æternus, & nullus alius Deus præter ipsum; est Dominus mortis, & uitæ, ergo sancti non sunt inuocandi? Alia demum, quæ magis ad rem facere uidentur, scripturarum citat loca, quibus non tantum Sanctos mortuos, uerum & uiuos non esse inuocandos, proposito suo contradicendo, primo conatur ostendere. Deinde uerborum suorum immemor, scripturis uictus, tanquam redargutus, concedit ex parte, quod negauerat ex toto: uti assignabitur inferius loco suo. primum autem hoc est. *Quod si quis dicat, sanctos, qui ex hac uita migrarunt, esse patronos, & aduocatos nostros; respondebo, propterea fas non esse illorum patrocinium implorare, quoniam id nusquam mandatum, ac præscriptum est. Scriptum est enim psal.49. Inuoca me aduersis tuis temporibus, & liberabo te, tum mihi honorem habebis. Idem traditur apud Esaiam 55. Iob.2. Rom.10. Eph.2. & apud Matth. 11. Venite ad me omnes, qui onerati estis, & ego reficiam uos. Item Ezech.30. Quoties peccator gemet, & miseriam suam deplorabit, abijciam scelerum ipsius memoriam. Item apud Ioan.14. & 16. Quicquid in nomine meo petieritis, dabitur uobis. Petite, & accipietis. Item actorum 4. In nemine alio salutem esse, neque aliud nomen sub cælo datum esse, præter nomen Iæsu, ad salutem obtinendam. Præterea. 1. Ioan.2. sic scriptum est. Si quis peccauerit, unus est aduocatus apud patrem Iæsus Christus. Item per solum Christum aditum habemus ad patrem.* Romanorũ 3.

Paulus

Paulus præterea dicit, Iæſum Chriſtum poſſe omnes, qui ad ſe accedunt, ſeruare, eumq; ſemper uiuere, ut pro nobis deprecetur. Roman. 8. Item 1. Timoth. 2. Vnus eſt mediator inter Deum, & homines Iæſus Chriſtus. His itaque auctoritatibus motus, concluſit uniuerſaliter ſanctos præter Chriſtum non eſſe inuocandos, dicens. *Quod cum ita ſit, & hæc particula Vnus alios excludat; confirmo, nullum alium eſſe præter Dominum Iæſum Chriſtum, qui patronus noſter eſſe poſsit.* Videas ô Anna, ne tibi ipſi contrarius efficiaris. Oportet nempe mendacem, fallacemq; eſſe memorem. Si enim harum auctoritatum uigore, ſolus Chriſtus noſter poſſet eſſe aduocatus, atque patronus, ex eo præcipue, quod particula Vnus alios excludat; non tantum igitur ſancti mortui, uerum & uiatores à tali inuocatione erunt ſemoti, ac alieni: cum dictio Vnus omnes cuiuſcunque ſtatus excludat. Quod tu & in particulari de uiuis oſtendere, probareq; conaris. Nam cum ex ſuperioribus hoc itidem concluſiſſes, dicens, Quod cum ita ſit, & hæc particula Vnus alios excludat, confirmo nullũ alium eſſe præter Dominum Iæſum Chriſtum, qui patronus noſter eſſe poſsit; ad huius probationem immediate ſubintuliſti. *Itaque Magi ſapientes uiri, qui Virginem Mariam inuiſerunt, non adorarunt illam, ſed ipſius natum, ut teſtatur Matth. 2. Præterea nemo corda hominum, & intimos receſſus mentis nouit, præter Deum ſolum. Roman. 8. Hieremiæ 17. pſal. 33. Vnde argumentor, preces noſtras alijs extra Chriſtum oblatas, eſſe uanas & inanes: utpotè ijs oblatas, à quibus non exaudiuntur. Quapropter uiri ſancti ſemper honorem inuocationis ſoli Deo tribui uoluerunt: neque unquam ſe adorari, aut inuocari ſuſtinuerunt. Videte Heſter 3. Item Act. 4. & 10. ubi Apoſtoli non paſſi ſunt ſe adorari. Item Apocal. 19. & 22. Vbi Angelus adorari noluit. Dicens. Ego ſum ſeruus tecum, &c.* Ecce quomodo uniuerſaliter concludere defatigaris, ſanctos indifferenter omnes tàm in uia, quàm in patria exiſtentes, pro nobis intercedere non ualere, ex eo quòd neque Heſter, neque beata Virgo, nec Apoſtoli, omnes adhuc uiuentes adorari, neque inuocari ſuſtinuerunt. Similiter & Angelus. quaſi & nos ad Chriſtum Dominum noſtrum immediate pro interceſsione impetranda, debeamus accedere, & non ad Sanctos tum mortuos, tum uiuentes, ſicuti tunc Maria Virgo, & Apoſtoli, & Heſter uiuebant. Licet probationes iſtæ ex parte ualde ſint ridiculoſæ, cum aliud ſit adorare, & aliud interceſsionem impetrare; Magi non pro obtinenda

intercesſionem, ſed pro adoratione, quæ quidem adoratio nato, & non Mariæ conueniebat, illuc acceſſerant. iuxta illud
Matth. 2. Matth. 2. Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & uenimus adorare eum, Similiter & ceteri, Quapropter non mirum, ſi nec Heſter, nec beata Virgo, neque Apoſtoli, nec Angelus, ſe adorari permiſerunt, cum adoratio talis ſoli Deo, uti in ſequenti oſtendetur articulo, ſit exhibenda; attamen hoc ipſum manifeſte abſurdum, & fidei abſonum, ſacriſq; ſcripturis prorſus contrarium eſſe, oſtendam immediate. Et primò Sanctos adhuc uiuentes, ſe non adorari quidem, ſed inuocari permiſiſſe, & pro alijs ad Deum interceſsiſſe. Nam Moyſes ad Dominum ait, ut habe-
Exod. 32. tur Exod. 32. Obſecro peccauit populus iſte peccatum maximum: feceruntq; ſibi Deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis; dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. Et Iacob propinquus morti, cum benediceret filium ſuum
Gen. 48. Ioſeph; inquit. Deus, in cuius conſpectu ambulauerunt patres mei Abraham, & Iſaac; Deus, qui paſcit me ab adoleſcentia mea uſque ad præſentem diem; Angelus, qui eruit me de cunctis malis; benedicat pueris iſtis, & inuocetur ſu-
Iob 42. per eos nomen meum, &c. Item apud Iob 42. dixit Dominus ad Eliphaz Themaniten. Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam nō eſtis locuti coràm me rectum, ſicut ſeruus meus Iob. Sumite ergo uobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes: & ite ad ſeruum meum Iob: & offerte holocauſtum pro uobis. Iob autem ſeruus meus orabit pro uobis. Faciem eius ſuſcipiam, &c. Et infra. Et fecerunt, ſicut loquutus fuerat Dominus ad eos, & ſuſcepit Dominus faciem Iob. Dominus quoque conuerſus eſt ad pœnitentiam Iob,
Act. 7. cum oraret ille pro amicis ſuis. Item in Act. 7. Stephanus Martyr in Chriſto primus, ueniam perſecutoribus eſt depre-
Act. 12. catus, dominum imitans. Nonne & tota Eccleſia ſine intermiſsione orabat ad Dominum pro Petri liberatione, quorum preces fuerunt exauditæ? Et Apoſtolus uti habetur ſe-
Timot. 2. primæ. cundo ſecundæ ad Timoth. pro ſe poſtulauit orationes, & pro Regibus, & his, qui ſunt in ſublimitate conſtituti, iuſsit pre-
Heb. 5. ces fieri. Item Hebræ. quinto. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. Item ad

Epheſ.

Ephes. sexto. Colossen. quarto, & Thessalonic. tertio secun- Eph.6.
dę. Verum ad quid tantum protrahere temporis in simili- Col.4.
bus longius assignandis auctoritatibus? Cum tu his ò An- 2.Thessal.
na iam uictus, & astrictus, tui ipsius immemor (quapropter 3.
supra tibi dicebam, oportere mendacem esse memorem) quòd prius negaueras, tanquam redargutus acceptare, atque affirmare es coactus: Sanctos uidelicet uiuentes pro alijs ad Deum intercedere posse dicens. *Quod si quis disputet mandatum nobis esse, ut Deum alij pro alijs inuocemus; id ego tandiu uerissimum esse fateor, & agnosco, quandiu in hac uita sumus: nimirum ne otio torpeamus, atque ut charitatem nostram exerceamus. At posteaquam animus è corpore excessit, tum omnem nimirum curam, & solicitudinem humanarum rerum deposuimus, totiq; in Dei uoluntate conquiescimus. Quare si quis illud Dauidis obijciat, Iniquitatem meam apud Deum confitebor, propterea orabit te omnis Sanctus tempore oportuno; Respondebo, Dauidem de pijs, & sanctis hominibus, qui adhuc in uita manent, agere: quemadmodum ex integro psalmo facile quiuis intelliget. Fideles enim, & pietatem colentes appellantur in scripturis Sancti. Apocalip. 7. 1. Corinth. 1. 2. Co. 1. Ephes. 1. 1. Petr. 2. Leuitic. 19.* Nonne uides ò Anna, ex ore tuo te ipsum esse condemnatum? Si enim Sancti hac in uita adhuc uiuentes apud Deum intercedere possunt; quare propositio tua uniuersalis erit nulla: cum ad destructionem uniuersalis falsa sufficiat particularis. ex consequenti non solum uiatores, uerum & beati in patria existentes poterunt pro intercessione deprecari. Nec mirum. Nam si mortales hoc à Deo assequi possunt; quanto magis illi, qui continuè Deo assistunt? quoniam & si corpore mor-
tui sunt mundo; uiuunt tamen Deo. Non est enim Deus (in- Matth.22.
quit Veritas ipsa) mortuorum, sed uiuorum. Quod tu adhuc temerariè audes respuere, Vigilantij hæresim ad memoriam reducens, tui præceptoris Ioannis Brigittani Oecolampadij
dogma imitans. Contra quod asserebat & Diuus Hiero. in lib. Hieron.
quodam aduersus Vigilantium inquiens. Dicis in libello tuo, quòd dum uiuimus, mutuo pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiuerunt. Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti; quanto magis post uictorias,

coronas,& triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Domino ueniam. Et Stephanus imitator Domini sui,& primus martyr in Christo persecutoribus ueniam deprecatur. Et postquam cum Domino esse cœperint, minus ualebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas: & postquam resolutus esse cœperit cum Christo; tunc ora clausurus est: & pro ijs, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit? meliorq; erit Vigilantius canis uiuens, quàm ille leo mortuus? Recte hoc de Ecclesiaste proponerē, si Paulū in spiritu mortuū

Chrysost. confiterer. Et Chrys.Hom.vlt.in cap.Ro.6. Si Paulus, cum hic esset,usq; adeo dilexit homines,ut cū dissolui ex animi proposito,& cū Christo esse cuperet,elegerit hic esse; multo magis illic

Bernard. feruentiorē amorē ostendet.Et D.Bernard.in quodam sermone de Sanctis sic ait. Qui potens in terra fuit; potentior est in cælis ante faciem Domini sui. Si enim dum hic adhuc uiueret (quilibet Sanctus uidelicet) misertus est peccatoribus,& orauit pro eis; nunc quantò amplius, quantò uerius agnoscit miserias nostras? Orat pro nobis patrem, quia beata illa patria charitatem eius non mutauit, sed augmentauit, immo potius mouit sibi uiscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ adsistit. Debemus etenim uitam eius attendere, &cet. Similiter, si Sancti in limbo extra statum meriti, & non adhuc Deo fruentes, pro suis orabant; quantò libentius id facient, cum iam Deo gaudeant? præsertim cum pro alio Deum orare opus sit charitatis. Cum ergo charitas iuxta Apostoli sen-

1.Cor.13. tentiam, primo Corinth. 13. non excidat, immo perficiatur in patria; conuincitur, ut ibidem pro nobis multo feruentius orent, quàm dum hic uiuerent, aut cum in limbo morarentur, fecerunt. Quòd autem & in limbo patres ora-

2.Mach. 15. uerint pro populo, hoc testatur 2. Machabæorum 15. ubi sic legitur. Onias summus sacerdos Iudæorum post mortem suam apparuit Iudæ Machabæo manus suas extendens, & orans pro omni populo Iudæorum: in qua uisione alius similiter apparuit eidem, Oniæ socius: de quo ad Iudam Machabæum Onias ait. Hic est fratrum amator, & populi Israel. Hic est, qui multum orat pro populo, & uniuersa sancta ciuitate, Hieremias propheta Domini. Et si libri Machabæorum auctoritate hæreticus contentari noluerit; susci-

piat

piat diuerſa alia ſcripturarum loca, hoc idem manifeſtantia, atque demonſtrantia. Iacob enim moriturus benedixit filijs Ioſeph dicens. Inuocetur ſuper eos nomen meum: nomina quoque patrum meorum Abraham, & Iſaac, &c. Et Moyſes pro peccato populi Deum orans ſic aiebat. Quieſcat ira tua: & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, &c. Placatusq; eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduerſus populum ſuũ. Item ait Dominus quarti. Reg. cap. 19. Protegam urbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruũ meum. Item apud Ezechiel. 14. ait Dominus. Et ſi fuerint tres uiri iſti in medio eius Noe, Daniel, & Iob; ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas. &c. Item Hiere. 15. Si ſteterint (inquit Dominus) Moyſes, & Samuel coràm me; nõ eſt anima mea, &c. Et in lib. Iob. habetur. Voca ergo, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum conuertere. Quę quidem uerba quamuis illa Eliphaz Themanites ad Iob dixerit, non tamen ea Iob reprehendit, ſed conſilium eius uelut ſanum libenter ſuſcepit: cum tamen aliàs illam de alijs male ab eo prolatis reprehenderit. Item 33. Eliu dixit. Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatẽ, miſerebitur eius, & dicet. Libera eũ, &c. Itẽ Baruch. 3. Domine omnipotẽs Deus Iſrael, audi nunc orationem mortuorum Iſrael. Item Zacharias. 1. ait, Angelum oraſſe pro Hieruſalem, &c. Et apud Danielem. 3. Orabat Azarias poſitus in fornace accenſa igni dicens. Ne quęſumus tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum: & ne diſsipes teſtamentum tuum: neque auferas miſericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum, &c. Et exaudita eſt oratio eius. Et ſi hæ teſtamenti ueteris non ſufficiant auctoritates; ex nouo has ſuſcipiant alias. Ait Chriſtus. Ioan. 5. Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim uos apud Patrẽ. eſt qui accuſat uos, Moyſes, in quo uos ſperatis. Quid enim de Moyſe ſperare Iudæi poterant, niſi interceſsionem? Et apud Lucã. 16. Diues eleuatis oculis ſuis, cum eſſet in tormentis, uidit Abraham, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamans dixit. Pater Abraham miſerere mei, &c. Item. Rogo ergo te pater, ut mittas eũ (ſcilicet Lazarum) in domum patris mei, &c. Si igitur huic ſepulto in inferno licuit rogare pro refrigerio aquæ, &c. Et ut ipſe

Geneſ. 48.
Exo. 32.
4. Reg. 19
Ezech. 14
Hieremi.
Iob. 5.
Iob. 33.
Baruch. 3.
Zacha. 1.
Daniel. 3.
Ioan. 5.
Luc. 16.

se Lazarus ad fratres suos informandos mitteretur; quare non poterunt uiui Sanctorum in patria existentium intercessionem expostulare? Et in Apocalypsi. 5. Beatus Ioan. quatuor uidit animalia, & uiginti quatuor seniores, qui ceciderũt coràm agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas, plenas odormentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Item. 8. Iterum uidit aliũ Angelum stantem ante altare, habentem thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coràm Deo. Quod etiam uidetur approbare id, quòd dicebat Angelus Thobiæ. Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino. Ideo apud Hæbreos. 1. de Angelis sic habetur, quòd omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministeriũ mittuntur propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Et cum hoc Angelorum ministerium non propter Deum, sed propter nos uitæ æternæ heredes à diuina prouidentia ordinatum esse sit intelligendum, ita ut ipsos sanctos Dei Angelos, tanquam inter Deum, & nos medios, inuocemus; quare cum ex Christi doctrina apud Lucam 20. habeatur, sanctos homines Angelis Dei in gloria esse æquales, affirmandum erit, quòd si Angeli Deo nostras offerunt orationes, etiam Sancti pro nobis intercedere possunt, &c. Huc quoque accedunt sanctorum patrum testimonia hoc idem approbantia: quorum nonnulla describenda esse dignum duxi. Cyprian. ad Cornel. Papam. lib. 1. epist. 1. Memores nostri inuicem simus, concordes, atque unanimes, utrobique pro nobis semper oremus, pressuras, & angustias mutua charitate releuemus. Et si quis hinc nostrum prior diuinę dignationis celeritate pręcesserit; perseueret apud Deũ nostra dilectio: pro fratribus, & sororibus nostris apud misericordiam patris non cesset oratio. Idem affirmat in sermone de stella, & Magis. Et Origenes homil. 3. in cant. Salomonis. Omnes Sancti, qui de hac uita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & iuuare eos precibus suis, atque interuentu suo apud Deum; non erit inconueniens: scriptum nanque est in Machabæor. lib. ita. Hic est Hieremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo. Item lib 2. in Iob sub finem.

Apoca. 5.
Apoca. 8.
Thob. 12
Hebr. 1.
Luc. 20.
Cyprian.
Origenes

O beate

O beate Iob, uiuens in perpetuum apud Deum, & uictor permanens in conſpectu regis Domini, ora pro nobis miſeris. Idem in Matth. cap. 24. tracta. 27. Idem ſub finem lamenti protulit. Item D. Chryſoſt. in Miſſa ipſius. Omnia ſunt glorioſa in te Dei genitrix myſteria, caſtitate ſignata, uirginitate cuſtodita, mater cognita, & ſine fallacia: quæ uere peperiſti Dominum, ipſi ſupplica, ut animas noſtras ſaluet. Idem ad S. Michaelem. Idem etiam ad ſanctum Nicolaum eodem in loco dirigit. Et Gregorius Nazianzenus decimanona oratione in D. Cyprianum. Tu uero Cypriane nos ab alto propitius reſpice: noſtrumque ſermonem, ac uitam dirige, & ſanctum ouile hoc paſce, aut una rege, ac reliqua, quantum poſſibile eſt, ad meliora diſpone. Idem in Baſilium magnum. Idem in D. Athanaſium protulit. Baſilius quoque ipſe in quadraginta martyres hanc deſcripſerat ſententiam. Beneficium hoc fratres dilectiſsimi, gratiam hanc minime deficientem, ac ſine inuidia ex Deo obtinemus, ut paratum ſit nobis, & Eccleſiæ, per hos auxilium, &c. Et infra. Qui aliqua premitur anguſtia; ad hos confugiat: qui rurſus lætatur, hos oret: hic, ut à malis liberaretur: hic, ut duret in rebus lætis. Et Hieronym. in Epitaphio Paulæ. Vale ò Paula, & cultoris tui ultimam ſenectutem orationibus iuua. fides, & opera tua Chriſto te ſociant. præſens facilius, quod poſtulas, impetrabis. Item ad Paulam ipſam adhuc uiuentem ſuper obitu Bleſillæ. Bleſilla filia tua ò Paula, pro te iam Dominum rogat, mihique ut de eius mente ſecurus ſim, ueniam impetrat peccatorum, &c. Et Auguſtin. ſuper Exod. cap. 108. Orationibus ſanctorum martyrum propitiatur Deus peccatis populi ſui. Item in ſermo. 244. de temp. Tunc pro nobis abſque dubitatione ſancti martyres intercedunt, quando in nobis aliquid de ſuis uirtutibus recognoſcunt. Idem ſermon. ſecundo, & tertio de martyri. Idem in pſal. octuageſimo octauo. Idem in Ioann. tractat. octuageſimo quarto. Idem in lib. de cognitione ueræ uitę cap. trigeſimo nono. Idem in lib. de ſpiritu, & anima cap. quinquageſimo nono. Idem in lib. meditationum cap. 23. Idem in multis alijs locis. Item Gregorius presbyter, in D. Gregorium Nazianzenum. Tu uero pater beate, ſcenæq; ueræ ſpectator, & myſta, ubi uoce exultatione, & ſalutis Angeli cum ſanctis Deum collaudanti; tui memor ſis Gregori, qui

Chryſoſt. Gregor. Nazian. Baſil. Hierony. Auguſt. Gregor. presby.

D. Bern. hæc breuiter es philosophatus. D. etiam Bernardus sermone 66. reprehendit nonnullos sui temporis hæreticos, qui Sanctos intercedendos esse negabant. Possem & quàm plurima alia in huius rei confirmationem sanctorum Doctorum adducere testimonia: quę breuitatis gratia censui omittenda. Et si quis uidere ea appeteret; assignabo nonnulla: ut quilibet illa possit exquirere. Dionys. Areopagita. cap. 7. Ecclesiasticæ hierar. Cyrillus lib. 6. aduersus Iulianum Apostatam. Beda in Homil. super Euangel. Matt. de muliere Cananea. Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxa, cap. 6. Theodoretus contra Græcorum affectiones lib. 8. Eccle. histor. lib. 6. cap. 5. de Potentiana uirgine. Post tot euidētissimas scripturarum canonicarum auctoritates, & efficacissima sanctorum Doctorū testimonia, plurimæ Conciliorū extant sanctiones, & decreta, hanc rem definientia, atque determinantia: quæ si quis curiosus legere optarit; uideat Aurelianense Concilium. 1. tempore Hormisdæ Papę celebratum, can. 12. Item Gerundense, pariter tempore eiusdem Hormisdę Papæ celebratum, can. 3. Item Toletanum quintum, tempore Honorij Papæ primi celebratum, can. 2. Item Toletanum sextū pariter sub Honorio. 1. anno secundo celebratum, can. 2. Item Bracarense. 1. tempore Honorij quoque celebratum. can. 9. Itē primum Moguntiacum. Anno Domini 813. tempore Caroli habitum, can. 33. In quibus locis suprascripta Concilia pręcipiūt, temporibus ab Ecclesia determinatis solennes celebrari rogationes. Quòd si Sancti non essent intercedendi; tot patres à Spiritu sancto instructi, hæc nequaquam mandassent. Confundatur igitur Annas Burgensis cum ceteris hæreticis: qui contra apertissima scripturarū, Conciliorumq;, necnō & sanctorū Doctorum testimonia, Sanctorum in patria existentium subsidia, siue intercessiones nequissime, & temerarie respuere ausus fuerit. Nos autem omnibus in nostris necessitatibus ad eos confugiamus: eos deprecantes, ut pro nobis ad Dominum nostrum Iæsum Christum intercessores esse dignentur. Non tamen tali fiducia eos orare debemus, ut in illis omnem spem nostram collocemus, & reponamus, tanquam illi ex seipsis ad præstandum ea, quæ optamus, & cupimus, sint potētes: quoniam solum Deū tali modo, & Dominum nostrum Iæsum Christum mediatorē supremum orare debemus. Ad cuius rei euidentiam maiorem (præcipue ut Burgensis auctoritatibus aduersus Sanctorum inuocationem

Diony. Areopa. Cyril. Beda. Damasc. Theodoret. Hist. Eccl.

Conciliū Aureli. Conciliū Gerund. Conciliū. Tolet. 5. Conciliū Tolet. 6. Concil. 1. Bracaren. Conciliū Mogun. 1.

uocationem aſsignatis, ſatisfaciamus) nonnulla ſunt obſeruanda, notatuque digna. Sicut in Deo aliquid eſt incommunicabile ſimpliciter, uti Deitas, quæ nemini ſecundum rem, atque ſuam ſignificationem, communicari poteſt, niſi ſecundum quid, per quandam eius ſimilitudinem, utpotè qui aliquid diuinum participant, per ſimilitudinem Dij dicuntur, iuxta illud Prophetę (quod & comprobatur à Chriſto Ioannis decimo). Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Et aliquid communicabile, ueluti bonitas, miſericordia, ſapientia, prudentia, iuſtitia, & charitas; ita in Chriſto duplex fuit poteſtas. Vna auctoritatis, quæ competit ei, ſecundum quòd Deus: & talis poteſtas nulli creaturæ potuit communicari, niſi ſecundum ſimilitudinem participationis alicuius diuini, iuxta illud Ioan. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Aliam habuit Chriſtus excellentiæ poteſtatē, quæ conuenit ei, ſecundum quòd homo factus eſt: iuxta illud Ioan. 5. Poteſtatem dedit ei (ſcilicet filio) iudicium facere: quia filius hominis eſt. Et Matth. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Et hoc ſic intelligendum eſt, non quod antea tali priuatus fuerit poteſtate, cum ab æterno omnem habuerit poteſtatem (per ipſum enim facta ſunt omnia: & ſine ipſo factum eſt nihil.) ſed quantum ad exequutionem, quam accepit ex reſurrectione. quod etiā D. Ioan. in Apocalipſis. 5. cap. inſinuat dicens. Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere uirtutem, id eſt poteſtatem. Qua ratione etiam fuit, & eſt inter Deum, & homines mediator. Ideo Auguſtinus in nono lib. de ciuita. Dei. Non ab hoc mediator eſt Chriſtus, quia eſt Verbum, maxime quippe immortale, & maxime beatum Verbum, longe à mortalibus miſeris: ſed mediator eſt, ſecundum quod homo, &c. Et hoc ſuis quidem potuit communicare fidelibus, tantam eis gratiæ abundantiam donando; ut in uirtute ipſius in alijs cauſarent, quod ipſe ſolus Chriſtus preſtare poteſt: ueluti poteſtatem ligandi, & ſoluendi, quam dedit Diſcipulis ſuis, apud Matth. 18. & Ioā. 20. dicens. Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo. Et poteſtatem iudicium inferendi, mundumq; iudicandi, iuxta illud Matth. 19. Sedebitis & uos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael, &c. & alia id genus ſimilia. Similiter Chriſtus pacem communicauit ſuis, Pa-

Ioan. 10. Pſal. 81. Ioann. 1. Ioan. 5. Matt. 28. Ioann. 1. Apoca. 5. Auguſt. Matt. 18. & Ioā. 20. Matt. 19. & Luc. 22 Ioan. 14.

cem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Et inter multa alia charitatem etiam, & mutuam dilectionem illis contribuit: uti habetur Ioan. 13. Mandatum meũ do uobis, ut diligatis inuicem, ſicut dilexi uos. &c. His igitur perluſtratis, non ſolum auctoritatibus à Burgenſi citatis, uerùm & multis alijs ſimilibus à ceteris hæreticis adductis, abſq; difficultate quilibet poterit ſatisfacere. Dicit. n. ex Apoſtolo. 1. Tim. 2. Vnus eſt mediator inter Deũ, & homines Iæſus Chriſtus. & ex primę Ioa. 2. Si quis peccauit, unus eſt aduocatus apud Patrẽ Iæſus Chriſtus. Ergo Sancti non ſunt inuocandi: quia particula Vnus alios excludit. O conſequentiam puerilem. Quis te talem argumentandi docuit artẽ? Ariſtoteles apud Gręcos unus fuit philoſophus. Ergo apud illos alij non fuerunt philoſophi? Ferdinandus unus eſt Imperator. Ergo alij nõ fuerunt Imperatores? Philippus eſt rex unus. Ergo ſolus? Sic Chriſtus mediator quidem noſter eſt apud Patrẽ unus, non aũt ſolus: ſed & alij mediatores dicuntur Sancti, eodẽ tamen modo, uti inferius deſcribetur. Vult aũt Annas Burgẽſis ex alia auctoritate falsò citata probare, ſolũ Chriſtũ eſſe mediatorẽ, dicens. Apoſt. ad Ro. 3. ait, per ſolum Chriſtũ aditũ habemus ad Patrẽ. Quamuis hęc Apoſtoli auctoritas non recte citetur, cũ apud Ro. 3. neq; alijs in locis cum dictione illa Solum haud quaquã inueniatur, ſed alibi ſine particula illa tantũ reperiatur, uti apud Ro. 5. Pacẽ habemus ad Deũ per Dominũ noſtrũ Iæſum Chriſtũ, perquẽ habemus acceſſum per fidẽ in gratiã iſtam, & ad Eph. 2. per ipſum (ſcilicet Chriſtũ) habemus acceſſum ambo in uno ſpiritu ad Patrẽ; nihilominus illã dictionẽ Solum etiã acceptando, affirmamus & Sanctos pariter apud Deũ eſſe mediatores: ſed alio, & alio modo. Nam Chriſtus ſolus eſt mediator noſter uniuerſalis apud Patrẽ. Sancti aũt mediatores quidem ſunt, ſed particulares, talem à Chriſto participãtes uirtutem: quemadmodum etiã reliqua alia dicuntur participare. Dicebat. n. Apoſtolus. 1. Cor. 3. Fundamentũ aliud nemo poteſt ponere pręter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus. & ad Eph. 2. Vos eſtis ciues Sanctorũ, & domeſtici Dei ſuperędificati ſuper fundamentũ Apoſtolorum, &c. Item Chriſtus ad Petrum. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et Ioan. in Apoc. 21. Vidi ſanctã ciuitatem Hieruſalẽ nouã, &c. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorũ, & Agni. Videat hic

Burgenſis,

Ioan. 13.
1. Timo. 2.
1. Ioan. 2.
Rom. 5.
Eph. 2.
1. Cor. 13.
Eph. 2.
Matt. 16.
Apoc. 21.

Burgensis, quomodo Christus solus dictus est unicum esse fundamentum: attamen Petrus, ac ceteri Apostoli, & Prophetę fundamenta dicuntur. Item ait Christus Matth.23. Patrem nolite uobis uocare super terram. Vnus est enim Pater uester, qui in cælis est. Et apud Marc.7. dicit. Honora Patrem tuum, & matrem tuam, &c. Item ait Christus, Vos autē nolite uocari Rabbi. Vnus est enim magister uester. Omnes aūt uos fratres estis. Et rursus, Nec uocemini magistri: quia magister uester unus est Christus. Et Apostolus.1. Cor.12. Quosdā quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores. qui non sunt aliud, nisi magistri. Item Ioan.5. Neque.n. Pater iudicat quēquam, sed omne iudiciū dedit filio: ut omnes honorificent filiū: iuxta quod ait Iacobus c.4. Qui iudicat fratrē suum; detrahit legi: & iudicat legem. Si autem iudicas legem; non es factor legis, sed iudex. Vnus est enim legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare. Saluator aūt ait. Matt.19. Amen dico uobis, quòd uos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suę, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicātes duodecim tribus Israel. Itē apud Ioā.10. Nonne Christus seipsum solū uerū pastorē esse dicebat? Nihilominus Apost. ad Eph.4. ait. Ipse (.s. Christus) dedit quosdā quidē Apostolos, quosdā aūt Prophetas, alios uerò Euāgelistas, alios aūt pastores, & Doctores, &c. Cōsidera itaq;, quomodo scriptura unicum docet esse fundamentum: & plura permittit. Vnū asserit iudicē Christum: & duodecim Apostolos iudices facit. Deū solum patrē uocari præcipit: & patres honorādos iubet. Vnū Magistrū Christū uocari mādat, & alios sic nominari uetat: & tamen in Ecclesia plures constituit. Et Christū solum uerū esse pastorē ostendit: & plures esse cōmemorat. Quę etsi adinuicē contrariari uidētur; attamen nullā patiuntur obscuritatē. Nā ipse solus Christus principaliter est fundamentū, iudex solus, pater, & magister solus, & pastor. Nihilominus, & Sancti secundario per participationē, ueluti Apostoli, sunt fundamenta, iudices, magistri, pastores: quæ omnia Christus ipsis communicauit, participes illos faciendo. quod facere potuit, uti superius ostensum est: cum ista per ipsum communicabilia essent. Sic quoq; nihil officit, unum esse supremum mediatorem, & aduocatum Dominum nostrum Iæsum Christum, in suo genere solum, & unicum, aliosque secundarios esse media-

Matt. 23.
Marc. 7.
1. Cor. 12.
Ioann. 5.
Iacob. 4.
Matt. 19.
Ioan. 10.
Eph. 4.

Auguſt. tores, & aduocatos, ſeu interceſſores. Ideo & D. Auguſt. uolens innuere, Chriſtum, & Sanctos pariter noſtros eſſe interceſſores, in pſal. 85. uerſu, Quoniam tu Domine adiuuiſti me, ait. Dominus noſter Iæſus Chriſtus adhuc interpellat pro nobis: omnes martyres, qui cum illo ſunt, interpellant pro nobis: non tranſeunt interpellationes eorum, niſi cum tranſierit gemitus noſter. Non propterea ipſorum Sanctorum inuocationem officio aduocationis Chriſti detrahere dicimus. Affirmamus .n. Chriſtum noſtrum ſolum eſſe principalem, & uninerſalem mediatorem, per cuius mortem, quum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, uti ait Apoſtolus ad Rom. 5. & ad Col. 1. ratione cuius Chriſto mediatoris nomen proprie conuenit, iuxta quod dicebat Apoſtolus ad Timot. 2. primæ. Vnus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Et per quē omnis gratia à patre nobis conceditur ſecundum illud. Ioan. 14. Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Verum etiam Sanctos aſſerimus eſſe mediatores, non quemadmodum eſt Chriſtus, ſed particulares, & ſecundarios, Chriſti mediatoris uniuerſalis, & principalis uirtutem participantes, ipſis ex benignitate Chriſti communicatam. quod Chriſtus facere ualuit: ſicuti etiam alia communicabilia eiſdem communicare uoluit, uti ſuperius ſatis oſtenſum eſt. Hos autem inuocamus, non quòd aliquid ipſi de ſuo nobis largituri ſint, cogitemus, ſed per interceſsionem ipſorū à Chriſto Saluatore noſtro, cōſequi ualeamus, quod petimus. Quod manifeſtat. D. Auguſt. in pſal. 120. Leuaui oculos meos in montes, unde ueniet auxiliū mihi? Auxiliū meum à Domino, qui fecit cælum, & terram, ubi ait. Noli putare, quia ipſi montes, id eſt Sancti tibi dabunt auxiliū: accipiunt enim, quod dent, non de ſuo dant. Quapropter Eccleſia catholica, à Spiritu ſancto inſtructa, alio modo inuocat Chriſtum, alio modo Sanctos. Nam cum Chriſtum inuocamus, Ieſu Chriſte miſerere nobis dicimus. quod erga Sanctos non obſeruamus: quos, ut ad Dominum noſtrum Iæſum Chriſtū, cui omnis poteſtas à Patre in cęlo, & in terra data eſt abſoluta, pro nobis orēt, tantū rogamus. Neq; Sāctos inuocamus, quaſi pro nobis aliquid apud Deum immediate intercedere poſsint, ſed cū à patre cęleſti aliquid obtinere optamus, ipſos rogamus, ut apud IeſumChriſtū aduocatum, & propitiatorē noſtrum, nos com-

Rom. 5.
Coloſ. 1.
Primę Thimoth. 2.
Ioann. 14.
Auguſt.

commendatos faciant. Quam doctrinam nouã esse non existimes, sed ab Ecclesia catholica antiquitus traditam: quæ omnes nostras preces ad Sanctos oblatas ad Deum dirigit, per Dominum nostrum Iæsum Christum, tanquam unicum nostrum, apud patrem mediatorem, & aduocatum uniuersalem. Quapropter dicebat D. Bernard. in huius rei confirmationem in principio sermonis Apostolorum Petri, & Pauli. Hi mihi tra diti sunt in magistros, & mediatores, quibus me secure committere possum: quia & notas mihi fecerunt uias uitæ, & mediantibus illis ad illum mediatorem ascendere possum. Quispiam uerò dicere posset, frustra fieri per plura, quod paucioribus perfici potest. Si Christus Dominus, & mediator noster, benignus, suauis, clemens, & misericors est, peccatorum pœnitentiam optans, iuxta illud Ezech. 18. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. abiiciam scelerũ ipsius memoriam; ad quid tantum temporis consumere, Sanctos accedendo, pro intercessione ad Christum: cum nos ipsi immediate ad ipsum Dominum nostrum accedere cum fiducia ualeamus? Ad hoc dicitur. In peccatore duo esse consideranda: naturam scilicet, quam diligit Deus, & culpam, quam odit. Si ergo peccator apud Deum orando aliquid petit, in quantum peccator, id est secundum desiderium peccati, in hoc à Deo non auditur, nisi quandoque ad uindictam, dum Deus permittit peccatorem, adhuc amplius in peccata ruere, iuxta illud August. Deus enim quædam negat propitius, quæ concedit iratus. Si uero peccator ex bono naturæ desiderio, ad Deũ sua oratione accesserit; tunc peccator à Deo auditur nõ quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur: sed ex pura misericordia, obseruatis tamen quatuor præmissis conditionibus, ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie, & perseueranter. Et quia multi peccatorum ad Deum, & Christum absque tali accedunt præparatione; ideo tales à Deo exaudiri nedum difficile, uerum & impossibile asserimus esse: quod expresse & saluator ipse Ioannis 9. ostendit dicens. Scimus, quia peccatores Deus non audit, id est non bene ad Deum accedendum dispositos, Deus non exaudit. Qui propterea ad Sanctorũ Dei amicorum intercessionem accedere debent, ut illorũ precibus Deus sui misereatur: uti quàm optime infrascripti Sancti Doctores ostendunt. Et 1. Origenes circa initium lamenti dicens.

Inci-

Bernard.

Dubitatio.

Ezech. 18.

Respon.

August.

Ioan. 9.

Origen.

Incipiam me genibus prosternere, & deprecari uniuersos Sanctos, ut mihi non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, succurrant. O Sancti Dei, uos lachrymis, & fletu pleno dolore deprecor, ut procidatis misericordijs eius pro me misero. Item sub finem. Heu mihi, Pater Abraham, deprecare pro me, ne de finibus tuis aliener: quos ualde concupiui, nec condigne quidem propter ingens peccatum meum. Et D. August. lib. 2. quæstionum super 33. Exod. cap. 149. Cum merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo, sciamus nos illorum (.s. Sanctorum) meritis releuari posse, quos Deus diligit. Item Hilarius in ps. 129. ait. Angeli missi sunt propter eos, qui hæreditabunt salutem, Deo nihil de his, quę agimus ignorante: sed infirmitate nostra ad rogandum, & promerendum spiritualis intercessionis ministerio indigente. Vel etiam dicẽdum, alios apud Deum pro intercessione esse accedendum, ut multiplicatis intercessionibus Christo gratis, facilius quis exaudiatur: uti D. Paul. ex se ipso manifestat. Qui, etsi Christo Domino nostro erat gratissimus, & ipsius gratia non uacuus; nihilominus aliorum orationibus, obsecrationibusq; se commendare non cessabat. Nam ad Eph. vlt. aiebat, audite. Per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso uigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus Sanctis, & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, &c. Et ad Col. 4. Orationi instate, uigilantes in ea in gratiarum actione: orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Item sub finem huius cap. Salutat nos Epaphras, qui ex nobis est, seruus Christi Iæsu, semper solicitus pro uobis in orationibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni uoluntate Dei. Itẽ Thessal. 3. 2. De cetero fratres, orate pro nobis: ut sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud uos: & ut liberemur ab importunis, & malis hominibus. non enim omnium est fides. Si Apostolus Paulus cum ceteris Sanctis, iustis, pijs, perfectis, Christo gratis, atq; propinquis, aliorũ apud Deum orationibus optabat iuuari, ut facilius posset exaudiri; quanto magis nos impij, imperfecti, peccatis immersi, omni immundicia pleni, Sanctorum obsecrationibus ad Christum accedere debemus, ut facilius impetrare possimus, quod cupimus? Non debemus tamen propterea & nos nostris orationibus erga Christum cessare:

Margin notes: August. — Hilar. — Paul. — Eph. vlt. — Colos. 4. — 2. Thes. 3.

ſare: alioquin ſi ſegnes tardauerimus; nec iuſtus, nec propheta, nec Apoſtolus nobis ullus patrocinabitur. Sin ſeduli fuerimus; ſatis magno operum noſtrorum patrocinio freti, ſumma cum fiducia hinc diſcedemus, & quæ diligentibus dominum repoſita ſunt, bonis perfruemur. His itaq; cognitis, uti ait Chryſoſtomus Homil. 1. in primam ad Theſſ. cap. 1. nec Sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas proijciamus: hoc quidem, ne temerè inſidiis opprimamur: illud uero, ne extra multum lucrum, & profectum excidamus. Sed oremus etiam, ut pro nobis precentur, manumq; porrigant, adhereamusq; & ipſi uirtutis ſtudio, ut bona diligentibus Deum promiſſa conſequi ualeamus. Chryſoſt.

De adorationis nomine. Artic. II.

CVM Annas Burgenſis adorationis, atque inuocationis (quemadmodum ſuperius dictum eſt) nominibus indifferenter ſit uſus, illa ipſa confundẽdo; ideo cognito quid ſit inuocatio, ad quosq; dirigi poſsit, nunc inquirendum pariter erit, quid ſit adoratio, & quotuplex, & quibus conueniat. Adoratio proprie eſt cultus religionis, reuerentia, & ſeruitus, quæ ſoli Deo debetur. iuxta illud Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et hoc, ut ait Auguſt. in 10. de ciuitate Dei, ratione maieſtatis. qua de re ait Gloſ. ſuper illud pſal. Adorate Dominum in atrio Sancto eius. De his atrijs uenitur in atrium, ubi maieſtas adoratur. Et ideo tali ſeruitute, & reuerentia nullus inter creaturas honorari debet. Quapropter Mardochæus, uti habetur Heſter tertio, noluit adorare Aman: timens, ne honorem Dei transferret ad hominem. Et Ioan. ut habetur Apoc. vlt. dum uellet Angelum adorare, audiuit. Vide, ne feceris: conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum, qui ſeruant uerba prophetiæ huius. Deum adora. Item & 19. Similiter noluit Angelus adorari: ſed ait. Deum adora. Pari modo neque Apoſtoli, ut habetur in Actis Apoſtolorum, neque ceteri Sancti, tàm uiui, quàm mortui, ſe tali adoratione permiſerunt adorari, neque permittunt. Ideo dicebat Auguſt. de uera religione cap. 55. Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia ſi pie uixerunt; non ſic habentur, ut tales quærant honores:

Matth. 4. Auguſt. Heſter 3. Apoc. vlt. Apoc. 19. Auguſt.

honores: sed illum à nobis coli uolunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Possunt tamen alio honore
August. uenerari: & hoc ob ipsorum imitationem, uti ipsemet August. eodem in loco ostendit dicens. Honorandi sunt, scilicet Sancti, propter imitationem, non adorandi propter religionem. Et ista ueneratio erga Sanctos Dei nil aliud est, quàm honor, qui alicui debetur, uel propter excellentiam bonitatis, uel maioritatis: qui pariter, modo tamen communiori, & seruitus po-
1. Pet. 2. test nominari. Et de tali honore, & seruitute dicit Petrus Apostolus in sua canonica 1. cap. 2. Omnes honorate. Fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & mo-
Rom. 12. destis, sed etiam discolis. Et Paulus ad Rom. 12. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes. Honore inuicem præuenien-
Ephes. 6. tes. Et ad Eph. Serui obedite Dominis carnalibus, cum timore, & tremore, in simplicitate cordis uestri, sicut Christo. Idem
Col. 3. ad Col. 3. & ad Titum 2. Et talis seruitus, & honor, qui proprie
Titum 2. ueneratio, & non adoratio dicitur, Sanctis Dei potest exhiberi, absque derogatione seruitutis, quæ soli Deo debetur, quæ
August. Græce latria uocatur: hæc uero dulia dicitur. Vnde August. in 10. de ciuitate Dei, ad huius rei corroborationem ait. Alia est seruitus, quæ debetur hominibus: secundum quam præcipit Apostolus seruis dominis subditos esse, quæ scilicet Græce dulia dicitur. Alia uerò latria, quæ dicitur seruitus pertinens ad colendum Deum. Et hac seruitute, scilicet latria, nullus nec Angelorum, neque aliorum Sanctorum, permisit se uenerari, uti superius dictum est: altera uero seruitute, duliæ scilicet, maxime: uti Mardochæus, uir iustus, & timoratus conces-
Hester 6. sit se honorari. Hester 6. Assuerus honorauit Mardochæum, & coràm eo fecit clamare, Hoc honore dignus est, quem rex ho-
Tob. 1. norare uoluerit. Et Tobias etiã, uti legitur Tob. 1. Honoratus fuerat à Rege: in cuius signum, cum uenisset in Rages ciuitatem Medorum, adhuc decem habebat talenta ex his, quibus ab ipso Rege honoratus fuerat. Sic & tali honore Sancti Dei possunt à nobis uenerari: & qui cõtrarium censeret; non Christianus, sed tanquam hæreticus haberetur: ut quàm optime
August. affirmat D. August. in libro Ecclesiasticorum dogmatum, cap. 73. dicens. Sanctorum corpora, & præcipue beatorum martyrum reliquias, ac si Christi membra sincerissime honoranda,

& ba-

& baſilicas eorum nominibus appellatas, uelut loca ſancta diuino cultui mancipata, affectu pijſsimo, & deuotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam uenerit; non Chriſtianus, ſed Eunomianus, & Vigilantianus creditur. Et Gregorius Nazianzen. Oratio 16. de paupertate fouenda. Veritatis martyribus feſta inſtauramus, ut quorum certamina ueneramur, eorum quoque pietatem ueneremur. Qui tamen honor ipſis à nobis proprie non exhibetur ſeruitute (uti ait Auguſtinus in lib de uera relig. cap. 55.) ſed charitate: niſi ſeruitus latiori modo ſumeretur pro omni humiliatione, & reuerentia, quæ fit non ſolum erga ſuperiores, uerum & alios, propter aliquam bonitatis ipſorum excellentiam: quemadmodum ſumebat & ipſe D. Auguſtinus in ſuperioribus, quam aiebat Græce dici dulia: quod quidem uocabulum ab omnibus ſacris Doctoribus Sanctis Dei tribuitur. Alia igitur eſt ſeruitus erga Deum, quæ adoratio proprie dicitur: & alia eſt erga creaturas, quæ proprie ueneratio nuncupatur. Dico autem adorationis nomen proprie Deo conuenire: quia improprie etiam erga creaturas quandoque à diuerſis ſumitur loco uenerationis. vti habetur Geneſis 18. Apparuerunt Abrahæ tres uiri ſtantes prope eum. Quos cum uidiſſet; cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui: & adorauit in terra. Quamuis aliqui uelint, quòd Deum adorauerit ſub figura illorum trium Angelorum ſanctiſsimam Trinitatem repræſentantium. Et 19. Loth cum duos Angelos uidiſſet; ſurrexit, & iuit obuiam eis: adorauitq; pronus in terram. Et 27. Iſaac benedicens filio ſuo Iacob ait. Seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Et 33. Ipſe Iacob ſepties adorauit fratrem ſuum Eſau, & uxores ipſius cum filijs. Item 37. Ioſeph narrans ſomnium ſuum fratribus ait. Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, ueſtroſq; manipulos circunſtantes adorare manipulum meum. Et poſt paululum. Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & Stellas undecim adorare me. Quæ omnia ſignificabant parentes, & fratres ſe adoraturos, ſicuti in Aegypto factum poſtea eſt, &c. Et 49. Iacob filijs ſuis futura prædicens ait. Iuda te laudabunt fratres tui. Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui. Et Ioſue quinto, Angelum adorauit. Quamuis poſſet intelligi, quòd

Grego. Nazian.

Auguſt.

Gen. 18.

Gen. 19.

Gen. 27.

Gen. 33.

Gen. 37.

Gen. 49.

Ioſue. 5.

quòd adorauerit adoratione latriæ Deum: qui in persona Angeli ei apparuerat, & locutus fuerat, sicuti & Abraham. Et primi Regum 24. Dauid clamans post tergum Saul dicebat. Domine mi rex, & respexit Saul post se, & inclinans se Dauid pronus in terram adorauit. Item 25. Abigail cum uidisset Dauid; festinauit, & descendit de asino, & procidit coràm Dauid super faciem suam: & adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius. Item in fine huius cap. Item 2. Reg. 9. Mephiboseth filius Ionathan bis adorauit Dauid. Item 3. Reg. 1. cap. Bethsabee inclinauit se, & adorauit Dauid Regem. Et 1. Paralip. 21. Ornan adorauit Dauid pronus in terram. Item omnis Ecclesia adorauit Dominum, & deinde Regem. Ecce igitur, quomodo nomen adorationis soli Deo proprie sit impositum, & creaturis improprie attributum, uel communicatum. Nec alicui hoc uideatur esse absurdum. Cum enim nomen Deitatis, quæ creaturis est incommunicabilis, quemadmodum in superiori ostensum est articulo, sit hoc ipsum etiam creaturis aliquid diuinum per quandam similitudinem participantibus communicatum; quare seruitus, & reuerentia, quæ creaturis debetur, adorationis nomine nuncupari non potest? cum & ipsa, per similitudinem, seruitutem, reuerentiamq; Deo exhibendam participet: eo maxime, cum Sanctorum honor in Dei recognitionem, honoremq; uertatur, uti superius dictum est. Ideo & Hieronym. ad Riparium epistola 11. Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum, cuius sunt martyres, adoremus. Honoramus seruos, ut honor seruorum redundet ad Dominum. Item Damascenus lib. quarto, cap. sexto. Honor, qui exhibetur benignis, gratisq; conseruis, beneuolentiæ apud communem Dominum indicium est. Et Augustinus de ciuitate Dei libro octauo, cap. 10. Honoramus sanè memorias eorum, tanquam Sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro ueritate certarunt: ut innotesceret uera religio, falsis religionibus uictis. Item contra Faustum libro 20. cap. vigesimo primo. Populus Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen, ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamuis in memorias martyrum, constituamus altaria. Quapropter

[Margin notes: 1. Reg. 24. | 1. Reg. 25. | 2. Reg. 9. | 3. Reg. 1. | 1 Paral. 21. | 1. Paral. 29 | Hieron. | Damas. | August.]

pter & Dauid aiebat in psal. Laudate Dominum in Sanctis eius. Ne autem ex uocabulorum confusione, & indifferentia, quod Dei est, tribuatur creaturæ; & ne suæ malitiæ uelamen habeat perfidia hæreticorum; sacri Doctores nomini adorationis soli Deo exhibendæ, nomen latriæ pro differentia addiderunt: quod idem est Græce, quod Latine seruitus, quæ soli Deo debetur. Nomini uero adorationis exhibendæ creaturis, quæ proprie ueneratio dicitur, duliæ nomen pro differentia apposuerunt: quod idem est, uti superius dictum est, quod seruitus Latine, quæ solis creaturis debetur. Quæ tamen à pluribus, ad remouendam omnem errandi occasionem, uenerationis potius nomine, quàm adorationis duliæ nuncupatur. Si quis autem hanc Sanctorum uenerationem duliæ adorationem nominabit, non peccabit: dummodo cultus diuinus, nec Sanctis, neque aliis creaturis tribuatur. Et utinam hoc à multis non fieret: de quibus bene dicebat Augustinus in 10. de ciuitate Dei. Multa de cultu diuino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera. Et Epiphanius contra hæres. pagina 507. Non conuenit colere Sanctos ultra decorum, sed honorare ipsorum Dominum. Circa duliæ adorationem unum etiam est animaduertendum. Cum inter Sanctos tali ueneratione dignos, aliquos Deo coniunctissimos superexcellentem Dei fruitionem participare comprehendimus, sicuti est beata Virgo; hanc erga tales magis Deo gratos seruitutem exhibendam, sacri Doctores nuncupant hyperduliam, id est excellentiorem uenerationem: de qua cum alijs in sequenti articulo mentionem faciemus. His itaque habitis, quilibet coniicere potest, adorationis nomen ab inuocatione aliud esse: nec non & quotuplex. Confundatur ergo Annas Burgensis, & non confundantur scripturæ ab ipso confuse, & absq; proposito citatæ.

psal. 150.

August.

Epipha.

NE quis autem circa hunc triplicem adorandi modum ambiguus remaneat; particularem ſuper his ſermonem facere decreui: ut unuſquiſque Deum, & Sanctos omnes conuenienti adoratione (ut par eſt) honorare, uenerariq; poſsit. Ex moralibus enim philoſophis triplicem uirtutum gradum diuerſis conuenientem reperimus, politicarum, heroicarum, & diuinarum. Politicæ ſunt, quæ hominem in ſufficienti ſtatus perfectione conſtituunt. Heroicæ uero, quæ hominem ad eminentem, uel excellētem ſtatum perfectionis extollunt. Diuinæ autem ſunt, quæ ſoli Deo tribuuntur: quarum nulla creatura capax eſſe cognoſcitur. Et quoniam honor uirtutis eſt præmium; ideo ſicut uirtus in hoc triplici gradu ſtatuitur, ita & honoris tres gradus meritò illi correſpondent: quos Theologi noſtri nomine duliæ, & hyperduliæ, atq; latriæ nominarunt. Honor enim duliæ, qui politicæ uirtuti correſpondet, reuerentia dicitur: quæ ſoli creaturæ rationali, ratione alicuius uirtutis in ea repertę, uel etiam ſuperioritatis, exhibetur: maiori autem uel minori modo, ſecundum quòd maior, uel minor in ipſis uirtus fuit. Et iſte honor duliæ omnibus exhibetur Sanctis, maior, uel minor, ſecundum quòd maiora, aut minora eorum merita coràm Deo eſſe creduntur. Magis enim Apoſtolos, quàm martyres, & hos plus quàm confeſſores reueremur, & ueneramur. Eſt enim in hoc honorandi modo latiſsima latitudo: adeo quòd homines, etiam pro præſenti ſtatu, duliæ honore honorantur, & uenerantur: ſecundum tamen quòd diſpoſiti inueniuntur in uirtute. Hyperduliæ uero honor, qui heroicæ uirtuti correſpondet, excellentiam quandam importat: quæ ideo non niſi excellenti debetur uirtuti, quæ ſcilicet uirtus propter excellentiæ ſuæ culmen homines quaſi diuinos efficit, Deiformesq; conſtituit: qui purgati à paſsionibus animi certo eſſe creduntur. Hic autem hyperduliæ honor, id eſt ſuper duliæ gradum, ſolis ſupremis Sanctis conuenienter tribuitur: utpotè quorum ſuprema, & excellentia merita coràm Deo eſſe creduntur. Et ſicut in duliæ gradu latitudinem conſtituimus; ita eandem in hyperdulia collocamus. Primò credimus, beatam Virginem Mariam, ob ipſius merita, & uirtutes apud Deum ſupremam exiſtere.

exiſtere. Deinde Ioan. Baptiſtam, & Apoſtolorum principes, Petrum, & Paulum, nec non & Ioan. Euangeliſt. Chriſti dilectum. cui Dionyſius animi purgati uirtutes aſcribit, hoc honore dignos eſſe credimus, atque putamus. Multis etiam alijs uiris ſanctis in patria coràm Deo exiſtentibus, hic honor fortè exhiberi poſſet: ſed quoniam eorum merita nobis ſunt ignota; hoc pariter nobis eſt abſconditum. Honor aũt latriæ, qui diuinę correſpondet uirtuti; ſoli Deo eſt exhibendus: qui & Theoſebia, hoc eſt diuinus cultus appellatur. Et iſte eſt, de quo habetur Deut. 6. &. 10. & Matth. 4. Dominum Deum tuum timebis: & illi ſoli ſeruies. Quem ſi rurſus interius inſpexerimus, nonnullã fortaſsis latitudinem continere uidebimus. Cum enim Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus una ſint eſſentia, una uirtus, una poteſtas; unica etiam tali ſeruitute, atque honore in una Deitate ſunt adorandi. Synodus. 5. uniuerſalis, ſecunda Conſtantinopolitana, cap. 1. Si quis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus ſancti unam naturam, ſiue eſſentiam, unam uirtutem, & poteſtatẽ, Trinitatem conſubſtantialem, unam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs, ſiue perſonis adorandam; talis anathema ſit. Et ratio eſt: quia quamuis in Trinitate tres ſint, quæ honorantur, perſonæ; attamen non niſi una eſt honoris cauſa: qua ſi quis honorat Patrem, honorat & Filium, & Spiritum ſanctum, & è conuerſo. Quod expreſse Chriſtus apud Ioan. 5. oſtendit dicens. Pater omne iudicium dedit Filio: ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium; non honorificat Patrem, &c. ex conſequenti neque Spiritum ſanctum. Super quibus uerbis ait Chryſoſt. Qui Filium non honorat, ut Patrem, totum confundit. Et Auguſt. Sed qui ſi inueniuntur, qui Patrem honorificant, & non honorificant Filium, non poteſt fieri. Dulię etiam adoratione ipſa Trinitas in eſſentia, ratione tamen alia, eſt adoranda: ita tamen quòd hæc ab alia, ſcilicet latriæ, nullo modo ſit aliena. Et hoc nemini abſonum ueritati eſſe uideatur. Nam Deo latrię honor propter Deitatem, & duliæ reuerentia proptet dominium, quo gubernat creaturas, debetur. Ideo & Gloſſa ſuper illud. Domine Deus in te ſperaui, Domine omnium per potentiam, cui debetur dulia. Deus omnium per creationem, cui debetur latria. Qui tamen honores, unica adoratione Deo præſtantur, ſiue offeruntur. Similiter & Chriſtus unica adoratione latria, & dulia, alia & alia ratione, eſt

Dionyſ. Areopag.

Deut. 6. & 10. Matth. 4.

Conciliũ 5. Cõſ. 2.

Ioan. 5.

Chriſoſt. Auguſt.

Gloſ.

ne, est honorandus. per se enim, inquantum est Dei Patris Verbum, latria est adorandus, ratione supradictorum: quia Filio, sicuti Patri, unus debetur honor. Per aliud autem, id est ratione humanitatis ipsi uerbo coniunctæ, dulia debet honorari.
Concil. 5. Const. 2. Ad cuius corroborationem habetur apud Concil. 2. Constantinopolitanum, uniuersale. 5. cap. 9. Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duę adorationes introducuntur se motim Dei uerbo, & semotim homini. Aut si quis ad peremtam carnis, aut in confusionem Deitatis, & humanitatis, unam naturam, siue essentiam conuenientium portentuose dicit, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum eius carne adorat, iuxta quòd sanctę Dei Ecclesiæ ab initio traditum est; talis anathema sit. Sed è conuerso humanitas in Christo per se, id est secundum se considerata, plena tamen omni gratiarum perfectione, hyperdulia est honoranda. ratione uerò Verbi, cui est unita; latria pariter est adoranda: cum ipsius adoratio nil aliud sit, quàm incarnatum adorare
Damasc. Verbum. Vnde Damascenus in lib. 3. Adoratur autem caro Christi in incarnato uerbo Deo, non propter seipsam, sed propter unitum ei secundum hypostasim Verbum Dei. Sicuti enim Imperatoris uestem adorare nil aliud est, quàm ipsum Imperatorem uestitum honorare; ita Christi humanitatem adorando, ipsum Verbum incarnatum honoramus: cui proprie latria
Glo. conuenit. Vnde Glos. super illud psal. Adorate scabellum pedum eius ait. Qui adorat corpus Christi, non terram intuetur, sed illum potius, cuius scabellum est: cuius in honore scabellum adorat. Sanctissimo quoque altaris sacramento latriæ cultus pariter est exhibendus, utpotè corpus Christi realitercótinéti. Similiter, & cuilibet cruci, imaginiq;, & ceteris omnibus, quæ Christi fuerunt, talis honor est præstandus. Quomodo aũt, inferius in sermone de imaginibus hoc ipsum demonstrabitur.

De esse imaginum. Art. IIII.

AD alium articulum, An fas sit signa, & imagines in téplis Christianorũ habere? Respondet Annas Burgensis dicés, *Id non modo fas non esse sed dilucide, & nominatim tanquã impiam idololatriam in literis sanctis uetitum esse. Cuius rei testimonium habetis, primum Deut. 4. ubi sic scriptum est. Cauendum autem uobis est diligenter, si uestram*

ſtram ſalutem amatis, ne, cum nullius rei ſpeciem uideritis, quo die uos Dominus Deus ueſter in Horeb allocutus eſt de medio igne, in tantam peruerſitatem ueniatis, ut illius omnino figuratæ rei ſimulacrum faciatis, ſiue maris ſimilitudine, ſiue feminæ. Idem apud Eſaiam ſcriptum eſt. 42. Exod. 34. 2. Ioſue. 24. ſcriptum eſt. Non procumbes coràm alio Deo, &c. Nullum Deum fuſilem facies. Quinetiam in decalogo Exod. 20. Nullius rei tibi ſculptile facies. Item Eſaiæ. 40. ſcriptum eſt. Cui Deum aſſimilabitis? aut quã cũ eo ſimilitudinẽ comparabitis? ſimulacrum conflat opifex, idq́; auro ducit fictor, et argenti bracteis fabrefacit. Cui me uerò comparabitis, ut æquiparer? Inquit Dominus. Attollite in ſublime ueſtros oculos. Item Sap. 15. Nemo Deum ſimilem ſui poterit pingere. quinetiam homo melior eſt imagine. Videte præterea quemadmodum Deus execretur eos, qui imagines faciunt. Deut. 11. 17. Pſal. 34. & 3. Hieremiæ. 10. Item præcepta extant de imaginibus euertendis Deut. 7. 12. Exo. 34. Euertetis aras illorum-ſtatuas deijcietis, imagines cõburetis. Videte quãta mala propter imagines orta ſint Sap. 14. Rom. 1. Nam illis omnibus in locis agitur de imaginibus factis ad effingendam Dei ſimilitudinem. Vt Eſaiæ 46. Cui me aſſimilaſtis? facitis Deum lapideũ, qui neque ſe loco mouere poteſt, neq; ea, quæ petuntur, exaudire, aut uos conſeruare. Cum igitur hoc à Deo non modo non mandatum, ſed etiam prohibitum ſit, ſitq́; ab hominibus excogitatum, et inſtitutum; imitemur exemplum Ezechiæ. 1. Regum. 8. &c. Item Ioſuæ. 2. Gen. Item Ioſiæ. 2. Regum. 23. quorum omnium imperio, & edicto imagines diſiectæ, et euerſæ ſunt: et alacri, atq; erecto animo remotis omnibus ſignis, atq; imaginibus Deum noſtrũ inuocemus, eiuſmodique ſuperſtitionem, atque Idololatriam à Chriſtianis hominibus funditus. tollendam eſſe fateamur, quam breui, ut ſpero, Deus immortalis extinguet. Initium enim omnis idololatriæ natum eſt ex imaginum inſtitutis: quæ ſanè ad ſcandalum, & perniciem hominum factæ ſunt, ut eſſent tanquam laquei, quibus imperitorum pedes caperentur, & corruerent. Qua de cauſa nullum eis cultus, aut honoris genus tribuendum eſt, immo ne tolerandæ quidem ſunt in Chriſtianorum templis, & eccleſijs, in quibus Chriſtiani ad audiendum Dei uerbum conueniunt, ſed funditus tolli, & euerti: quemadmodum in ſecundo præcepto decalogi mandatum eſt. dum tamen ne priuati cuiuſquam arbitrio id fiat: ſed Magiſtratus imperio, atque auctoritate. Lignum enim crucis, & patibulorum, ubi iuſtitia exercetur, à Deo benedictum eſt, ſed & imago hominis manu facta, & is, qui eius eſt fictor, atque artifex, maledicitur à Domino. Quapropter ab imaginibus nos abſtinere oportet.

O nequam, & peruerſe, quis te ſcripturarum euerſorem inſtituit? Nonne tu ipſe docebas, nemini licere, cuiuſcunque

dignitatis, uel conditionis fuerit scripturas canonicas mutare? cur igitur tu itidem non obseruas illas fideliter de uerbo ad uerbum citando? Quis te iudicem creauit, imaginum ueneratores tanquam idololatras condemnando? Quis te ad concionandũ misit, dicente Apost. Quomodo uerò prædicabunt, nisi mittantur? ut omnibus persuadeas Ezechielis, aliorumq; exemplo imagines remoueri, tolli, atque funditus subuerti debere? Quis te Prophetam dedit, ut affirmes, & speres, breui Deum immortalem imagines ipsas prorsus extincturum? O inueterate dierum malorum, nunc peccata tua, iniquitates tuæ, scelera tua nefandissima: uenerunt quorum causa dignam pariter luisti pœnam. Putas me ò Anna, nostram catholicam Ecclesiam, iam diu non solum illas, quas tu citasti, sed per plures alias similes, apud sacram scripturam uidisse, & legisse auctoritates? quas melius te Spiritu sancto operante, intellexit, itaque percepit, illasque ad unguem obseruauit: & nihilominus in Ecclesijs Sanctorum imagines construi permisit, atque permittit: & sacris illis scripturis non contrafacit. Quomodo autem? Non tibi, quemadmodum nec alijs tui similibus scripturas, & sacra Dei mysteria noscere datum est, iuxta prouerbium illud. Non omnibus concessum est ire Corinthum. Sicuti enim huius hæresis inuentores, atque sui sequaces, ob peruersam scripturarum intelligentiam, in hunc inciderunt errorem; pari modo & tu. Quis autem huius erroris primus fuerit auctor, uix inueniri potest. Nonnulli asserunt originem duxisse à quodam Felice, à quo Feliciana hæresis est nuncupara: quæ (ut ait Platina in uita Adriani Papæ, huius nominis primi) in Concilio Franconiensi, Theophilacio, & Stephano Episcopis, ipsius Adriani Pontificis legatis existentibus, est abrogata. Quis uero iste Felix fuerit, & quo tempore; nusquam aperte reperitur: nisi fortassis esset ille Rauennas Archiepiscopus, qui (ut ait Platina in uita Constantini Papæ huius nominis primi) fuit à Iustiniano secundo Imperatore ob hæresim in Pontum relegatus. Anno Domini. 710. (quo etiã tempore per Theodorũ Patritium suũ, Rauennam obsederat ipse Iustinianus) & postea ab hæresi discedens, sub Theodosio Imperatore huius nominis tertio, iterum fuit liberatus, & in patriam est reuersus: atq; sedẽ, unde pulsus fuerat, recuperauit. Sed is esse non potest: cum multo tempore ante hæresis ista fuerit suscitata: uti inferius ostendetur. Alij autem

Rom. 10.

Inquisitio huius hæresis auctoris 1. Aliqui hoc impo nunt Feli ci, à quo Feliciana hæresis. Hunc aũt Felicẽ nõ nulli uolunt Rauen. Archiepisco pum fuisse.

aũt uolunt alium fuisse Felicem, natione Hispanũ, Vrgelitanensem Episcopum, Nestorij ueneno imbutum: qui cum Eliphandi Toletanę urbis Episcopi auxilio unam Hispaniarum partem semine suo nefandissimo, atque pestifero infecisset, Galliæ, Germanięque (quantum in illo fuit) idem ueneni poculum, propinare curauit: sed Diuina adminiculante gratia, nullum apud Gallos, Germanosque eius error inuenire quiuit locum. A quo hæresim hanc initium traxisse, etiam est impossibile: cum is multo post uitæ suæ dies pessime consumpserit. Fuit enim tempore Ioan. Papæ, huius nominis octaui, & Caroli Imperatoris secundi, qui anno Domini. 876. Imperium obtinuit: cuius iussu milites Christi inuictissimis armis muniti, adhibita etiam sanctæ Ecclesiæ auctoritate, huius Felicis uesanam doctrinam propulsauerunt, eundemque Felicem Damnauerunt: immo cum auctore sui erroris Nestorio, quem imitatus fuerat, perpetuo anathemati manciparunt. Ideo alij dicunt ab alio Felice Ecclesiæ Constantinopolitanæ clerico, originem duxisse. Alij uerò uolunt sub Anastasio Imperatore, qui regnare incœpit Anno Domini. 493. hanc pestem initium habuisse: quia is ipse Imperator multos in exilium misit catholicos, diuersosque afflixit fideles, nec Papæ, nec Constantinopolitano Patriarchæ uoluit obedire. De quo Gregorius in lib. Dial. mentionem facit. Aliqui demum uolunt, primum fuisse auctorem, ex zelo tamen, Seruium Episcopum Massiliensem, tempore Diui Gregorij. quod etiam uidetur impossibile: cum plerique alij ante ipsum huius opinionis extiterint: uti demonstrabitur. Verum sit quomodocumque: hoc unum certum esse habemus, hanc hæresim iam Diu ortam fuisse. Ideo prætermissa huius hęresis auctoris inuestigatione, ipsius saltem fautores ab Ecclesia catholica propterea damnatos describemus. Inuenitur Episcopus quidam Cyprus nomine Epiphanius aliàs catholicus, qui in fine cuiusdam epistolę ad Ioan. Episcopum Hierosolimitanum, qui fuit, ni fallor, circa annũ Domini. 518. scriptæ, dixit, se scidisse uelum quoddam, quod pendere uidebatur in foribus cuiusdam Ecclesiæ. scidit autem illud, eo quòd uel Christi, aut alicuius hominis sancti imaginem habuerit: non enim cum hæc scribebat, cuius fuerit imago meminit. Sed dicebat contra scripturarum auctoritatem esse, in Ecclesia Christi imagines pendere. Idem sentiebat quidam Episcopus Massiliensis,

Alij uero asserunt Vrgelitanensem Episcopũ fuisse.

Alij autẽ hoc ipsũ tribuunt cuidã Felici Clerico Constantinopolit.

Alij uerò affirmãt, originem habuisse sub Anastasio Imperato.

Aliqui demum hoc impingũt Seruio Episcopo Massil.

Descriptio fautorum.

Epiphan. Cyprus Episcopus unus ex primiori. fauto.

Seruius

Episcopus Massilien. alius fa u. Gratianus Gregor.

liensis nomine Seruius, de quo superius facta est mentio: qui aliquando imagines confregit timens, ne à populo adorarentur, Vt Gratianus refert de consecrat. distinct. 3. cap. Perlatum. Quem beatus Gregorius per epistolam redarguit: quòd ex inconsiderato zelo Sanctorum imagines adorari prohibuerit, atque confregerit: ut habetur in nono lib. registri sui, epistol a 109. Verum etsi hi duo Episcopi, ita senserint, non tamen hac de causa de hæresi sunt notati: cum res ista tunc temporis adeo non fuerit aperta: nec de illa (quod sciam) unquam Ecclesia, illo tempore, quicquam definierit. quapropter liberum tunc eis erat, citra hæresis notam, ita sentire. Deinde

Excusatio horũ duorum Episcoporum ab hæresi.

Philip. Imperator, maximus imaginum destructor.

Anno Domini. 712. Philippus Chersone exulans in Ponto ab exercitu Imperator electus, Iustinianum Imperatorem secundum cum filio suo Tiberio interemit. Et Cyro Patriarcha in Pontum relegato, ex eo quòd bene sentiret cum Romano Pontifice, in eius locum Ioannem monachum hæresiarcham suffecit: atque Sanctorum imagines è sanctæ Sophiæ parietibus, ignominiæ causa, abradi fecit. Quem Constantinus Papa huius nominis primus, cum eodem Ioan. monacho, habita Synodo, propterea reprobauit, atque damnauit. Qui Dei iudicio (uti merebatur) post annum cum dimidio ab Anastasio secundo Imperio, & oculis fuit priuatus. Deinde Anastasio à militibus ab Imperio deiecto, Theodosius huius nominis tertius, qui Anno Domini. 717. in eius locum est suffectus, tanquam uerus Imperator, atque Princeps catholicus, statim Sanctorum imagines à Philippo demolitas, pristino in loco restitui mandauit. Sed anno uix elapso, ipso Theodosio ab Imperio per Leonem deposito (qui tamen sacerdos effectus, reliquum uitæ suæ tempus priuata quiete peregit) Leo huius nominis tertius, Imperator electus Anno uidelicet. 718. Contra Pontificem Romanum Gregorium secundum mox insidias parauit, bellumq; disposuit. Sed cum aperte in Pontificem inuehi non posset, edictum proponit, Anno. 728. Vt omnes, qui sub Imperio Romano essent, Sanctorum omnium martyrum, & Angelorum statuas, atque imagines è templis abraderent, & auferrent: tollendæ (ut ipse dicebat) idololatrię causa. Qui uerò secus fecisset; eum pro hoste publico se habiturum. Gregorius autem tantæ impietati non modo non obtemperat; uerum etiam omnes catholicos admonet, ne in tantum

Condemnatio Philip. per Cõstãti. Põt.

Priuatio Philip. ab Imperio, & oculis.

Leo Imp. 3. pariter Iconomachus.

Gregor. Pap. 2.

tantum errorem timore, uel edicto Principis ullo modo dilabantur. Qua cohortatione adeo certe animati ſunt Italiæ populi; ut paululum abfuerit, quin ſibi alium Imperatorem deligerent. Quo minus autem id fieret, auctoritate ſua obſtare Gregorius annixus eſt. Cum uero ipſe Imperator à ſuo propoſito nefandiſsimo non deſiſteret, & imagines ipſas ſanctas iam è ſacris ædibus abraſiſſet, & ſtatuas Sanctorum demolitus eſſet, quodque etiam de homouſio male ſentiret; iam mortuo Gregorio ſecundo Pontifice Romano, Gregorius tertius ſtatim ubi Pontificatum inijt, Synodo Romæ congregata Epiſcoporum propè mille (uti ait Euſeb.) omnium conſenſu eundem Leonem tertium Imperatorem Conſtantinopolitanum Imperio ſimul, & comunione fidelium priuauit. Tandem Leone defuncto, ipſius filius Conſtantinus huius nominis quintus loco patris Imperij curam, Anno Domini. 742. ſuſcepit: quod 35. annis peſsime rexit. Nam poſt paululum omni ſcelere imbutus, magus, & ſacrilegus Chriſtianos perſequi cœpit: & tandem ad inſtar patris Sanctorum imagines deponi, abolerique iuſsit. Et Conſtantinum regię urbis Epiſcopum ſuę impietati reſiſtentem uerberibus necauit: in cuius locum Nicetum ſpadonem ſui ſacrilegij conſcium ſuffecit. Quapropter Roma. Pontifex Paulus huius nominis primus, ex omni parte Chriſtianę religioni conſulens, nuntios Conſtantinopolim mittit, qui Imperatorem adhortarentur, ut ſacras imagines, & ſtatuas reſtitueret: id ſi facere recuſaret; eidem anathematis cenſuram minarentur. Sed Conſtantinus in ſacrilegio ſuo pertinax, & ſanas admonitiones contemnens, Sabinum Bulgarorum regem in demoliendis ſacris imaginibus eius impietatem imitatum, in gratiam recepit: cum antea bello Bulgaros perſecutus fuiſſet. Aſcito deinde Leone filio eius huius nominis quarto in partem Imperij, cui Irenem Athenienſem mulierum omnium pulcherrimam in matrimonium collocauerat, fœdus cum Saracenis inijt, ſtomachum Orthodoxis Chriſtianis facturus. tandem Elephantiæ morbo correptus, moriens Leonem quartum filium ſuum ſupradictum, Anno. 777. Imperatorem reliquit. Qui patris ſui ueſtigia ſequens, huic adheſit hæreſi, & multis in ciuitate Conſtantinopolitana congregatis hæreticis, Conciliabulum celebrauit: in quo; Photio hæretico

Leo. Imp. ĩpietati ſe opponit.

Leo tert. Imperio, & communiõe à Gregorio Pap. tertio priuatur, Cõci. Ro.

Leo. mortuo Cõſt. filius à patris impietate nõ degenerat.

Pau. Pa. 1. per nuncios Imp. Conſtant. hortatur, ut à uijs ſuis peſsimis recedere uelit.

Conſtantinus Impera. Bulga. Reg. ſuum olim inimicum, ꝙ factus Iconomachus erat, in gratiã recepit.

Leo 4. ueſtigia p̃ris eſt ſequutus.

Conciliabulũ Constantin. in quo imagines sunt damnatę. Adrianus Pa. I.

hæretico præsidente, imagines inter alia damnatę sunt: uti habetur in sexta actione Synodi septimæ, Nicænę uidelicet secundæ, eidem hæc ipsa per Gregorium Episcopum, qui tunc ad meliorem uitam fuerat conuersus, relata. Vnde factum est, ut totus Orientalium partium populus in errorem istum sit elapsus: sicuti scribit etiam Adrianus Papa huius nominis primus, ad Imperatorem Constantinum sextum, & matrē eius. qui ideo Ichonomachi, idest imaginum impugnatores, uel Iconoclastæ, id est destructores imaginum, appellabantur. Qui etiam in huius peruersitatis corroborationem, aliud isdem ferè temporibus, in Ephesina ciuitate contra imagines celebrarunt Conciliabulum: in quo imagines pariter fuerant damnatæ: uti habetur ex prima actione septimæ Synodi, Nicęnæ secundæ. Vbi ostenditur, quomodo tres Episcopi resipiscentes eodē ex Conciliabulo ad Nicænum uenerint Concilium: cui suæ confessionis libros attulere. quorũ primus fuit Basilius Ancyræ Episcopus, secundus Theodorus Cyrus Episcopus Myron. & tertius Theodosius Episcopus Amorij. Leo tandem quinto imperij sui anno peracto, subito interijt morbo. Quo mortuo, Irene eius uxor, & filius Constantinus huius nominis Sextus, Imperij regimen accipientes, imaginum causam tractari mandarunt, & ad Adrianum Roma. Pontificem literas miserunt: quibus eum rogarunt, ut Legatos ad Concilium celebrādum designaret: uti habetur in epistola Nicolai primi Rom. Pontificis, qui fuit anno Domini 859. Ad Michaelem Orientalium partium Imperatorem huius nominis quartum, per Rhodaldum, & Zachariam olim Episcopos transmissa: de qua pariter fit mentio in quarta actione octauæ Synodi, quartæ uidelicet Constantinopolitanæ. Quod etiam ex literis ipsiusmet Adriani ad Constantinum, & Irenem eius matrem scriptis, conijci potest: præcipue ubi ait. Postea quam enim, quæ à uestra Serenitate, & Pietate nobis missa sunt, cognouimus; dici non potest, quantopere cor nostrum gauisum sit: tanto enim gaudio, & lætitia repleti sumus, ut ne humana quidem lingua explicare ea sufficiat. Quemadmodum enim à superioribus hæreseos schismatibus eramus conterrefacti; ita nunc rursum per uestram iussionem exultatione sumus perfusi. Nam in regia uestra Ciuitate, uenerandarum imaginum causam iussistis tractari: quæ à retro Imperatoribus turpiter

Conciliabulũ Ephesinum, pariter contra Sanctorum imagines celebratum.

Leone mortuo Irene uxor eius, & Cōstāt. filius, Imperij regimen accipiētes imaginũ causā tractari mādant: & ad Pont. Rom. pro Concilio celebrādo literas mittunt.

piter in eas commiſſa eſt, &c. Deinde Imperatorem ipſum, & matrem ipſius Irenem ſuper his laudando, Magno Conſtantino, & matri ipſius Helenæ utrunque aſsimilauit, &c. Et ut tandem Concilij negocium pro extirpandis iſtis hæreſibus executioni mandaretur; duos magni nominis hac de re deſtinauit Legatos, Petrum Cardinalem, & alterum Petrum Sanctæ Sabæ Abbatem. Quibus Apoſtolicæ ſedis Legatis exiſtentibus, præſente Taraſio Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, celebratum eſt hoc Concilium Anno 781. in Nicæna ciuitate à 350. Epiſcopis, ac multis alijs patribus: à quibus unanimi omnium conſenſu imaginum ueneratio eſt confirmata, non quidem ratione proprie ſubſtantiæ (quod eſſet idololatria) ſed hunc cultum ad prototypum (uti ſuperius etiã oſtenſum eſt) ultimò referendum ſtatuerunt. Sunt præterea nonnulli, qui dicunt, eundem Adrianum, paulo ante Synodum Nicænam, ad hanc hæreſim extirpandam aliam contra hęreſim Felicianam Romæ Synodum celebraſſe, de qua meminit Gratianus, diſt. 63. cap. Adrianus. Alij uero aſſerunt, hanc ipſam Franconiæ fuiſſe habitam, uti ex Platina dictum eſt ſuperius, ad abolendam hanc ipſam Felicianam hæreſim: quam profectò putarem aliam ſectam fuiſſe ab Iconomachis. Quamuis enim cum Iconomachis conuenirent Feliciani in contemnendis imaginibus; attamen alias Feliciani habebant hæreſes, ab Iconomachis diſtinctas: uidelicet quòd Chriſtus filius Dei eſſet adoptiuus. Et in ipſo Chriſto duas ponebant hypoſtaſes. quibus hæreſibus Iconomachi non adherebant. Verũ ſit quomodocunque: hoc unum certum eſt, contra iſtas hæreſes per Adrianum ipſum Pontificem tum in Orientalibus, tum in Occidentalibus partibus optimum, & ſaluberrimum datum fuiſſe remedium. Sed non tantum eius prouiſio proficere potuit, quin illius peſtis ſemen adhuc perſeuerauerit. Nam Anno Domini 870. cum octaua celebraretur Synodus, quarta Conſtantinopolitana, ſub Adriano Papa huius nominis ſecundo, & Baſilio Imperatore, ad Photium hæreticum deponendum, & Ignatium uerum Patriarcham Conſtantinopolitanum reſtituendum, ad hanc ſanctam Synodum aliqui ſacerdotes Iconomachi (uti habetur in 8. actione ipſius Synodi) uenerunt, & monitis ſanctæ Synodi, & Imperatoris conuerſi, recepti ſunt cum ſola manus impoſitione. Poſtremo Stephanus unus ex legatis Apoſto-

Concil. Nicę. 2. in quo omniũ patrũ cõſenſu imaginũ ueneratio eſt confirmata.

Rom. Syno. cõtra Felic. hęr. Franc. Synod. pariter cõtra Felic. hæreſ.

Concil. 8. in quo nõnulli ſacerdotes Iconomachi ad pœnitentiam ſunt conuerſi.

Stephan⁹ unus ex legatis, oës Iconomachos anathematizauit. Adrian. Pont. eosdē Iconomachos pariter anathematizauit.

Apostolicis è suggestu Iconomachos, & Photium sub hac forma anathematizauit. Concilio, quod adhuc fremit contra uenerabiles imagines, anathema. Item his, qui sumunt diuinæ scripturæ dicta, quæ sunt aduersus idola, contra uenerandas imagines, anathema. Et Adrianus Papa huius nominis secundus, in principio libelli ad Basilium Imperatorem, & Concilium istud octauum ait. Anathematizamus omnes hæreses insimul cū Iconomachis. Quod tota approbauit Synodus. Quod non factum esset, nisi quàm plurimi adhuc superfuissent Iconomachi. Deinde tempore Ioannis Papæ octaui, & Ludouici 2. Imperatoris, & Francorum regis Caroli secundi filij, qui Imperij dignitatem obtinuit Anno Domini 882. supradictus Felix Hispanus Vrbis Vrgelitanensis Episcopus, sub Carolo 2. damnatus, in quodam suo discipulo nomine Claudio, utpote (ut uerbis D. Hieronymi utar) Euphorbus in Pythagora renascitur: qui utique & si non ut pridem fidei catholicæ regulā, Ecclesiasticas tamen traditiones quàm uenenatis telis per eundem discipulum suum iaculari uisus sit, breuiter memorādum est. Nam cum idem Claudius ab Imperatore Ludouico Taurinum in Episcopum missus fuisset, inter alia quæ ibidem tanquam lupus rapax superseminauit zizania, omnes Sanctorum imagines destrui pręcepit: uti ex ipsiusmet uerbis in libello ad Theodemicū Abbatem directo positis, comprehendere quis poterit. Vbi sic legitur. Postquam, coactus suscepi sarcinam pastoralis officij, missus à pio Principe sanctæ Dei Ecclesiæ filio Ludouico, ueni in Italiam in ciuitatē Taurini, inueni omnes basilicas, contra ordinem ueritatis, sordibus anathematum, imaginibus plenas. Et quia quod homines colebant, ego destrui solus, cœpi, &c. Qui libellus à Ludouico Imperatore pijssimo, suiq; palatij prudentissimis, ac sapientissimis uiris est examinatus, & iusto iudicio repudiatus: uti habetur in libro Ionæ Aurelianensis Episcopi de cultu imaginum, Carolo Francorum regi supradicti Ludouici Imperatoris filio directo. De hoc mentionem etiam facit Iuo Carnotensis ad finem cronicarum suarum. Præterea hanc hæresim secuti sunt Vualdenses, qui Anno Domini 1163. à quodam Petro Vualdensi, Lugdunensi ciue originem duxerunt. Quam etiam Vuicleffitæ imitati fuere. Demum nonnulli alij, Thaboritæ præcipue, qui ipsorum Vualdensium sectam amplexi sunt. Et hac nostra tempe-

Claudius Taur. Episcopus Iconomachus.

Ionas Aurel. Epis. Iuo Carnotensis. Vualdenses. Vuicleffitæ. Thaboritæ.

tempeſtate quamplurimi alij huic fauentes hæreſi, è templis ipſas Dei, & Sanctorum imagines abradi, & deſtrui conati ſunt. Inter quos fuerunt Andreas Caroloſtadius, & Vlricus Zuuinglius, Ioannes Caluinus, & Lutheranorum multi, maxime commorantes in Bauaria ſuperiori: necnon, & Balthaſar quidam Hiebmair cognomine. Vltimatè hanc hæreſim Annas Burgenſis laudauit, atque apprehendit, & ſupradictis ſuis auctoritatibus ab ipſo citatis, ab aliis antea tamen adductis, in ſui damnationem hoc ipſum contra imagines corroborare, quemadmodum & ceteri, fruſtra eſt defatigatus. Et ut his impietatibus ſuis ad plenum ſatisfaciam; quatuor per articulos diſtincta obſeruare uolui. Primò, an Chriſtianis liceat imagines habere, atque conſtruere. Secundò, quænam imagines à Deo fuerint prohibitæ, & ex conſequenti à catholicis uitandæ. Tertiò, quæ, & quales ab ipſis fidelibus in Eccleſijs Dei ſint conſtruendæ. Vltimò, quonam modo ſint honorandæ. Si enim de imaginibus arguendi ſunt catholici (ut ad primum deueniamus) arguant Deum, qui tales in lege ueteri in figuram earum, quę apud nos ſunt, fieri iuſſit. Si propterea idololatræ ſunt, Chriſtus erit puniendus, qui illarum nobis tradidit exemplar. Si abradendæ, & deſtruendæ ſunt imagines de templis; opera Apoſtolorum erunt damnanda, qui ipſas nobis tradiderunt. Si Chriſtiani à deuotione imaginum ſunt dehortandi; igitur patres noſtri nos male educarunt, qui illas uenerati ſunt. Quod de ſingulis oſtendere decreui. Et primo audi Deum dicentem ad Moyſen. Exod. 25. Imagines duas Cherubin ſculptas facies obumbrantes propitiatorium. Ecce hic uides Cherub. imagines, & non in loco uulgari, ſed in propitiatorio. Præterea cum Iſraeliticus populus ob murmurationes, quas aduerſus Deum, & Moyſen habuerat, ſerpentium morſus pateretur, & Moyſes pro populo ad Deum interceſsiſſet; dixit ei Dominus, uti habetur Numeri 21. Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno. Qui percuſſus aſpexerit eum, uiuet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cum percuſsi aſpicerent; ſanabantur. Item Ezechieli præcipitur à Deo, ut impleret omnia imaginibus, & ſimilitudinibus ſculptilium, leonum, palmarum, Cherub, & hominum, atque ita templum illud oſtendit. Vnde & Salomon,

Caroloſtadius, Zuuiglius, Caluinus, Hiebmair Burgēſis.

Satisfit auctoritatibus cōtra imagines citatis.

Diuiſio reſpōſionis ī quatuor articulos.

Multipliciter probatur Sanctorū imagines apud Chriſtianos retinendas eſſe.

Et primo auctoritate ſcripturæ.

Exod. 20. Num. 21.

3. Reg. 6. & 7. uti habetur 3. Reg. sexto, & 7. cap. Ex lege formam hanc accipiens. Templum picturis uarijs, sculptilibus æreis, fusilibus imaginibus 12. boum, leonum, palmarum, Cherubin, & hominum impleuit. Neque tamen ob id à Deo reprehensus est, quin immo mirifice laudatus à Domino: cum omnia in figurã eorum, quę apud nos fiunt, facta essent. Si enim umbrã licuit pingere; quare non licebit pingere corpus? Si licuit serpentem æneum exaltare coràm populo ad idololatriam prono, ut ex illius aspectu filij Israelitici à serpentium morsibus liberarentur; cur non licebit nunc Christum in cruce exaltatum, coràm Christianis ipsi Christo fidelibus depingere, ut ex illius imaginis aspectu immẽsa beneficia generi humano per ipsum in cruce exhibita ad memoriam reducamus? Item, si Salomoni licuit 12. boues sculpere, quod de idololatria maxime apud eos erat timendũ; cur non licebit apud securos in fide, & stabiles duodecim Apostolos pingere, quorum illi duodecim boues figuram gerebant? Quod pari modo dicẽdum est & de alijs imaginibus, tunc temporis per Moysen, Ezechielem, & Salomonẽ in figuram aliarum, quæ apud nos sunt, effectis. Insuper si tibi ò Anna, & tuis similibus permissum est ueteris legis dicta, quæ sunt aduersus idola, contra uenerandas imagines temerarie, & in uestram damnationem (uti supra habetur ex secunda Synodo Nicæna) assumere; quare & nobis licitum non erit ipsius scripturæ ueteris doctrinam, quæ aduersus idola non est, uenerandas legis nouæ Sanctorum imagines figurantem amplecti? & figuram ad figuratum, umbramq; ad corpus reducere? Saluator etiam noster Iæsus Christus Veronicæ affectui pijssimo uolens complacere, imaginem uultus sui sudario ipsius impressam miraculose præstitit: quæ quanta ueneratione colatur, qui Romæ fuerunt, non ignorant. Narrat & Damasc. libro 4. cap. 16. quòd uolens benignissimus Dominus Iæsus Christus pio Abagari Regis Edissenorum satisfacere affectui, sua detersa facie, impressam sudario imaginem eidem regi transmisit. Habetur etiam ex uita Lucæ Euãgelistæ à Simeone Metaphraste, & Hieronymo de uiris illust. descripta, quòd D. Lucas ipsum etiam typum assumptæ humanitatis Iæsu Christi, ac signũ eius, quæ illum peperit; primus hic cera, & lineamentis tingens, ut adhæc usque tempora in imagine honorarentur, tradidit. Nec satis esse existimauit, nisi etiam per imaginem, ac typum

Imago Christi in Sud. Veron.

Damasc.

Simeon Metaphr. & Hier. de imag à à D Luca confectis.

typum uerſaretur cum his, quos deſiderabat, quod feruentiſsimi amoris eſt ſignum, &c. Hinc à fidelibus pro re certa tenetur, crucis Domini imaginem, quam maximo honore Traiectenſes ſupra Moſam uenerantur: & beatæ Virginis Mariæ imaginem, quæ à Bononienſibus in Diui Lucæ templo extra ciuitatem ſuper unum montium condito, maxima pariter cum reuerentia, & omnium deuotione habetur, & honoratur, utranque ab ipſo D. Luca effigiatam fuiſſe. Qui enim Bononiæ aliquan do moram traxerunt, de illa fidem facere poſſunt: quæ ſingulis annis à clero, omni populo concomitante, omniq; honore adhibito, de loco ad locum proceſsionaliter defertur ſacrum. Fertur quoq;, ac firmiſsime creditur, Euangeliſtam eundem alias ſimiles Mariæ Virginis pinxiſſe figuras, quæ & in diuerſis alijs locis, ueluti Genuæ, magna obſeruantur ueneratione. Deinde ab ipſis Apoſtolis ad hæc uſque tempora ex ipſorum traditione continuo decurſu imaginum uſus in Chriſti Eccleſia eſt ſeruatus. Quod etiam approbare uidetur Concilium uniuerſale 7. acti. 6. Vbi ex Epiphanio ſic legitur. Quod autem cum multis alijs, quæ in Eccleſia obſeruantur, ſine ſcriptura nobis imaginum ueneratio tradita ſit, ab Apoſtolorum temporibus late per hiſtorias traditũ eſt, de imagine maxime Hęmorrhoiſſæ. Vnde etiam legitur, Apoſtolorum Petri, & Pauli imagines ſtatim ab ipſorum temporibus depictas fuiſſe. Quod & magni Conſtantini Imperatoris Clementiſsimi confirmare uidetur confeſsio. Poſtquam enim piiſsimus Imperator ſuorum ſacrilegorum medicorum facinori conſentire reſpuiſſet, eadẽ tranſacta die (inquit ipſe) nocturno nobis facto ſilentio, dũ ſomni tempus adueniſſet; adſunt Apoſtoli Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus dicentes mihi. Quoniam flagitijs poſuiſti terminum, & effuſionem ſanguinis innocentis horruiſti, miſsi ſumus à Chriſto Domino Deo noſtro, dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium. Audi ergo monita noſtra, & fac quodcunque indicamus tibi, &c. Deinde exurgens Imperator à ſomno, & Silueſtro Papa ad ſe aduocato, peractiſq; his, quæ ei à ſanctiſsimis Apoſtolis pro tunc mandata fuerant, ait. Et rurſus interrogare cœpimus eundem Silueſtrum, utrum ipſorum Apoſtolorum imaginem expreſſam haberet, ut ex pictura diſceremus hoc eſſe, quod uiſio docuerat. Tunc idem uenerabilis pater imaginem eorundem Apoſtolorum per Diaconum ſuũ exhiberi præ-

Crucis imago apud Traiect.

Mariæ Virg. imago apud Bonon.

Mar. Virg. imago apud Genuen.

Ex Apoſtolorum tradit. probant Sāct. imag.

Concil. Nicæn. 2. uniuerſale 7.

Apoſtolorũ Petr. & Paul. imagines Imperat. Conſtantino porrectæ, uti ex ipſius confeſs. habetur.

cepit: quos cum aspicerem; eorumq; quos in somno uideram, figuratos in ipsis imaginibus cognouissem uultus; ingenti clamore coràm omnibus satrapis meis confessus sum, eos esse, quos in somno uideram. Et Euseb. Cæsariens. in 7. lib. hist. Ecclesiasticæ, cap. 14. de Cæsarea Philippi ciuitate sermonem faciens, sic ait. Quia vrbis huius fecimus mentionem; iustum uidetur commemorare etiam illud in ea, quod historia dignum duximus. Mulierem, quam sanguinis profluuio laborantem à Saluatore curatam Euangelia tradiderunt; huius urbis ciuem constat fuisse: domusq; eius in ea etiam nunc ostẽditur. Pro foribus uerò domus ipsius basis quædam in loco editiore collocata monstratur: in qua mulieris ipsius uelut genibus prouolutæ, palmasq; suppliciter tendentis imago ære uidetur expressa. Adstat uerò alia ex ære nihilominus fusa statua, habitu uiri stola compte circundati, & dexteram mulieri porrigentis. Huius ad pedem statuę è basi herba quędam noua specie nascitur: quæ cum exorta fuerit, excrescere usque ad stolæ illius ærei indumenti fimbriam solet. Quam cum summo uertice crescens herba contigerit, uires inde ad depellendos omnes morbos, languoresq; conquirit: ita ut quæcunque illa fuerit infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellatur: nihil omnino uiriũ gerens, si, antequam æreæ fimbrię summitatem crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuã ad similitudinem uultus Iæsu formatam tradebant: quæ permansit ad nostra usq; tẽpora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus. Et nihil mirum, si hi, qui ex gentilibus crediderant pro beneficijs, quæ à Saluatore fuerant consecuti, huiusmodi uelut munus uidebãtur offerre: cum uideamus etiam nunc Apostolorum Petri, & Pauli, & ipsius Saluatoris imagines designari, tabulasq; depingi: sed & antiquas ipsorum imagines à quibusdam conseruatas nos uidimus. Deinde ait. Insignia ueterum reseruari ad posterorum memoriam, illorum honoris, horum uero amoris indiciũ. Itẽ in hist. trip. lib. 1. ca. 41. Cassiod. ex Socrate ita asserit. Cum Iulianus Apostata Imperator cognouisset in Cæsarea Philippi ciuitate phœniciæ, quã Paneada uocabant, insigne Christi esse simulacrum, quod mulier illa sanguinis liberata profluuio cõstituerat; eo deposito suam ibi statuam collocauit. Quę uiolento igne de cælo cadente circa eius pectus diuisa est, & caput cum ceruice una parte deiectum, atque in terra fixum: reliqua uerò

Euseb. Cęsar. de statuis Christi, & mulieris fluxũ sang. pas.

Cassiod. ex Socr. uti habẽt ĩ hist. tri. miracul. contra Iulia. Apost. ob Christi imagi-

pars

pars hactenus superfuit, & fulminis indicium reseruauit. Statuā uerò Christi tunc quidem pagani trahentes confregerunt: postea uerò Christiani colligentes in Ecclesia recondiderunt: ubi hactenus reseruatur. Et in hist. Ecclesiast. li. 21. ca. 29. habetur, ꝙ apud Alexandriam crucis Dominicæ signum unusquisq; in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisq; depictum habebat. Item Aug. de consens. Euangelist. lib. 1. ca. 10. Credo, ꝙ Ethnici pluribus locis simul Petrum, & Paulum cū Christo pictos uiderant. Insuper si nullum esset ad huius rei cōfirmationem aliud argumentum, q̃ Ecclesiæ uniuersalis usus, hoc solum esset sufficiens ad ipsas amplexandas. Quod & multorū scriptorum auctoritatibus confirmare possumus. Nā Basil. Magnus in diuersis suis opusculi huius rei mentioné facit. Grego. etiā illius & carne, & spiritu frater Nissensium Præsul, in sermone in Abraham idem sentit. Item alter Greg. qui à Theologia nomen sortitus est, in uersibus à se cōditis, qui de uirtute inscribuntur, eidem assentit. Chrysost. etiam in oratione funebri in Meletium Episcopum Antiochiæ, & in sermone, qui inscribitur. Quòd ueteris, & noui Testamēti unus sit legislator. Cyril. in epist. ad Acacium Episcopū Scythopoleos. Athanasius Epus Theupoleos. Sophronius Maximus. Sed ad quid hos nominatim citauimus? Omnes .n. sancti patres nostri imagines receperunt: nobisq; ad nostram instructionem illas honorandi normā tradiderunt. Ex tripartitæ hist. lib. 2. ca. 19. etiā apparet signum uenerandæ crucis in altari positū in summa ueneratione à Christianis semper habitum fuisse. Quod etiam ex li. 9. ca. 9. ipsiusmet tripar. historiæ ostenditur. Vbi & B. Mariæ Virg. imaginē apud Christianos pariter honorificè semper habitam fuisse describitur. Pari modo & omnia quę Christi, & B. Virginis, & omnium Sanctorum fuerunt, ipsosq; tetigerunt, à Christianis omnibus, semper magna cum ueneratione habita fuere. Vnde Damasc. lib. 4. loquens de his, quæ Christum tetigerunt, ait. Pretiosum lignū, &c. ut sanctificatū tactu sancti corporis, & sanguinis decēter adorandū: clauiq;, & lancea, & indumenta, & sacra eius tabernacula, quæ sunt præsepe, spelunca, & huiusmodi. Itē Aug. de uisitatione infirmorū li. 2. ca. 3. Habent Christianorum arcana illius Dominicæ crucis, quasi quoddā uenerabile monumentum: quod de crucis ipsius imaginatione crucem cognominant. quod & nos etiam ueneratione dignissimū fatemur, & ad

nem in foribus supradictæ mulieris positam.

Eccl. hist. de crucis imagine.

Aug. de imagin. Petri, & Pauli.

Basilius.

Greg. Nis. Episcop.

Gre. Naz.

Chrysost.

Cyril.

Athanas.

Sophron.

Signum crucis ex trip. hist.

Mar. Virg. imag. ex trip. hist.

Damasc. De his, q̃ Christum tetigerūt.

August. de imagi. crucis Domini.

Chrysost. De his, q̄ Pauli fuerunt.

recordationẽ crucifixi ueneramur. Itẽ Chrysost. Homi. 8. in ca. Eph. 4. ait. Vellem nunc esse in eis locis, in quibus ista dicuntur esse Pauli uincula, & merito celebrarẽ uiros istos, qui huius erga Christum desiderij fuerunt. Cuperem uidere cathenas illas, quas quidem uerentur, & horrent Dæmones, uenerantur uerò Angeli. Et Homil. ult. in ca. Rom. 6. ait. Ego & Romam propterea diligo: tametsi & aliunde queam illam laudare, nempè à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentatu, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter gestis. sed relictis istis omnibus, ob id illam beatam prædico, quòd erga illos Romanos Paulus, dum uiueret, adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit, coràm disseruit, & postremo uitam apud eos finiuit. Item hist. Ecclesiast. li. 6. ca. 9. ait. Alexander Cappadox Episcopus, Hierosolymam adorandi, & Sanctorum locorum uidendi gratia, properauerat. Nec ab re. mirabilia .n. à Deo, tum in his, tum etiam in Sanctorum imaginibus, hominibus sunt ostensa. Et si quis aliqua scire cupit; legat histor. Ecclesiasticam Nicephori sub Leone Imperatore, pag. 600. Cum pictor quidam pingere Saluatorem secundum similitudinem Iouis præsumpsisset, arefacta est manus eius: quem peccatum suum confessum, sanauit Genadius. Et apud hist. tripar. lib. 6. cap. 5. legitur. Iulianum Apostatam crucis signo frontem signantem Dæmonem abegisse, etiam nolentem. Item anno Domini 900. quidã Comes Imperatoris Othonis, ei familiaris ante oculos omnium à Diabolo arreptus est: ita ut seipsum dentibus laniaret. hic iussu Imperatoris ad Papam Ioannem ducitur, ut cathena Sancti Petri collo eius circundaretur. Sed dum à fallacibus clericis semel, & bis alia cathena furenti adhiberetur, nec quicquam remedij proueniret, ubi nihil erat uirtutis; tandem uera Petri cathena allata est: & collo furentis circundata. tunc Diabolus spumans, & multum clamans abscessit, uirtutem ueræ cathenæ sentiens, nec ferre præualens. Et alia similia perquàm infinita describere possem: quę breuitatis causa dignum duxi esse omittenda. Quid ergo scelestissimi hæretici uenerabiles Sanctorum imagines ab Ecclesia tollere conãtur? quarum usum tantis Deus confirmauit miraculis: & Ecclesia catholica ab ipsis Apostolorum temporibus ad hanc nostrã usq; ętatem conseruauit, & per diuersa Concilia corroborauit, & ipsarum destructoses anathematizauit, condemnauit, & à

Ecclesiast. hist. de sanctorũ locis.

Hist. Ecclesi.de pictore quodam miraculum.

Hist. trip. de signo crucis miraculum.

De miraculo ostẽso ex cathe. Sancti Petri.

fidelium conſortio ſegregatos manifeſtauit. contra quorum impium dogma multi ſanctorum Doctorum nonnulla ediderunt uolumina.

De imaginibus Idolorum uitandis. Art. V.

NE uero aliquis Burgenſis nomine mihi obijciat dicens, oppoſitum oſtendere, comprobareque non eſſe rationes contrarias ſoluere; ipſius Annę obiectionibus reſpondere opus eſſe cenſui: quod, ſi conſideretur, quare, & ad quid, imagines in Eccleſia honorantur, atque obſeruantur, de facili poterit fieri. Ad cuius rei euidentiam ſciendum eſt, imagines in duplici eſſe differentia. Quædam ſunt quas, Gentiles in ſuorum Deorum conſtruebant uenerationem, qui puræ erant creaturę: quibus mediantibus quandoque à Dæmonibus reſponſa accipiebant. De quibus habetur Deut. 29. Vos enim noſtis, quomodo habitauerimus in terra Aegypti, & quomodo tranſierimus per medium nationum, quas tranſeuntes uidiſtis abominationes, & ſordes, id eſt idola eorum, lignum, & lapidem, argentum, & aurum, quæ colebant. Idem ſcriptum eſt. 4. cap. ubi ſic legitur. Seruietis Dijs, qui hominum manu fabricati ſunt: ligno, & lapidi, qui non uident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorant, &c. De quibus pariter loquebatur Baruch Propheta ultimo. Videbitis in Babylone Deos aureos, & argenteos, & lapideos Et Hieremias. 16. Seruietis Dijs alienis ligno, & lapidi. Quales autem illorum Idolorum imagines fuerint, & à quibus tali ardore honorabantur, deſcribere curabo. Nam Sennecharib Rex Aſsyriæ Idolum nomine Neſrach pro Deo ſuo habebat. 4. Reg. 19. Et Eſaiæ. 37. Et Nabuchodonoſor Rex, auream fecerat ſtatuam, quam adorare præceperat. Daniel. 3. Item & Babylonici Bel habebant Idolum, quem ipſi adorabant, & Daniel ſubuertit: templumque eius deſtruxit. Similiter & alij quàm plurimi diuerſarum creaturarum diuerſas habebant imagines, & figuras, quas tanquam Deos colebant. Tria autem creaturarum fuerunt genera, cęleſtium ſiderum, animalium rationalium, atque irrationalium, quorum imagines, ac ſimulachra ſibi tanquam Deos Gentiles aſſumebant, & adorabant. Caldæi enim, apud quos primò Abraham eſt moratus, cæleſtia ſidera, ſiue ipſorum imagines, colebant. In terra uerò Chananæorum, ad quam populus Hebræus erat acceſſurus,

Imaginũ duplex differentia.
Genus imaginum uitãdarum.
Deut. 29.
Deut. 4.
Baruch. 4.
Hiere. 16.
Qualitas imaginum idolorum.
4. Reg. 19.
Eſaiæ. 37.
Daniel. 3.
Daniel. 14
Tria gña creatura. quorũ imagi. Gẽtiles adorabãt.
Quid Caldæi adorabant.
Quid Chananæi.

accessurus, homines, tanquam Dij, uel Dij ipsorum sub humana specie colebantur. Aegyptij autem diuersorum animalium idola adorabant, cum quibus Hebræi erant habitaturi. Ideo ut populus ipse Hebræus à tali multiplici idololatria immunem se conseruaret; Deus, ne eiusmodi haberent imagines ad adorandum, eis illas prohibuit: primò in communi, secundò in speciali, sub hoc triplici imaginum genere. Exod. 20. Non habebis Deos alienos coràm me. Non facies sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum: nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Hæc enim Deus Hebræis, ne ea colerent prohibuit: non autem absolute, quin potuerint etiam statuam hominis, uel alterius creaturæ sibi absque peccato conficere: dũmodo illam non fuissent adoraturi. Hunc autem esse uerum literæ sensum; ex prioribus, & ultimis ipsius uerbis facile ostenditur. Nam primò ait. Non adorabis Deos alienos: post quæ uerba immediate sequitur prohibitio simulacrorum: qua prohibitione facta, continuo subiũgit de illis dicens. Non adorabis ea, neque coles. Itaque ex præcedentibus, & sequentibus uerbis colligimus ad hunc finẽ prohiberi simulacra, ne uidelicet pro dijs habeantur. Quod manifestius fermè habetur & Deut. 4. ubi subscripta omnia expressius describuntur, cum dicitur. Non uidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est uobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis uobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, uel feminæ, similitudinem omnium iumentorum, quæ sunt super terram, uel auium sub cælo uolantium, atque reptilium, quæ mouentur in terra: siue piscium, qui sub terra morantur in aquis (quę omnia sub genere animalium comprehenduntur) ne forte eleuatis oculis ad cælum, uideas Solem, & Lunam, & omnia astra cęli (quæ omnia sub genere cœlestium siderum reponuntur) & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quę sub cælo sunt. Ecce igitur, quomodo Deus non absolute imagines prohibuit, sed creaturarum sculptilia ad colendum ea. quod in eodem 4. cap. Deut. Deus ipse aperte ostendit dicens. Caue, ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum: & facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit: quia

[Margin notes: Quid Aegyptij. — Prohibitio imaginum idolorum. Exod. 20. & Deu. 5. — Deut. 4. — Deut. 4.]

quia Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt, Deus æmulator. Attende: non enim dixit abſolute. Caue, ne facias tibi ſculptam ſimilitudinem, ſed addidit eorum, quæ fieri Dominus prohibuit, uidelicet creaturarum ad adorandum, ſicuti gentiles, qui pro Dijs ſuis illa colebant. Sileat ergo Annas Burgenſis dicens, Deum omnem prohibuiſſe imaginem: falsò etiam, & imperfectè ſententiam illam. 20. Exod. adducens. Hæc uerò Deus ſic inſtantiſsiſime illis prohibuit: quia cum populus Hebręus, qui propenſus erat ad idololatriam, conuerſaturus erat inter gentes: ipſarumque terram poſſeſſurus, uidelicet Amorrhæum, & Chananæum, & Ethæum, Pherezęum quoque, & Heuæum, & Iebuſæum, & Gergezæum. In quibus locis multa ſimilia habebantur idola diuerſa, quibus facillime populus Hebræus, ob ipſius promptitudinem ad idololatriam, ſeduci potuiſſet. Quapropter etiã dicebat Deut. 11. Cauete, ne forte decipiatur cor ueſtrum: & recedatis à Domino: ſeruiatisque Dijs alienis, & adoretis eos. Et ut omnem in idololatriam incidendi occaſionem ab Hæbreis remoueret Deus; mandauit eis, uti habetur Exod. 34. ut cauerent, ne cum habitatoribus terræ illius amicitias iungerent: quæ forent ſibi in ruinam. neque cum illis pactum inirent: ne cum ipſi fornicati fuerint cum Deis ſuis, & adorauerint ſimulacra eorum, inducerent & Hebræos ad comedendum de immolatis ſuis. nec uxorem de filiabus eorum ſuis acciperent filijs: ne poſtquam ipſę fuerint fornicatæ, fornicari facerent & filios ſuos, in Deos illos ſcilicet Gentilium. ſed eorum, hoc eſt gentium, aras deſtruere, ſtatuas confringere, lucosque ſuccindere, ne Deum alienum adorarent, illis præcepit. Hoc etiam habetur Deut. 7. ubi ſic legitur. Non inibis cum eis, ſcilicet gentibus, fœdus, nec miſereberis earum, neque ſociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius: nec filiam illius accipies filio tuo: quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me: & ut magis ſeruiat Dijs alienis. iraſceturque furor Domini, & delebit te cito. Quin potius hæc facietis eis. Aras eorum ſubuertite, & confringite ſtatuas, lucosq; ſuccindite, & ſculptilia comburite. Idem & 12. ſic habetur. Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas poſſeſſuri eſtis, Deos ſuos: ſuper montes excelſos, & colles, & ſubter omne lignum frondoſum.

[Margin notes: Cauſa prohibitionis imaginum Hæbreis factæ. — Deut. 11. — Occaſio incidendi in idololatriam, ab Hebræis remouet. Exod. 34. — Deut. 7. — Deut. 12.]

ſum. Diſsipate aras eorum, & confringite ſtatuas, lucos igne comburite, & idola comminuite, diſperdite nomina eorum de locis illis. Similiter cum populus ille ob ſcelera ſua in captiuitatem gentium iturus eſſet, ubi uaria colebantur idola, ad quorum idololatriam tum precibus, tum minis gentium illarum, humiliaturus erat ſe ipſum, illis conſentiendo, illaque adorando; ne id perpetrarent Iudæi, eos uoluit Deus feciſſe monitos:

Baruch. 6 quemadmodum habetur apud Baruch. 6. Propter peccata, quæ peccaſtis ante Deum, abducemini in Babyloniam captiui à Nabuchodonoſor Rege Babyloniorum. Ingreſsi itaque in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis uſque ad generationes ſeptem. Poſt hæc autem educam uos inde cum pace. Nunc autem uidebitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos, in humeris portari, oſtentantes metum gentibus. Videte ergo, ne & uos ſimiles efficiamini, &c.

Hier. 10. Vnde & apud Hieremiã cap. 10. eos inſtruebat, quibuſnam uerbis ſatisfacere deberent gentilibus illis, inquiens. Sic ergo dicetis eis, ſcilicet gentilibus, Dij, qui cælos, & terram non fecerunt; pereant de terra: & de his, quæ ſub cęlo ſunt. Deinde cognoſcens Deus Hebræorum inſtabilitatem, ac pertinaciam, qua Dei pręcepto obtemperaturi non eſſent; hoc itidem illis ſub pœna mortis mandauit dicens.

Deut. 30. Si autem auerſum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus, adoraueris Deos alienos, & ſeruieris eis; prædico tibi hodie,

Deut. 17. ꝙ pereas, & paruo tempore moreris in terra. Et. 17. ſic habetur. Vir, aut mulier, qui faciant malum in conſpectu Domini Dei tui, & traſgrediantur pactum illius, & uadant, & ſeruiant Dijs alienis, & adorent eos: Solem, & Lunam, & omnem militiam cęli, quæ non præcepi, &c. educes uirum, ac mulierem, qui rem ſceleratiſsimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ: & lapidibus obruentur. Ex his itaque Annas Burgenſis cum reliquis adherentibus ſuis, perſpicere poteſt, de quibuſnam imaginibus euertendis à Deo præcepta extiterint. quibus in locis non omnes abſolute euelli, ac deſtrui mandat imagines, ſed Gentiliũ ſolummodo Idola, quæ tanquam Deos illi colebant, & adorabant.

Eccleſia Rom. ſimiles idolorũ imagines dãnat. Quę & noſtra catholica Romana Eccleſia pari modo ubique Chriſtianitatis omnia huiuſcemodi Idolorum phana, aras, ſculptilia, ſubuerti, confringi, ſuccindi, atque comburi, præcepit, ac continuè mandat. In cuius ſignum Apoſtolos,

los, qui talia deſtruxerunt idola, & lapideas perdiderunt effigies, ueneramur, glorificamus, ipſorumque feſta celebramus. Et martyres, qui ſtatuas ligneas, aliaſque ſimiles confregerunt idolorum figuras, laudamus, honore proſequimur, ipſiſque omnibus templa propterea erigimus. Et tres pueros illos, qui in Babylone magni Dei mandatorum non immemores auream adorare reſpuerunt imaginem, honore afficimus, beatosque illos prædicamus. Et Danielem, qui Dei uiuentis obtemperando præceptis Bel ſubuertit, templumque ipſius deſtruxit, & draconem interfecit, laudamus, glorificamus, & omni laude dignum eſſe affirmamus. Et Tobiam, qui uiam ueritatis non deſerens, alijs ad uitulos aureos euntibus, quos Ieroboam Rex Iſrael fecerat, ſolus fugiebat conſortia omnium: & in Hieruſalem ad templum Domini pergebat, Dominum Deum ibi adorando, beatum dicimus, honoramus, & ueneramur. Quod utinam ſimiliter & reliquus Hebræorum obſeruaſſet populus, admonitionibus, perſuaſionibus, præceptis Dei uiuentis obtemperando. Non tantum enim Dei uerba, perſuaſiones, prohibitiones, apud hunc ingratum populum ualuerunt; quin his omnibus contrafecerint: Gentilium mulieres ſibi ſumendo in uxores, illiſque in ſuorum idolorum adoratione adherentes. Quorum abominationes Deus Ezechiæ. 8. capit. oſtendit dicens. Ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & uniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete, in circuitu per totum. Et ſeptuaginta uiri de ſenioribus Domus Iſrael, & Iechonias filius Saphan ſtabat in medio eorum ſtantium ante picturas: & unuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua: & uapor nebulæ de thure conſurgebat, &c. Deinde ait. Et introduxit me per oſtium portæ domus Domini, quod reſpiciebat ad Aquilonem. Et ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem, &c. Et infra. Et introduxit me in attium domus Domini interius. Et ecce in oſtio templi Domini inter ueſtibulum, & altare, quaſi uigintiquinque uiri dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem: & adorabant ad ortum Solis, &c. Quorum nonnulla, quomodo orta fuerint ſcilicet idola talia, & per quos, ſpecialiter deſcribere dignum duxi. Nam primò (uti habetur Exod. trigeſimo ſecundo) populus ille Iſraeliticus, ex ſcitu

Daniel.3. Daniel.14. Tob.1. Ezech.8. Deſcriptio ſpecialis Hebræorum Idolorũ imagines adorantiũ Exod.32.

pariter Aaron (qui tamen coacte, ob illorum importunitatem, hoc illis fieri permisit) uitulum conflatilem sibi fecit aureum, quem adorauerunt, & dixerunt. Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Quem postea Moyses combussit, & usque ad puluerem contriuit, quam in
3. Reg. 11 aquam sparsit, ex qua filijs Israel potum dedit. Deinde Salomon Rex, cui in sapientia non fuit inter mortales similis, mulieres adamauit alienigenas non paucas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Cethæas de gẽtibus: super quibus dixit Dominus filijs Israel. Non ingrediemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad uestras. Certissime enim auertent corda uestra, ut sequamini Deos earum. His itaque copulatus Salomon ardentissimo amore: per quas, cor eius deprauatum est, ut Deos sequeretur alienos, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris sui: sed colebat Salomon Astarthen Deam Sidoniorum, & Moloch Idolum Ammonitarum, &c. Deinde ædificauit phanum Chamos Idolo Moab in monte, qui est contra Hierusalem, & Moloch Idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit uniuersis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant Dijs suis. Hęc autem omnia Iosias
4. Reg. 23 Rex, uti habetur. 4. Reg. 23. polluit, & destruxit, atque suc-
3. Reg. 14 cendit. Similiter & Roboam Rex Iuda filius Salomonis, & omnis populus eius, aras, statuasque, & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam sibi ædificarunt: & in terra effeminati fuerunt: omnesq; gentium abominationes, quas Dominus ante faciem filiorum Israel attriuerat, fecerunt, atque perpetrarunt. Quid uerò operatus fuerit Ieroboam Rex Israel, qui se à Iuda separauit; hoc uti-
3. Reg. 12 que. 3. Reg. 12. describitur: ubi sic legitur. Fecit enim, scilicet Ieroboam, duos uitulos aureos, & dixit eis. Nolite ultra ascendere in Hierusalem. Ecce Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Posuitque unum in Bethel, & alterum in Dan, &c. & fecit phana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Leui. Altare similiter fecit in Bethel, ut immolaret uitulis, quos fabricatus fuerat: constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum, quæ fecerat. Cuius uestigia nefandissima, Baasa, Achab, Ochozias, & frater eius Ioram, Iehu, Ioachaz, Ioas, & Ieroboam filius
eius,

eius, Zacharias. Manahem, Phaceia, Phace, & Oſee, omnes Iſrael per ſucceſsionem Reges: & Ioram filius Ioſaphat, Ochozias eius filius, atque Achaz Reges Iuda, cum eorundem populis ſecuti ſunt. Quæ poſtea Ioſias Rex Iuda pijſsimus, ut habetur. 4. Reg. 23. deſtruxit, combuſsit, in pulueremque comminuit, atque lucum ſuccendit. Nam Achab Rex Iſrael non ſolum in peccatis Ieroboam ambulauit, ſed Iezabel filiam Mechaal Regis Sidoniorum uxorem duxit: & ſeruiuit Baal, & adorauit eum: & poſuit aram in templo Baal, quod in Samaria ædificauerat, & plantauit lucum. Et addidit Achab in opere ſuo, irritans Dominum Deum Iſrael ſuper omnes Reges, qui fuerunt ante eum. Cuius uitam ſceleſtiſsimam filius eius Ochozias primogenitus, & poſt eum Rex Iſraeliticus, qui & ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron miſit; & Ioram filius Ioſaphat, & filius eius Ochozias, Reges Iuda pariter ſunt imitati. Quapropter interempta omni familia Achab, & Ochozia Rege Iuda cum fratribus ſuis ex Dei mandato percuſſo, Iehu milites, omnes Baal cultores in ore gladij percuſſerunt, & Baal ſtatuam de phano protulerunt, combuſſeruntque, & comminuerunt, necnon & ipſius ædem deſtruxerunt, loco cuius latrinas fecerunt. Deleuit itaque Iehu Baal de Iſrael. Veruntamen à peccatis Ieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Iſrael, non receſsit & ipſe, nec aureos dereliquit uitulos, qui erant in Bethel, & Dan. Similiter poſt paululum fecit Ioas filius Ochozię Regis Iuda, & omnis populus, qui ingreſſus eſt templum Baal, & aras ipſius deſtruxerunt, imaginesque contriuerunt. Mathan quoque Baal ſacerdotem coràm altare occiderunt. In reliquis uerò Rex Ioas rectè coràm Domino ambulauit, niſi quòd excelſa non abſtulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat in excelſis incenſum. Quod quidem malum uſque ad Ezechiam Regem Achaz Regis Iuda filium perſeuerauit. Qui, uti habetur. 4. Reg. 18. non ſolum excelſa diſsipauit, uerum & ſtatuas contriuit, lucos deſtruxit, æneumque ſerpentem, quem fecerat Moyſes, confregit. Siquidem ad illud uſque tempus filij Iſrael ei adolebant incenſum: uocauitque nomen eius Nehuſtan. Verum filius ipſius Manaſſes Rex Iuda à patris probitate, & zelo degenerans, fecit malum in conſpectu Domini, excelſa, quæ pater eius Ezechias diſsipaue-

4. Reg. 23
3. Reg. 16
4. Reg. 10
4. Reg. 11
4. Reg 18
4. Reg. 21

rat, reędificauit: Aras Baal erexit, & fecit lucos, ſicut fecerat Achab Rex Iſrael: omnemque cæli militiam adorauit, & coluit: atque ei altaria in duobus atrijs templi Domini extruxit: arasque in domo Domini ædificauit, & filium ſuum per ignem traduxit: quemadmodum & Achaz Rex Iuda, auus ipſius fecerat. Inſuper non ſolum eſt ariolatus, uerum & auguria obſeruauit, Pythones fecit, & aruſpices multiplicauit: poſuitque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini, ut coràm Domino malum faceret, & eum irritaret. Quem in his omnibus Amon Rex Iuda filius eius eſt ſecutus. Quo mortuo, Ioſias filius eius eidem ſucceſsit in Regno: cui inter Reges Iſrael, & Iuda, ante eum, & poſt, ſimilis non fuit, qui ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in uniuerſa uirtute ſua iuxta omnem Moyſi legem reuerteretur. Nam aruſpices, pythones, ariolos, & eos, qui adolebant incenſum Baal, Soli, & Lunæ, & omni militiæ cæli, deleuit: omniaque uaſa Baal, & Lucos, & Aras, & altaria, & id genus ſimilia alia igni tradidit. Thophet quoque contaminauit: ut nemo filium ſuum, aut filiam per ignem Moloch conſecraret. Equos etiam, quos Reges Iuda ſoli dederant, abſtulit. Currus autem Solis combuſsit. Inſuper eccelſa, & altaria, figuras, ſtatuas, & reliqua, quæ Salomon, Ieroboam, Manaſſes, & ceteri Reges Iuda in Hieruſalem in templo Domini, & in Bethel, atque in Samaria ædificauerunt, deſtruxit, ignique tradidit, & in puluerem comminuit, ac ſacerdotes eorum occidit. Et tandem omnes immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Iuda, & Hieruſalem, abſtulit. Deinde omni populo præcepit dicens. Facite Phaſe Domino Deo noſtro, ſecundum quòd ſcriptum eſt in libro fœderis. Nec enim factum eſt Phaſe tale à Diebus iudicum, qui iudicauerunt Iſrael & omnium dierum Regum Iſrael, & Iuda, ſicut in. 18. anno Regis Ioſiæ factum eſt Phaſe iſtud Domino in Hieruſalem, ut Domino Deo complaceret, & furorem irę ſuæ placaret. Veruntamen non eſt auerſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo iratus fuerat eius furor contra Iudam propter irritationes, quibus prouocauerat eum Manaſſes: ita ut diceret Dominus. Etiam Iudam auferam à facie mea, ſicut abſtuli Iſrael,

4. Reg. 23

rael, & proiiciam ciuitatem hanc, quam elegi. Hieruſalem, & domum de qua dixi, erit nomen meum ibi. Abſtulerat autẽ Dominus Iſrael tempore Oſeę regis per regẽ Aſsyriorum: qui omnem Iſraeliticum populum in Aſſyrios tranſtulerat: eosq́; in Hala, & in Habor, iuxta fluuium Gozan, in ciuitatibus Medorum collocauerat. Et in ciuitatibus Samariæ, in quibus habitabant filij Iſrael, loco ipſorum Rex Aſſyriorum, alias gentes habitare fecerat, quas ex diuerſis gentium nationibus illuc rex in Hebræorum opprobrium adduxerat. Iudam uerò Dominus, & Regem ipſius Ioachim in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis tradidit: qui omnem tranſtulit Hieruſalem, Regem, & uxores regis, ſeruos, eunuchos, & omnes Principes iudices terræ, uiros robuſtos, & bellatores, & artifices, ac incluſores captiuos duxit in Babylonem: nihilq́; relictum eſt, exceptis populi terræ pauperibus. Et quare? propter illorum idololatriam: à qua etiam dum in captiuitate detinerentur, non recedebant. Tandem benigniſsimus, & clementiſsimus Dominus Deus illorum miſeriæ, & calamitati adhuc compatiens optabat, ut ſua ad Dominum Deum Iſrael inclinarent corda, & de medio ſui Deos auferrent alienos, ut eos à ſeruitute poſſet reuocare. Quapropter ſæpe per prophetas illos admonuit, ut relictis gentilium uijs, atque idololatrijs, ad Dominum Deum conuerterentur. Hiere. 3. Dicit Dominus. Vox in uijs audita eſt, ploratus & ululatus filiorum Iſrael: quoniã iniquam fecerunt uiam ſuam, obliti ſunt Domini Dei ſui. Conuertimini filij, reuertentes, & ſanabo auerſiones ueſtras. Ad quod etiam fertur illud Eſaię 46. (quod contra Sanctorum imagines huc falſo Annas adducit Burgenſis) Cui me aſsimilaſtis? facitis Deum lapideum, &c. Verba enim iſta directe à propheta contra gentium idola ſunt deſcripta, quæ tanquam ueros colebant Deos: quas imitati ſunt & Hebræi Deum uerum derelinquentes. ſicuti etiam apud Exod. 32. de aureo fecerunt uitulo, & 3. Reg. 12. de alijs duobus, quos dicebant ſuos eſſe Deos, qui de terra Aegypti eduxerant illos. Sic utiq; dum erant in captiuitate, Deorum Aſſyriorum, & aliarum gentium ſtatuas tanquã Deos colebant, illas cæli, & terrę creatori præponendo. Quos propterea Dominus reprehendit, illos admonendo, ut relictis huiuſmodi gentium idolis, ad Deum verum reuerterentur: illis promittens in breui liberationem, uti ex

contextu

Captiuitas populi Iſraelitici.

4. Reg 24. Captiuitas Iuda.

Cauſa captiuitatis, quæ fuit idololatria.

Hiere. 3.

Esa.46. contextu præcedenti apparet, & subsequenti. Ait .n. in principio eiusdem capituli uidelicet 46. Confractus est Bel, contritus est Nabo, facta sunt simulacra eorum bestijs, & iumentis. Onera uestra graui pondere usq; ad lassitudinem contabuerunt: & contrita sunt simul. Non potuerunt saluare portãtem: & anima eorum in captiuitatem ibit. In quibus uerbis ostendit, cuius uirtutis, potentiæ, & potestatis Dij fuerint Babylonij, qui erant destruendi: nam Daniel Bel destruxit, qui & Draconem interfecit, quos Babylonij, ueros putabant fuisse Deos. Deinde uolens misericors Deus illos ad se trahere eos, sicut pater filios, benigne alloquitur dicens. Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel. Qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea uulua, &c. Cui assimilastis me, & adęquastis, & comparastis me, & fecistis simile? Deum .n. uerum Bel, ceterisq; Idolis assimilabant, illis honorem, & reuerentiam, & gloriam exhibendo, quam Deo, ut conueniens, ac iustum erat, præstare debebant. Et illa .s. Idola, in uirtute, potestate, potentia, bonitate, misericordia, sapientia tanti faciẽdo, quãti faciẽdus est Deus: qui solus est bonus, misericors, potens, sapiens, & iustus. Sic itaq; huiuscemodi Solis, uel Lunæ, aut alterius creaturæ simulacra lignea, uel argentea Deo adæquabant, atque comparabant. Et tanquam melius (uti ipsis uidebatur) Deo uero ex parte relicto, se Idolorum simulacris consecrabant. Quod Apostolus Paulus ad Rom. 1. expresse manifestat dicens. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedũ, & serpentiũ. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. Quia commutauerunt ueritatem Dei, in mẽdacium: & coluerunt, & seruierunt creaturæ, potius q̃ creatori. Et hoc est, quod ait Dominus, cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem? q.d. Videte id, cui me assimilastis in honore, & adæquastis, & comparastis in potentia, & fortitudine, ꝙ me relicto, illud sequimini, ipsum adorando, quod neq; loco se mouere potest, neq; ea, quæ petuntur, conferre, aut uos conseruare. Hæc uero illis dicebat Deus (quemadmodum & supradictum est) ut se ipsos recognoscerent, & Idolis gentium relictis, ad Dominum Deum conuerterentur, uti etiam illis antea dixerat Iosue. Auferte Deos alienos

Margin notes: Daniel 14 (beside "nij, qui erant destruendi"); Esa.46. (beside "& omne residuum domus Israel"); Rom.1. (beside "Quod Apostolus Paulus"); Iosue.24. (beside "rentur, uti etiam illis")

nos de medio ueſtri: & inclinate corda ueſtra ad Dominũ Deũ Iſrael. Et hoc eſt, quod Eſaias in perſona Dei, poſt ſupradicta uerba 46. poſita, immediate ſubintulit dicens. Mementote iſtud, & confundamini: redite præuaricatores ad cor. Recordamini prioris ſeculi, quoniam ego ſum Deus: & non eſt ultra Deus: neq; eſt ſimilis mei annuntians ab exordio nouiſsimum, &c. Ne uerò aliquis temerarius cum Burgẽſi ſe huic adhuc opponere audeat dicens, Gentium Idolorum ſimulacra, & id genus alia, ab Hebræis quoq; adorata, ad Deum uerum repræſentandum eſſe constructa, quemadmodum Sanctorum imagines, conſeruantur in Chriſti Eccleſia; prę̃ſtò in contrarium ſapientiæ adeſt auctoritas, ubi 14. cap. oſtenditur, ad quid, & quomodo huiuſcemodi Idola originem duxerint. Initium enim fornicationis (inquit ſapiens) eſt exquiſitio Idolorum: & adinuentio illorum corruptio uitæ eſt. Neque enim erant ab initio: neque erunt in perpetuum. Superuacuitas enim hominũ adinuenit in orbem terrarum: & ideo breuis illorum finis eſt inuentus. Acerbo enim luctu dolens pater rapti cito ſibi filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat; nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra, & ſacrificia. Deinde interueniente tempore, conualeſcente antiqua conſuetudine, hic error, tanquam lex, cuſtoditus eſt, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta. Et hos, quos in palàm homines honorare non poterant, propter hoc, quod longè eſſent, è longinquo figura eorum allata, euidentem imaginem Regis, quem honorare uolebant, fecerunt: ut illum, qui aberat, tanquam præſentem colerent ſua ſolicitudine. Prouexit autem ad horum culturã & hos, qui ignorabant artificis eximia diligentia. Ille.n. uolens plus placere illi, qui ſe aſſumpſit, elaborauit arte ſua, ut ſimilitudinem in melius figuraret. Multitudo autẽ hominum adducta per ſpeciẽ operis, eum, qui ante tẽpus tanquam homo honoratus fuerat nunc Deũ ęſtimauerunt. Et hæc fuit uitæ humanæ deceptio: quoniã aut affectui, aut Regibus deſeruiẽtes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis impoſuerunt, &c. Hoc etiã approbare uidetur, quod 17. 4. Regum habetur. Cum.n. Iſraele in Aſſyrios trãſlato, in ciuitatibus Samariæ, in quibus filij Iſrael primò habitabant, diuerſarũ nationum gentes à Rege Aſſyriorum eſſent collocatæ, quas illuc rex adduxerat de Babylone, & de Cutha,

Oppoſitio.

Reſpon.

Sap. 14.

Origo Idolorũ.

4. Reg. 17.

tha, & de Ahaiat, & de Emath, & de Sepharuaim, quarum unaquæque suum fabricata fuerat Deum, Viri enim Babylonij fecerant Sochot Benoth, uiri autem Cutheni Nergel, uiri de Emath Asuna, Heuæi uero Nebaam, & Thacham, uiri autem de Sepharuaim comburebant filios suos igni Adramelech, & Anamelech Dijs Sepharuaim, & à leonibns propterea interficerentur, ex eo, quod terræ illius Deum, qui uerus est Deus, non recognoscebant; Rex unum de captiuis illis transmisit sacerdotem, qui illas in uia Dei Israel instrueret. Quibus autem instructis, Dominum quidem adorabant Deum: ueruntamen suos non derelinquebant Deos; uti eodem in loco habetur. Quia cum Dominum colerent; Dijs quoq; suis iuxta gentium consuetudinem, de quibus translati fuerant in Samariam, seruiebant. Quod non fecissent, si ipsorum idola, siue idolorum simulacra ad uerum Deum repręsentandum, fuisse constructa existimassent. Sic itaque Deum adorabant Israelem, ꝙ unusquisque earum suum pariter colebat nationalem, tanti in omnibus ipsum faciendo, quanti Deum illi faciebant Israelem, ac si Deo cæli idola illa essent similia, æqualiaq;, ac comparanda: quorum nequitiam sequuti fuerant & Hebræi. Quapropter di-
Esa. 46. cebat Dominus Deus apud Esaiã 46. in superioribus. Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem? illa colendo, sicuti me colere debetis. Propterea tradidit
Rom. 1. illos Deus, ait Apostolus ad Rom. 1. in passiones ignominiæ, quæ sunt infinitæ, uti eo in loco Apostolus commemorat: &
Sap. 14. Sapien. 14. Vbi postquam sapiens quid sit idolum, ostendit, nec non & unde originem traxerit, concludendo ait. Infandorum enim idolorũ cultura omnis mali causa est, & initium, & finis. Ex quibus verbis Annas Burgẽsis uidisse potest, illis omnibus in locis non de imaginibus ad effingendam Dei similitudinẽ constructis agi (quemadmodum ipse Annas superius affirmauit dicens. Nam illis omnibus in locis agitur de imaginibus factis ad effingendam Dei similitudinem) sed de idolorum simulacris sermonem fieri: & tot, tantaq; mala, non ex Sanctorum imaginibus (uti ipse Annas ex D. Paulo, & Sap. eisdem in locis uolebat) sed ex idolorum simulacris orta fuisse. Quæ sæpenumero non hominis erant effigies, sed (ut ibidem ait Apostolus) uolatilium, quadrupedum, & serpentium statuæ: quas illi tanquàm Deum supra creatorem sunt uenerati: quemadmodum olim

olim Aegyptij, qui boues, mures, ueſpas, & alia abiecta coluerunt animalia. Iniuſtè igitur, ac peruerſe Annas Burgenſis, creatoris dictum apud Eſaiam 46. aduerſus Idola poſitum, cōtra Sanctorum imagines huc adduxit. Similiterq; mala omnia, quæ ex Idolorum adoratione D. Paulus ad Rom. 1. & Sapientia 14. aſſerunt pululare, ex Sanctorum imaginum ueneratione orta eſſe, iniquum eſt aſſerere. Et Idolorum ſimulacra, ad effigiandam Dei ſimilitudinem conſtructa eſſe, falſum pariter eſt affirmare. Aliæ uerò ſunt, quas Chriſti fideles ad effigiandā corpoream Sanctorum ſimilitudinem, ob illorum uenerationem, in Eccleſia Dei conſtruunt imagines: de quibus in ſequēti articulo particularis habebitur ſermo.

Concluſio.

Genus imaginū uenerandarum.

De modo conficiendi imagines in Eccleſia Chriſti. Art. VI.

CVM de Sanctorum imaginibus in præſentiarum ſimus tractaturi, & illorum in patria cæleſti triplex ſit ordo Dei uidelicet, Angelorum, & hominum; ideo de unoquoque eorum ſpecialis hoc in articulo habendus eſt ſermo: & primò de Deo. Dei enim (quem purum actum, ſimplicem, & omnino incorporeum eſſe credimus, & confitemur, contra Paganos, Antropophormitasq; olim hæreticos tenentes, ipſum eſſe corporeum, ut teſtatur Iſidorus. 8. Ethymo. cap. 5.) imagines poſſe formari, ſecluſo incarnationis myſterio, quemadmodum alicuius animalis conſtruitur imago, impoſsibile dicimus eſſe: cum nulla res diuina, quæ eſt incorporea, per imagines, quæ ſunt corporeæ, poſsit figurari. Ideo ait Damaſc. Inſipientiæ ſummæ eſt, & impietatis figurare, quod eſt Diuinum. Et hac ratione omnes Dei ſculptæ, uel pictæ damnantur imagines: quia erroneam de Deo ingerunt opinionem. Qua de re dicebat Dominus Deus apud Eſaiam 40. Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? Nunquid ſenſibile conflabit faber, aut aurifex auro figurabit illud, & laminis argenteis argentarius? Ad hoc etiam adduci poſſet alius Eſai. 46. locus ſuperius aſsignatus: nec non & perplures alij ſimiles. Et hoc modo in Eccleſia noſtra catholica conſtat tales non haberi Dei imagines. Confundatur ergo Annas Burgenſis, ſcripturam, quæ eſt aduerſus corporeas Dei ueri incor-

Iſidor.

Damaſc.

Eſa. 40.

porei statuas, contra Sanctorum imagines adducendo. possumus tamen speciei imaginem formare: sub qua Dominus Deus in ueteri testamento uisus dicitur, & quam ad sui creauit similitudinem, quæ humana est species, iuxta doctrinam Genesis, vbi. 1. capite legitur, Deum ad imaginem, & sui similitudinem creasse hominem, quo ad animam scilicet. Et ideo ut ipsius Dei imaginis imaginem secundum quid saltem habere possimus: ipsum Deum sub specie humana figuramus. Dico autem secundum quid, quia cum Dei imago in speciei humanæ anima consistat, quam effigiare nequimus, figuram ipsius illam indicantem (quæ est humana) sculpere, depingereq; permittimus: quæ tamen ualde à Dei imagine, hoc est ab anima nostra, est dissimilis. quod sapientiæ 25. ostenditur, cum ait. Nemo Deum similem sui poterit pingere, quin etiam homo melior est imagine. Sed quia anima nostra, tanquam Dei imago, non debet adorari, propter rationes inferius assignandas; neq;, cum sit incorporea, potest depingi (res. n. corporeæ tantum patiuntur se effigiari) ideo ipsius figuræ similitudinem ipsam animã, Dei imaginem indicantem, hoc est corpoream partem, ad Deum repræsentandum nobis effigiamus: eo præcipuè quod in tali figura diuersis, uti Abrahę, & Danieli, apparuerit Deus. Habetur. n. Gen. 17. Deum in conualle Mambre sub trium figura uirorum Abrahæ apparuisse, ubi (si historiæ series diligenter attendatur) Trinitatis mysterium in unitate Deitatis expresse etiam percipere poterimus. Cum. n. tres uiri illi Abrahæ apparentes, ipsum alloquerentur, ita ad inuicem loquebãtur, quòd illi tres quasi unus, (se unum Deum manifestantes) & econtra ad illos Abraham, quasi ad unum loquebatur, ipsum Deum uerum recognoscendo, eumq; semper Dominum uocando. Quapropter Deum: quandoq; sub unius uiri figura. ad ipsum repręsentandũ, essentia esse unum: quandoq; sub trium uirorum forma, ad triũ personarum mysterium exprimendum, pingi iubemus: & hoc diuersimode. Quandoq; enim uno, & eodem figurantur modo. ad ipsarum diuinarum personarum æqualitaté, illarumq; coæternam maiestatem, & gloriam explicandam. Quandoq; uerò patris imaginem seniorem, filij autem iuniorem formamus: & hoc tum quia apud nos sic consueuit, ubi seniores patres, iuniores filij naturali ordine subsequuntur; tum quia sic apud uisionis Danielis mysterium, cap. 7. habetur. Vbi sic primo legitur.

Gen. 1. Sap. 25. Gen. 17. Daniel 7.

tur. Antiquus dierum ſedit. Veſtimentum eius cădidum quaſi nix: & capilli eius quaſi lana munda. Thronus eius flămæ ignis: rotæ eius ignis accenſus: & fluuius igneus, rapidusq; egrediebatur à facie eius. Millia millium miniſtrabant ei: & decies millies centena millia aſsiſtebant ei, &c. Deinde ſubintulit. Aſpiciebam ergo in uiſione noctis: & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis ueniebat: & uſq; ad antiquũ dierum peruenit: & in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. Quod ſignificabat Filium à Patre poteſtatem in cælo, & in terra accepiſſe: iuxta illud Matth. vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Matth. 28.
Et Ioan. in Apoc. 5. Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere uirtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, &c. Apoc. 5.

Spiritum autem ſanctum ab alijs duabus diuinis perſonis, diſtinctim figurare non poſſumus, niſi ſecundum quòd eſt demonſtratus, uti in columbæ ſpecie, in qua apparuit in Chriſti baptiſmate. Et in ſpecie lucidę nubis, in Chriſti transfiguratione: & in ſpecie ignearum linguarum, in die Penthecoſtes. Lucæ. 3. Matth. 17. & Mar. 9. & Luc 9. Acto. 2.

Angelos ſimiliter ob ipſorum ſubtilitatem figurare non poſſumus, niſi ſub formis, quibus ſeſe hominibus oſtĕderunt. Quibuſdam enim ſe ad uidendum dederunt, uti Ezechieli, Danieli, & Ioanni: ut habetur in Apoc. uiſione tamen imaginaria, ſub formis animalium, & ferarum, ſub quibus figuris raro pinguntur. Alijs uerò nonnullis, ueluti Tobiæ, & Loth, ſub humana, & viſibili apparuerunt ſpecie: ſub qua eos propterea figuramus frequentiſsime. Vtriuſq; autĕ modi apparendi myſteria explanat Dionyſ. cap. 15. Cæleſtis hierar. adeo ꝙ etiă ad ſingula humani corporis mĕbra deſcendat: quorũ nonnulla, ne tranſeuntes omnia prorſus prætereamus, præcipue cŏmunia, breuiter explicabo. Primò. n. (vti etiă nedum de Angelis, uerum & de alijs omnibus Sanctis hoc idĕ ſatis diffuſe, ac docte in ſuo opuſculo cŏtra diuerſas hæreſes nũcupato, deſcribit uir inſignis, ac doctus, Vincent. Quintianus) in iuuenili ætate figurantur: quia ſic & Tobiæ Raphael, & alij duo Loth apparuerunt: & hoc ad eorum immortalitatĕ ſignificandam. Deinde alati: uti oſtenſi ſunt Seraphim. Eſa. 6. ad celeritatĕ ipſorum manifeſtandă. quapropter Gen. 19. Tob. 5. Dionyſ. Vincent. Quintia. Eſa. 6.

Exod. 25. Moyses duos Cherub in tabernaculo, & Salomon duos in tẽplo
3. Reg. 6. fecerunt alatos. Postremò eos succinctos pingimus, ad eorun
dẽ in Dei ministerio expeditionem indicandam. Sunt .n. om-
Hebr. 1. nes, ut ait & Apostolus ad Hebr. 1. administratorij Spiritus.
Michael uerò specialiter armatus figuratur: quia, uti habetur
Apoc. 12. Apoc. 12. pugnasse legitur cum Diabolo. Malos autem Spiritus, Dæmones uidelicet, sub formis figurare solemus monstruosis: non propter eorum uenerationem, sed ad horrorem generandum, & ad ipsorum uersutias explicandas, eorumq; operationem & uoluntatem ualde, ob illorum prolapsionem & casum, deprauatam manifestandam. Postquam igitur modus est ostensus, quo Deus, secluso incarnationis mysterio, potest figurari, & alius quilibet Spiritus; nunc explicandum est, quonam modo Deus homo factus potest effigiari. Quod duobus potest fieri modis, in propria specie, humana .s. quam in se assumpsit; & in figurali, sub qua quandoque, sed rarò, depingitur incarnatum Verbum: & tunc sub specie Agni potissimũ.
Exod. 12. & hoc non solum, quia apud Exodum per agnum Paschalem fi-
Esa. 53. guratur, & apud Esaiam 53. quasi agnus coràm tondente se ob-
Ioan. 1. mutescens, prophetatur; sed etiam tum quia Ioannes Baptista
eum agnum uocauit dicens, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit
Apoc. 5. peccata mundi; tum quia Ioanni in Apocal. 5. tanquam agnus
1. Cor. 5. occisus, est ostensus: & Apostolus. 1. Corin. 5. dixit. Pascha nostrum immolatus est Christus. Sub humana uerò specie, ut in pluribus, & fere semper. Et hoc secundũ diuersos ipsius actus, aut diuersa nostræ salutis celebrata mysteria, uelut natum, aut à Magis adoratum, aut in templo inter doctores disputantem, aut negotiatores è templo eiicientem, in cœna pedes discipulorum lauantem, in horto orantem, captum, flagellatum, crucifixum, sepultum, resurgentem, ac denique ad cælos ascendentem depingimus: eo præcipuè ꝙ in sexta Synodo uniuersali,
Conc. 6. Constantinopolitana 3. can. 82. fuit sancitum, ut Christus dein
Const. 3. ceps in figura humana pingeretur, non Agni. ut per talem figu-
cap. 82. ram manu ducamur ad memoriam conuersationis Domini nostri Iæsu Christi in carne, & passionis, eiusq; mortis salutaris, & redemptionis, quæ huic mundo facta est. Depingi autem quandoque sub Agni figura nunc ab Ecclesia etiam toleratur propter consuetudinem: quæ in contrarium inoleuit.

Similiter & Sanctos Dei homines, uti Euangelistas, quas sub

figuris

figuris quatuor animalium, ſicut apud Ezechielem, & Ioannem in Apocal. figuratos uidemus; quandoque & nos pariter figuramus. Aliàs autem ipſos, quemadmodum & alios, in propria eorum ſpecie, humana uidelicet, depingi curamus: & hoc diuerſimode, ſecundum diuerſos illorum actus.

Eeatam uerò Virginem ſub diuerſis repræſentamus actibus, ut ab Angelo ſalutatam, aut in præſepi filium adorantem, uel ſuis uberibus lacrantem, aut in gremio tenentem, aut ulnis geſtantem, aut cruci aſtantem, aut ſepulturæ aſsiſtentem.

Patriarchas autem ueteris Teſtamenti, ſecundũ uarios eorum actus, quos in ſcripturis legimus, diuerſis pariter dipingimus modis. Noe in archa per aquas diluuij naufragantem. Abraham filium Iſaac immolantem. Moyſen legis tabulas deferentem. Sampſonem diuerſimode, & Dauidem. Prophetas uerò cum membranicis ornamus rotulis, ad ſignificanda myſteria, per eos nobis tradita, illis à Deo reuelata, uſque ad Chriſti tempora, per quem omnia ſunt manifeſtata, atque declarata, remanſiſſe obſcura. Ioannem quoque Baptiſtam Chriſtum baptizantem, aut ſub Agni ſpecie demonſtrantem, uel in carcere clauſum, aut capite truncatum. Et Apoſtolos, ut plurimum cum libris clauſis in manibus ad innuendum doctrinã Euangelicam eorum tempore per totum orbem uſquequaque plene diffuſam non fuiſſe, effigiari curamus. Quid plura? Singulos rurſus cum inſignijs perpeſsi martyrij, ut puta Petrum præcipue clauigerum, ad regni cæleſtis claues traditas deſignandum. Paulum uerò enſiferum, propter ſingularem, & efficacem uerbo prædicationis fidei defenſionem. Et Ioan. Euangeliſtam ſuper pectus Domini recumbentem, aut cruci cum Virgine Maria aſtantem, &c. ornari cupimus.

Martyres pariter cum inſignijs eorum martyrij, cum palmis in manibus, in ſignum partæ uictoriẹ figuramus. Pontifices uerò, & ſacerdotes, ac Leuitas cum ſui ordinis ornamentis, & Doctores libros apertos in manibus tenentes, ad inſinuandum, obſcura tàm noui, quàm ueteris Teſtamenti per ipſos in lucem producta fuiſſe, depingimus. Confeſſores autem ſecundum cuiuſlibet ſuæ profeſsionis inſignia, uel indicia. Et Virgines cum lilijs, in ſignum caſtitatis, dextera manu, uel ſiniſtra retentis. Necnon & uiduas in habitu mæſtitiam lugubrem præferente, ſimiliter pingi ſancta mandat Eccleſia.

Ecce uarias Sanctorum omnium imagines, ſingulasque ſuis plenas eſſe myſterijs: quas Eccleſia Chriſtianos habere non incaſſum permittit, ſed ut per illas ad eorum, quorum ſunt imagines, memoriã reducamur, ipſosq; ueneremur. Quo uerò honore imagines ſint habendę, & quo modo, nunc dicetur.

De diuerſis modis adorandi Sanctorum imagines, & ea, quæ ipſorum fuerunt. Art. VII.

DOCET philoſophus in lib. de memoria, & reminiſcentia, duplicem animæ motum eſſe in imaginem. Vnum ſecundum quòd ipſa imago res quædam eſt ſolummodo. Alium, inquantum alterius eſt imago: utputa Imperatoris. Inter quos talis aſsignatur differentia. Primus enim animæ motus erga illam Imperatoris imaginem, ut res quædam eſt tantummodo, hominem profectò ad reuerentiam ei exhibendã, honoremque præſtandum haudquaquam mouebit: cum ut res quædam eſt, nil aliud ſit, quàm lignum, uel lapis, aut argentum, uel aurum ſculptum, ſiue coloratum, cui non debetur reuerentia, neque ſeruitus, quæ ſoli creaturæ, reſpectu ſuperioritatis, uel alicuius bonitatis, aut uirtutis ipſius, conuenit rationali. Secundus uerò in imaginem animæ motus, ut alterius imago eſt, ueluti Imperatoris, hominem mouet, inducitq; ad exhibendum illi honorem: ex eo, quòd talis ſecundus animæ motus in ipſam imaginem, idẽ eſt cum animæ motu erga ipſum, cuius eſt imago, uidelicet Imperatorem: quapropter Imperatoris imaginem honorando, Imperatorem ipſum honorare dicimus. Quemadmodum ſi quis aliquod Imperatoris ſuſceperit mandatum, illius ſigillum oſculando, mandatumq; ipſum ſupra caput ſuum eleuando; non ipſam ceram figuratam, aut papyrum ſcriptam, uel caracterem, aut plumbum ueneratus eſt: uerum Imperatori ipſi adorationem, & cultum exhibuit. Si uero quis tale mandatum acciperet, uel Imperatoris ipſius imaginem uideret, & illam deſpiceret; non aliter caſtigaretur, quàm ſi ipſum Imperatorem contumelia affeciſſet: cum tamen illa ipſa imago præter lignũ, & colores nihil ſit. Eodem modo, qui typum, ſiue figuram alicuius ignominia afficit; in illum ipſum, quem typus repræſentat, iniurius eſt: quod quidem ipſa rerum natura repræſentat. Ad cuius confirmationem etiam ait Damaſcenus lib. 4. Sentent. Honor,

Damaſce.

nor, qui exhibetur imagini, refertur ad illum, cuius eſt imago. Et Baſilius Magnus. Honor imaginis ad prothotypum peruenit, id eſt exemplar. Eſt enim prothotypon prima forma, ſeu forma exemplaris, ad quam facta eſt. Sic etiam dicendum eſt de Chriſti, ac Sanctorum omnium imaginibus: quę inquantũ res quædam ſunt, utputa, aurum, argentum, ęs, ferrum, lapis, aut lignum ſculptum, uel pictum; nulla prorſus illis præſtanda eſt ſeruitus, neque reuerentia eſt exhibenda: quæ non niſi rationali debetur creaturę. Inquantum autem Chriſti, uel alicuius Sancti eſt imago, eadem eſt adoratione ueneranda, qua & ille, cuius eſt imago, ſiue ſit Chriſtus, uel alius Sanctus: cum motus animæ, in Chriſti, uel alterius Sancti imaginem (ut illius imago eſt) idem ſit cum animæ motu, qui eſt erga ipſum Chriſtum, uel aliquem alium hominem ſanctum: quemadmodum eſt iam dictum. Simili modo, ac ſimili ratione & quælibet crux, cuiuſcunq; materiæ ſit, latria etiam eſt adoranda: quia ſicut ipſius adoramus imaginē, non ut res quędã eſt, ſed tanquam ipſius Chriſti imaginē; ſic etiã latria adoramus omnem crucē, non ut ferrum, argentum, uel lignum, ſed tanquam imaginem ipſius Chriſti ſic taliter extenſi. Nam ſi crucis alicuius duo fuerint ligna à ſe diſſoluta, illa profectò nõ adoramus: ſed ea abijcimus, igniq; tradimus. Si uerò colligata fuerint; non naturã ligni, ſed typum adoramus propter Chriſtum, qui in eo crucifixus eſt: Chriſtum ipſum ſemper aſpicientes. Crux autem propria, in qua Chriſtus fuit crucifixus, & extenſus, non ſolum ratione repræſentationis, & imaginis, & figuræ extenſionis ipſius Chriſti in ea ſic extenſi, eſt adoranda; uerum etiam & ratione contactus ad ipſius membra Chriſti, cuius etiam ſanguine fuit perfuſa. Et quantũ ad hanc contactus rationem, adoranda ſunt pariter omnia alia, quæ Chriſti fuere: utputa lãcea, corona, claui, linteamina, indumenta, præſepe, & id genus alia: uti oſtendebat ſuperius Damaſc. in 4. lib. dicens. Pretioſum lignũ, &c. ut ſanctificatũ tactu ſancti corporis, & ſanguinis, decenter adorandum: clauiq;, & lancea, & indumenta, & ſacra eius tabernacula, quæ ſunt præſepe, ſpelunca, & huiuſmodi. Iſta tamen non imaginem Chriſti ræpreſentant, ſicuti crux, quę dicitur filij hominis ſignum, quod apparebit in cælo, ut habetur Mat. uigeſimo quarto. Ideoque mulieribus dixit Angelus. Marc. decimo ſexto. Iæſum quæritis Nazarenum crucifixum, non dixit lanceatum,

Baſil.

Quomodo Sanctorum imagines ſunt adorãdæ.

De adoratione cuiuslibet crucis.

De cruce, in qua Chriſtus fuit crucifixus, quæ duplici ratione debet adorari.

De adoratione aliarum rerũ, quæ Chriſti fuerũt, & ipſum tetigerũt. Damaſc. Matth. 24. Marc. 16.

lanceatum, ſed crucifixum. Et inde eſt, quòd crux Domini in quacunque ueneratur materia: non autem imago clauorum, uel huius generis aliorum: quæ tamen ipſa (uti iam oſtenſum eſt) ratione contactus ab omnibus adorantur Chriſti fidelibus, Qua etiam ratione & illa, quæ aliorum fuere Sanctorum, eo modo, quo & imagines ipſorum, omnia pariter dicimus eſſe ueneranda. Nec cuiquam hoc uideatur abſurdum. An non quilibet ſæpe uxoris, aut filiorum mortuorum imaginem in camera, in ueſtiarioq; ueſtes, aut ornamenta uidens, illa oſculatur, lachrymis rigat, amplexaturque? & tamen in hoc damnandus non eſt homo ille: quia non imaginem, aut ornamenta illa honorat, ſed erga uxorem, aut filios, qui illis amiciebantur, per huiuſcemodi oſcula, & amplexus ſuum declarauit amorem. Quod magni Patriarchæ Iacob exemplo aperte comprobari poteſt, qui Ioſeph filij ſui ueſtem à reliquis filijs ſanguine conſperſam accipiens, ſuiſque oculis illam circumponens, eam cum lachrymis eſt oſculatus, & ſua cum fletu ſcidit ueſtimenta: non ipſam ueſtem diligendo, aut honorando hoc fecit, ſed per eam arbitratus eſt ſe Ioſeph oſculari, illumque ſic à feris paſſum pre oculis habere. Sic & nos Chriſtiani omnes, imaginem Chriſti, atque ea, quæ ipſius, aut Apoſtolorum, uel Martyrum, ſiue alterius Sancti fuerunt, tenentes, noſtraque carne oſculantes, animo uidemur nobis ipſum Chriſtum, aut illum Sanctum amplecti, oſcularique. Et quemadmodum filij, peregrinante longo tempore patre, ingenti amore ex animo erga eum affecti, quicquid illius in domo uiderint, ſiue imaginem, ſiue baculum, ſiue ſedem, ſiue chlamydem; hæc inquam omnia cum lachrymis attrectantes amplexantur: non illa honorantes, ſed patrem deſiderantes, & uenerantes. Sicut etiam Iacob adorans faſtigium uirgæ Ioſeph filij ipſius manifeſtum eſt, quòd non lignum adorauit, ſed per lignum Ioſeph, qui Chriſtum figurabat: cuius crucem proprie non adoramus, ſed Chriſtum ipſum in ea, uel tali crucifixum. Ideo nos omnes fideles, Chriſti crucem, tanquam uirgam, adoramus: ut ſedem uerò, & cubile illius, ter ſanctum ſepulchrum: præſepe autem, & Bethleem, reliquaq; illius habitacula, ut domum. Sic Apoſtolos illius, beatosque Martyres, & reliquos Sanctos, ueluti illius amicos colimus. Ita Sion, tanquam illius ciuitatem, Nazareth uerò, tanquam ipſius patriam, amplectimur. Non aliter etiam

De his, quæ ſanctorũ fuerunt.

Probatio ſupradictorum.

Gen. 37.

Hebræ. 11.

etiam Iordanem, quàm diuinum illius lauacrum reueremur. Magno enim, & inexplicabili erga eum amore, quo aſcendit, ubi reſedit, ubi apparuit, aut quid tetigit, aut omnino obumbrauit, tanquã Dei locum colimus, & adoramus: non ipſam regionem, aut lapides uenerantes, ſed eum, qui in illis conuerſatus eſt, apparuit, & in carne cognitus eſt, quique nos ab errore liberauit, Chriſtum Dominum noſtrum. Hinc etiam propter Chriſtum, Chriſtiq; paſsiones, paſsim in Eccleſijs, in domibus, in foro, in picturis, in promptuarijs, in ueſtibus, omnibus denique in locis hanc figuram ponimus, quo continue contemplantibus nobis hæc in mentem ueniant, & Domini noſtri Iæſu Chriſti non obliuiſcamur: ſicuti Annas Burgenſis, & ceteri, ſibi ſimiles hæretici ſunt obliti. Vnde & Auguſtin loquens de Chriſti imagine in lib. de uiſitat. infirmor. ait. Hanc complectere humiliter, uenerare ſuppliciter: cum hæc ad memoriam tibi reducat crucifixum. Sic igitur concludendo, Chriſti, & Sanctorum omnium imagines, & reliqua ſimilia adorari dicimus: non quaſi in ipſis aliqua ſit uirtus, unde releuari, aut iuuari humana poſsit infirmitas; ſed tanquam ſigna Chriſti, & Sanctorum, qui auxilium ferre poſſunt poſtulanti. Ita Eccleſia catholica adorari permittit illa. Et hoc eſt, quod habetur in can. de conſecrat. diſt. 3. Venerabiles, inquit, imagines Chriſtiani non Deos appellant, neque ſeruiunt eis, ut Dijs, neque ſpem ſalutis ponunt in ipſis, neq; ab eis futurum exſpectant iudicium: ſed ad memoriam, & recordationẽ primitiuorum, uenerantur eas, & adorant. Propterea à patribus in diuerſis ſancitum eſt concilijs, Chriſti, & Sanctorum imagines in Chriſti Eccleſia haberi, uenerarique debere: & hoc præcipue in ſexta uniuerſali Synodo, can. 82. & Nicæna ſecunda, generali. 7. actione. 6. in qua nedum id, quod à pręcedenti de Sanctorum imaginibus decretum eſt, repetitur, cum ait, Sacra ſexta, & uniuerſalis Synodus, &c. circiter duos, & centum canones edidere, in quorum octuageſimo ſecundo de imaginibus ſic tradiderunt, In quibuſdam uenerandarum imaginum picturis agnus digito præcurſoris indicatus, &c; uerum etiam hoc idem ante omnia reliqua ſacra Cõcilia, & poſt, in Eccleſia Chriſti ſemper traditum fuiſſe oſtenditur, ubi ſic legitur. Videmus igitur omnes, & intelligimus, ꝙ & ante ſacras ſex Synodos, & poſt has etiam Sanctoru m picturæ in Eccleſia traditæ fuerint, non aliter ac ſa-

August.

De conſe. diſt. 3.

Concil. 6.
Conci. Nicæ. 2.

era Euangelij lectio, &c. Et actione septima. Fatemur aũt unanimiter, nos Ecclesiasticas traditiones, siue scripto, siue consuetudine ualentes, & decretas retinere uelle: quarum de numero est imaginum effiguratio, &c. Item. 8. Synodus uniuersalis, Constantinopol. 4. can. 3. sic ait. Sacram imaginem Domini nostri Iesu Christi, & omnium saluatoris, æquo honore, cum libro sanctorum Euangeliorum adorari decernimus, &c. Et infra. Si quis ergo non adorat yconam, idest imaginem saluatoris Christi; non uideat formam eius, quando ueniet in gloria paterna glorificari, & glorificare Sanctos suos: sed alienus sit à communione ipsius, & claritate. Cecidit proculdubio super Annam Burgensem, & alios similes hæreticos huius sanctissimi Concilij maledictio: quemadmodum & super omnes alios suos similes Sanctorum imagines spernentes, destruentes, atq; comburentes, cadet. Qui, illis Sanctorum imaginibus per ipsos destructis, è templisq; eiectis, suas, atque uxorum suarum effigies pulcherrime, atq; amatorie depictas, loco illarum reponunt. sicuti moderni Euangelici prophetæ faciunt: quorũ exẽpla testantur. Alia multa circa hoc assignari possent argumenta: sed quoniam hęc ista nostro sufficere arbitror instituto; illa huc adducere non curabo: præcipuè cum superius satis diffuse ostensum sit, atq; probatum, Christi, Sanctorumq; suorũ imagines in Ecclesia Christianorum haberi posse, atq; adorari debere. Quod etiam uniuersi mortales agnoscũt, & patres sanctos ex Apostolorum traditione, hęc ista docuisse didicerunt: inquantum. s. ad ipsum nos conducunt prothotypum. Quorum doctrinam si quis temerarie respuerit, ab illorum consortio alienus pariter erit. Quod & septima Synodus, actione septima, ostendit dicens. Imaginis enim honor in prothotypum resultat: & qui adorat imaginem, in ea adorat quoq; descriptum argumentum. Sic enim Sanctorum nostrorum patrũ obtinet disciplina, uel traditio catholicæ Ecclesiæ: quæ à finibus, usq; ad fines Euangelium suscepit. Igitur qui ausi fuerint aliud sentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum Ecclesiasticas traditiones contaminare, aut nouam uaniloquentiam inducere, aut quicquã de consecratis in Ecclesia abijcere; Euangelij inquam depictum codicem, aut figuram crucis, aut imaginis alicuius Sancti picturam, aut reliquias martyrum, quas sciuerit esse germanas, & ueras; aut cõtra ista uafre, & improbe ali-

Conc. 8. Const. 4.

Synodus. 7. act. 7.

aliquid cogitare, quod ſit contra conſtitutionem Eccleſiaſticam; aut uti tanquam cõmunibus ſacratis Deo, repoſitis pretioſis, aut monaſterijs reuerendis; ſi fuerint Epiſcopi, aut clerici, deponuntur: ſi monachi, aut laici, communione priuantur. Si quis uerò ad tantam deueniret dementiam, in tantamq; incideret cæcitatem, ut has Sanctorum imagines ſecũdum ſe ipſas ueneraretur, illas adorando, Deosq; uocando, de quibus ait Sap. 14. Incommunicabile nomen Dei lignis, & lapidibus impoſuerunt; tanquam idololatra profectò eſſet arguendus, & omnis iudicij expers iudicandus, ut ſpem ſuam in ligno ſculpto, uel picto ponat, quamuis Dei ſit imago, quæ nullius prorſus honoris eſt capax. Qua de re dicebat Eſaias in perſona Dei, c. 42. Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus. Et infra. Confundãtur confuſione, qui confidunt in ſculptili, qui dicunt conflatili, Vos Dij noſtri. Quod itidem in diuerſis alijs habetur locis. Et quia populus Iſraeliticus ad idololatriã, uti ex ſuperiorioribus patet, ualde pronus erat; ideo Dominus Deus multis in locis illis ſculptilia, effigiesque prohibuit: ſemper tamen mentionem faciendo, ne huiuſcemodi tanquã Deos ſibi fabricarent: iuxta illud Exod. 34. Deos conflatiles non facies tibi. Et ſimilia alia loca in ſuperioribus multa aſsignata. Id uerò præſertim faciebat: quia cum uniuerſus propemodum orbis tunc ea labe fuerit infectus; ne etiam ipſis gentibus ſcandalo forent, eis uetuit Deus formare imagines, ne eas colerent, & adorarent: non aũt abſolute, & ſimpliciter: cum nõnulla illis mandauerit Deus fieri ſculptilia: uti ſuperius de Cherub in propitiatorio, & de ſerpente ęneo oſtenſum eſt. Verũ ſi imaginũ gratia in idololatrię inſaniã populus incidebat, pari modo illas Deus deſtrui permittebat: quemadmodũ de ſerpẽte æneo habetur, quẽ pientiſsimus Rex Ezechias poſtea deſtruxit: non quia ipſum retinere malũ fuerit, cũ ex Dei iuſſu ſculptus fuiſſet; ſed propter populũ, qui honorẽ, & gloriã Deo conuenientẽ, illi æneo ſerpenti, ſecundũ ſe ipſum, tanquã in eo aliquid numinis eſſet, impendebat. Quòd aũt propterea zelãtiſsimus Rex illũ confregerit, uerba ſequentia ſatis apertè manifeſtãt. Siquidẽ uſque ad illud tẽpus filij Iſrael adolebant illi (ſcilicet æneo ſerpenti) incenſum. Nec fortaſsis propterea Rex prudentiſsimus illum perdidiſſet, ſi in populo ſpem conuerſionis aliquam cognouiſſet. Sed conſiderans Rex ſapientiſsimus, populũ illum

Sap. 14.

Eſai. 42.

Exod. 34.

4. Reg. 18

ad idololatriam semper fuisse pronum, utpotè qui non semel tantum, aut iterum, uerum sæpissime similia pro Dijs coluerit sculptilia: à quo errore credens populum, nisi serpentem confregisset, aliter reuocari non posse; ideo tunc meritò confregit. Ne uerò ex serpentis destructione ira, aut dolore populus afficeretur, credens ex ipsius fractione se aliquod numen perdidisse; serpenti nomen imposuit, uocauitque nomen eius Nehestan: quo audito intelligerent, non esse id, quod putabant. Nehestan enim interpretatur ęs eorum lingua, ut quem illi pro Deo colebant, in dictis eius metallum eum esse, & non Deum cognoscerent. Itaque pariter si Christi populus nunc, quemadmodũ tunc Hebræus erat populus (quod Deus auertat) ad idololatriã æquè esset pronus, ita ut ab errore aliter quàm destructis imaginibus reuocari non posset, tunc ad tempus eas meritò confringi debere crederem. Illę enim, quæ necessaria non sunt, licet bona quantumlibet sint, sæpe tamen ad tempus tolluntur, aut prorsus abrogantur, propter mala, quæ inde oriri cognoscuntur. Sic ergo etsi imaginum usus bonus sit, & Ecclesiæ utilis, si tamen inde idololatria oriretur, cui aliter iudicio Ecclesiæ obuiari non posset, quàm imagines, picturasq; destruendo; tunc censerem ipsas imagines, non ex libera uniuscuiusque hominis uoluntate, sed ex ipsius Ecclesiæ catholicæ imperio è medio ad tempus tollerentur. At cum nunc fidelis Christi populus ad idololatriam pronus non sit, ut Israeliticus fuit populus, quoniam neq; uitulis immolauit, nec Beelphegor unquã est imitatus, nec adorauit Moloch Ammonitarum idolum, neq; Astarthen Sidoniorum Deam, neq; Dijs alienis incensum adoleuit, nec ipsis statuas, aras, lucos erexit, filios suos per ignem non traduxit, Baal non seruiuit, neq; militiam cæli coluit, nec ei altaria fecit. Quapropter non est nũc aliqua talis in Christi populo urgens causa, ob quam imagines, & picturæ à templis Dei abradi debeant: nec prohiberi, ne in futurum de nouo construantur: quemadmodum tunc apud Israeliticos fuit. Si uerò casu accideret, unũ, aut alterũ simplicitate, aut ignorantia deceptum circa imagines ipsas errare; non propterea ab Ecclesijs imagines sunt prorsus tollendæ, uti nonnulli pessime fecerunt: sed tales sunt instruendi, atq; docẽdi. Leges enim, & statuta nõ paucorum numerũ, sed maiorem populi respiciũt multitudinẽ. Qua in re. D. Grego. ut habetur de consecr. dist. 3. cap. Perlatũ. Seruiũ

D. Greg. de cõsecr. dist. 3.

Seruiũ Epiſcopũ Maſsilienſem, per epiſtolá redarguit, ꝙ incon ſiderato zelo Sanctorum imagines fregerit, ne à populo adorarentur, dicens. Perlatum eſt ad nos, quòd inconſiderato zelo ſuccenſus Sanctorum imagines, ſub hac quaſi excuſatione, ne adorari debuiſſent, confregeris. Et quidem quia eas adorare uetuiſſes, omnino laudamus: fregiſſe uerò reprehendimus. Adorandę ſunt igitur Sanctorum imagines, non quidem ſecundum ſe ipſas: ſed ut nos ad exemplar, id eſt ad id, cuius ſunt imagines, conducunt. Poſſet autem quiſpiam dicere. Si Sanctorum imagines non ſunt uenerandæ, niſi inquantum nos ad ipſum prothotypum, id eſt ad exemplar trahunt; nonne melius eſſet, Sanctos in ſpiritu uenerari, illoſq; inuocare, quàm ſub illis imaginibus, & picturis? quæ cum aliquid petimus, non intelligunt: cum clamamus, non audiunt: cum lachrymas effundimus, non uident: & cum illas amplectimur, non ſentiunt: iuxta illud prophetæ in pſal. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non uidebunt. Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo. Huic autem obiectioni abſque difficultate poſſumus ſatisfacere dicendo: quòd ſicut illas ſecundum ſe ipſas nõ adoramus, ſed Sanctos, quorum ſunt imagines, in ipſis ueneramur; ſic pariter cum à Chriſto aliquid petimus, & Sanctos propterea inuocamus, non picturas, neque ipſorum imagines ad hoc rogamus: ſed in ipſis Chriſto Domino noſtro ſupplicamus, Sanctoſq; ſuos inuocamus, atque ueneramur. ad quod non parũ huiuſcemodi imagines conferunt, & picturæ: quemadmodum pulcherrimè oſtendit Ioan. Damaſc. in 4. lib. fidei orthodoxæ. cap. 17. quod iuxta nouam tranſlationem, de imaginibus intitulatur, dicens. Quia nonnulli nobis exprobrant, quòd adoramus, & ueneramur Saluatoris noſtri imaginem, & Reginæ noſtræ Deiparæ, inſuper & reliquorum Sanctorum, & famulorum Chriſti; audiant, quòd à principio Deus hominem fecit, &c. Et poſt multa numerata myſteria, ex quo Deus factus eſt homo, ita ſubintulit. Hæc omnia ſecundum ueritatem ſunt geſta, & uiſa ab hominibus, & ſcripta ob memoriam: cum præſentes non eſſemus. Et quia non omnes literas norunt, nec lectioni incumbunt; patres noſtri conſenſerunt, uelut trophæa, hæc imaginibus repræſentare, ad promptam memoriam. Et infra

Dubitatio.

pſal. 113.

Reſpon.

Ad quid ſunt inſtitutæ imagines. Ioan. Damaſc.

sra ulterius subdit identidem de matris imagine. Nam honor in ipsam, in illum, qui ex ea incarnatus est, reuocatur. Similiter autem & Sanctorum fortia facta præparant nos ad fortitudinem, & zelum, & imitationem uirtutis eorum, & gloriam Dei. Vt enim diximus, honor, qui dignis, gratisq; exhibetur conseruis, beneuolentiæ ad communem Dominum præferunt indicium. Hæc ille.

Triplex ratio institutionis imagi. Ratio prima. Conc. 6. Const. 3.

Ex his uerò tres pro ueneratione ipsarum imaginum colligi possunt rationes. Quarum prima est, propter bene gestorum commemorationem, ibi. Ob memoriam conuenit enim fortia gesta illustrium uirorum, ad eorum gloriam memorandam, repræsentare. Hanc rationem tãgit etiam sexta Synodus Vniuers. Constant. 3. can. 82. dicens. Per humanã Saluatoris nostri Iesu Christi effigiem, humilitatem Dei uerbi contemplamur, & uelut manu ducimur ad memoriam illius conuersationis in carne, & passionis, eiusq; mortis salutaris, & redemptionis, quæ huic mundo facta est. Hanc quoque rationem citat Gratianus de consec. dist. 3. cap. Venerabiles. dicens. Venerabiles imagines Christiani non Deos appellant, neque seruiunt eis ut Dijs, neq; spem salutis ponunt in eis, neq; ab eis exspectant futurum iudicium, sed ad memoriam, & recordationem primitiuorum, uenerantur eas, & adorant: sed non seruiunt eis cultu diuino, nec alicui creaturæ.

Gratian. de cõsec. dist. 3. ca. Venerabiles.

Ratio secunda.

Secunda ratio est, pro uulgi eruditione, ibi. Et quia non omnes literas norunt, nec lectioni incumbunt, patres nostri consenserunt hæc imaginibus repræsentare, ad promptam memoriã. Hæc ratio pariter tangitur à Gregorio 1. à Gratiano, cap. Perlatum, citata. Nam quod legentibus scriptura, hoc & idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa ignorantes uident, quid sequi debeant, in ipsa legunt, qui literas nesciunt. Nonne & nostri Germani professores mathematici ephemerides, non literis impressas, sed imaginibus pictas, pro rusticali, idiotaq; gente singulis annis imprimi curant? Non solum autem rudibus utiles sunt imagines, & picturæ, uerum & doctis. Ait enim philosophus in procemio Metaphysices, sensum uisus ceteris omnibus esse præstantiorem, propter suam certitudinem. Si igitur ea, quæ de Sanctis per aures audimus, ad memoriam reducimus; quanto magis illa ipsa, quorum uisu instruimur, corde, & animo amplecti debemus? Si uero isti duo sensus insimul cõiuncti

Greg de consecr. dist. 3. ca. Perlatũ.

Procem. Metaph.

iuncti hoc illud efficacius indicant, quod unuſquiſque ſolus leuiter ſeparatim oſtendebat; profectò illud ipſum ſpernere non debemus: nam ex his duobus ſenſibus, auditu ſcilicet, & uiſu, ſimul coniunctis ad optimam cuiuſlibet rei peruenimus cognitionem. Quod etiam confirmat uniuerſalis Synodus. 7. Nicæna. 2. actio. 6. ſub finem dicens. Nam quæ leguntur, ubi ad aures uenerint, ad animum deinde legamus, & tranſmittimus: & quæ oculis uidemus in picturis, ea quoque mente complectimur: atque ita per duo iſta inuicem conſequentia, lectionem & picturam, unam cognitionem acquirimus, qua ad recordationem rerum geſtarum peruenitur. Vnde ex duobus illis ſenſibus in Canticis canticorum inuenire licet efficacem coniunctionem. Sic .n. ibi dicitur. Oſtende mihi faciem tuam, & audire fac mihi uocem tuam, &c. Quibus & adiungimus illud. Sicut audiuimus, ita & uidimus. Idē approbat & Concil. 8. Vniuerſ. Conſtantinop. 4. can. 3. dicens. Sicut. n. per ſyllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, ſalutem conſequuntur omnes; ita per colorum imaginariam operationem & ſapientes, & idiotæ cuncti, ex eo quod in promptū eſt, perfruūtur utilitate. Quæ. n. in ſyllabis ſermo, hæc & ſcriptura, quæ in coloribus prædicat, & commendat. Dignum eſt enim ut ſecundum congruentiam rationis, & antiquiſsimā traditionem propter honorem, quia ad principalia ipſa refertur, etiam deriuatiuæ imagines honorentur, & adorentur, ut ſanctorum Euangeliorum ſacer liber, atque typus pretioſæ crucis. Sunt etiam nonnulli, ijq; ingenio præditi, qui ob certitudinem, & conſtantiam ſenſus uiſus præ alijs ſenſibus, loco ſcripturę nonnullis utuntur imaginibus. Cuius rei apertiſsimum eſt teſtimonium, quòd (uti recitat Alphonſus de Caſtro in ſuo lib. aduerſus hæreſes, cap. de imaginibus) in ea parte mundi, quam Hiſpani immenſa, & diuturna nauigatione uerſus Occidentem, ultra columnas Herculis nauigātes, ſub Carolo huius nominis quinto Cęſare inuictiſsimo inuenerunt, nullæ apud homines illius terræ ſunt literæ repertæ: ſed imagines, quibus loco literarū illæ gentes utebantur. Imagines ſiquidem taliter pingebāt, ut res poſſent, quas uoluiſſent, aperte ſignificare. Et hoc non in uno, aut altero tantum loco, ſed cum ultra ſexcentas leucas per terram perrexiſſent, nulla unquam literarum ueſtigia inuenerunt, ſed ſolum imaginum uſum. Nec aſcribendum eſt hoc eorum ruſticitati: cū gens illa acutiſsimi,

Conc. 7. Nicæ. 2.

Conc. 8. Conſt. 4.

Alphonſus de Caſtro.

acutissimi & uiuicacissimi sit ingenij, & quæ in aliquibus artibus mechanicis subtilissime operetur, & ciuitates habeat frequentissimi populi. Nam de Themistitam dicunt, qui uiderunt, esse oppidum habens plusquàm ducenta milia domorum. Et cum hęc omnia adfuerint; literæ tamen deficiebant.

Ratio tertia.

Tertia ratio est, ad imitationem, pro feruoris excitatione, ibi. Similiter autem & Sanctorum fortia facta præparant nos ad fortitudinem, & zelum, & imitationem uirtutis eorum, & gloriam Dei, &c. Negare.n. non potest quis, humanos affectus promoueri sensibilibus, ac mentem ipsam non solum excitari, uerum excitatam inflammari. Quis tam ferreus, ut attente intuens imaginẽ filij Dei, nostri causa, flagellati, coronati, & cruci affixi, dolore quodam non afficiatur? Quis tam tristis, tam spe destitutus, qui non exhilarescat, cum uictorem Iæsum potentissime à morte resurgentem, gloriosissime triumphãtem, nobisq; cælestia regna spectant reserantem? Hanc quoque rationem tangit & D. Gregorius loco superius assignato. Quæ etiam tacta fuit à Conc. uniuersali sexto, Constantinop. 3. can. 100. Vbi prohibendo pictoribus, ne impudicas picturas in Ecclesiis depingerent, ait. In Ecclesia non essent admittendæ picturæ, nec imagines, nisi castissime, atq; ad deuotionem prouocantes, &c. Sapientissime igitur maiores nostri, diuino afflati spiritu imaginum usum statuerunt, tanquam rudibus, & idiotis necessarium, eruditis uerò commodissimum. Vnico.n. imaginum intuitu Christi, Sanctorumq; omnia contemplari ualemus mysteria.

Concil. 6. Const. 3.

Dubitatio.

Dubitabit uerò ex supradictis aliquis dicens. Si Christi imago, & ea, quæ ipsius fuerunt, propter rationes assignatas, latria sunt adoranda; multò magis homo quilibet latria esset adorandus: ex eo quòd in anima Dei imaginem habet impressam. Legitur enim Gen. 1. Deum ad imaginem, & similitudinem suam creasse hominem: quod magis est, quàm Christi imago, quæ illum non ratione diuinitatis, sed humanitatis repræsentat. Similiter Beata Virgo, quæ non solum Christum tetigit, uerum ipsum ex Spiritu sancto concepit, & in utero mensibus nouẽ portauit, peperit, lactauit, & contrectauit. Si autem Beata Virgo propterea non est adoranda, neque homo propter Dei imaginem; multò minus uideretur, talem Christi imaginem, & ea, quæ ipsius fuerunt, ratione contactus esse adoranda. Huic est satisfa-

Gen. 1.

Respon.

ſatisfaciendum, quemadmodum ſuperius eſt dictum, ſoli Deo latriam conuenire: rationali uerò creaturæ & ſoli duliam: ceteris autem creaturis nullus prorſus debetur honor, uel reuerentia, niſi ratione eorum, quorum ſunt. Quod fit dupliciter. Vno modo, inquantum illa repræſentant. Alio modo, inquantum eis quocunque modo coniunguntur. Itaque primò modo conſueuerunt homines Imperatoris imaginem uenerari: ſecundò eius ueſtimentum. utrunq; enim uenerantur homines eadem ratione, qua & Imperatorem ipſum: quemadmodum ſuperius eſt oſtenſum. Quod erga perſonas eidem Imperatori coniunctas, uxorem uidelicet, & filios, non eſt obſeruandum: ne illi, cum ex ſeipſis honoris ſint capaces, Imperatoris uenerationem uſurpent: uel alij ipſam eis tribuant: hunc honorem exiſtimantes non Imperatoris gratia, ſed propter eos ipſos, illis conuenire: quod apud homines de facili poſſet oriri. quod erga ipſius imaginem, & indumenta, non poteſt fieri: cum hoc rerum genus honoris capaces non eſſe, quilibet expreſſe poſsit cognoſcere. Sic pariter de homine ad imaginem Dei creato, & de beata Virgine propter Chriſti contactum eſt aſſerendum. Nam ſi homini propterea exhiberetur latria; erroris occaſio poſſet oriri, ut.ſ. adorantis motus in homine ſiſteret, inquantũ homo eſt: & in Deum non dirigeretur, cuius imago eſt. Quod de imagine ſculpta, uel picta in materia ſenſibili cõtingere nõ poteſt: cum ab hominibus cognoſcatur, huiuſmodi creaturas nullius honoris eſſe capaces. Et pari ratione, nec B. Virgini, ut rei Chriſto coniunctę, ne motus adorationis ſiſtat in ipſa ſecundum ſe, & non feratur in Chriſtum. Quod pariter dicendum eſt de ipſius Chriſti humanitate: quæ ſecundum ſeipſam propterea latria non eſt adoranda, ſed ratione tantum coniunctionis cum Chriſti diuinitate: uti ſuperius dictum eſt. Verum inſtabit adhuc aliquis dicens. Si Chriſti humanitas ſecundum Inſtãtia.
ſe dulia eſt adoranda, & ratione cõiunctionis cum diuinitate, latria; quare & beata Virgo ſecundum ſe dulia, ſiue hyperdulia, & propter Chriſti contactum latria non eſt adoranda? Ad hoc etiam dicitur, maximam inter coniunctionem humani- Reſpon.
tatis Chriſti cum diuinitate, & unitatem contactus B. Virginis cum Chriſto eſſe differentiam: cum iſta fuerit diſſolubilis, illa uerò minime. Nam diuinitas, & humanitas in unum ita conuenere, quòd ab inuicem ſeparari fuit, & eſt impoſsibile.

Bernard. Quapropter D. Bernardus dicebat. Filius Dei cum natura nostra tam indissolubili copulatus est uinculo, ut in tam numerosa rerum multitudine nulla reperiatur, quã ab ea excedi non fateamur: cum docente Augustino didicerimus, potiorem unionem obtinuisse hominem in Filio Dei, quàm (mirabile dictu) ipsemet Filius in Patre, cum quo tam singulariter unus est. Et ideo non mirum, si humanitas in Christo latria est adoranda: cum non ob ipsius cum diuinitate contactum ueneretur, sed propter indissolubilem utriusque unionem, qua diuinitas, & humanitas unam constituunt personam, quæ proprie, & uere est ipse Christus, uti & Athanasius in suo Symbolo ostendit dicens. Athanas. Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo; ita Deus, & homo unus est Christus. Et ideo nullus propterea apud homines error potest oriri, quemadmodum de beata Virgine: ex eo quòd humanitas à diuinitate unum esse distinctum non habet, sicut beata Virgo. Vel dicendum, humanitatem in Christo dulia sine latria non esse adorandam, ad euitandam errandi occasionem: quia potuisset aliquis pensitare Christum purum esse hominem, hæresim Ebionis, & Cherinti renouando, iam dudum ab Ecclesia damnatam. Cuius causa Ioannes Euangelista, ut Christum non solum hominem, uerum & Deum esse ostenderet, suum conscripsit Euangelium. Quo circa sicut personam Christi non nisi latria ueneramur, ad euitandum errorem recurrentium ad Christum, ut puram creaturam; ita personam bea. Virginis sola hyperdulia honoramus, ad euitandum errorem eorum, qui latriam terminarent ad beatam Virginem, secundum se.
Non enim plebs tantum penetraret, ut Christum in
beata Virgine latria adoraret, & seorsum ip-
sam secundum se hyperdulia honoraret:
sine qua discretione error accideret.
Et ideo simpliciter dicitur,
Mariam Virginem non
latria, sed hy-
perdulia,
esse adorandam,
&cet.

De

De numero Sacramentorum. Art. VIII.

QVANTO magis quidpiam naturæ humanæ ſaluti eſt proficuum; tanto magis inimicus ille Dei, & hominum Diabolus, hoc illud à nobis prorſus ſubtrahere ſatagit: quapropter cum Sacramenta homini ita ſint ſalutaria, quòd ſine ipſis Dei gratiam, & ſalutem æternam aſſequi non poſsit; hæc ipſa ſuos per ſatellites Satan ille omnino abolere curauit. Non pauci enim ueluti Rutheni, & Vualdenſes, atque Vuicleffitæ confirmationis, & extremæ unctionis abiecerunt Sacramenta. Nonnulli uerò Græcorum confirmationem tantum, Cathari pœnitentiam, Heraclitæ, & Albanenſes extremam reſpuerunt unctionem. Tatiani autem, & Marciani, Carthaphrygij, Manichæi, Abeolitæ, Adamitæ, cum alijs Armenorum nonnullis matrimonium negarunt. Quos noſtri noui imitantes Chriſtiani, monſtra parturierunt infinita, quilibet non tantum alteri, uerum & ſibi ipſi, circa horum numerum, contradicendo, ut ſuam nobis indicarent concordiam illis, à Diabolo præſtitam. Nam Martinus quintus illorum Euangeliſta Lutherus, in principio ſuæ captiuitatis Babylonicæ tria quidem ponit Sacramenta, baptiſmum, panem, & pœnitentiam: aſſerens tamen, ſi ſecundum ſcripturam loqui uellit, unum tantum eſſe Sacramentum, baptiſmum uidelicet, & tria ſigna Sacramentalia. Nam Euchariſtia, & Abſolutio, inquit ille, ſunt rememoratiua promiſsionis, & adoptionis baptiſmi. Quem in hoc Sacramentorum numero ſecutus eſt cum tota Confeſsioniſtarum turba Philippus Melanthon, uti ex ipſorum confeſsionis Apologia, & ex ſecunda locorum communium editione, uideri poteſt. Deinde Martinus in fine eiuſdem captiuitatis Babylonicæ, & ad Vualdenſes, duo tantum Sacramenta admittit dicens. Si rigide loqui uolumus, tantum duo ſunt in Eccleſia Dei Sacramenta. Baptiſmus, & panis. Ita & Melanthon in annotationibus ad Roman. capit. vndecimo, & in libello contra Anabaptiſtas. In poſtrema uerò locorum editione quatuor ipſe Philippus admittit: his duobus claues, & manuum impoſitionem annumerando, ſiue addendo. Vuilhelmus autem Poſtellus in Panthenoſia, ubi ſe Heliam fingit Pandochæum, ait.

Sacramenta ſemper ſex fuiſſe: & alicubi ſeptem quoque admittit. Ioannes uerò Caluinus, & Vlricus Zuuinglius cum Andrea Caroloſtadio duo quidem admittunt Sacramenta, baptiſmū, & Cœnam Domini. ſed de ipſis, pręcipue de pane, male ſentiūt: dicentes, uerum, & ſubſtantiale Chriſti corpus in ipſo non eſſe ſacramento, uti inferius loco ſuo dicetur. Vbi & nonnulli alij horum, diuerſimode tamen, adherentes opinioni deſcribentur. Quorum traditionem erroneam ultimatè ſecutus eſt & Annas Burgenſis: hæc duo tantū admittendo ſacramenta, baptiſmum uidelicet, & Cœnā Dominicā, & utinam bene, cum & de his nō recte ſenſerit. Reliqua uerò quinq;, confirmationem, pœnitentiam, ordinē, extremam unctionem, & matrimonium prorſus negando dicens. *Credo prꝫterea ſacramenta, quæ ueræ Eccleſiæ inſignia ſunt, eſſe notas fœderis inter nos, et Deum Patrem per Ieſum Chriſtū facti: obſignationem promiſſorū Dei, et ſymbola externa, atq; aſpectabilia rei inferioris, & inuiſibilis: eaq; numero eſſe duo duntaxat, baptiſmum .ſ. & cœnam Dominicam: eaq; non inania eſſe ſigna, ſed ſolida et plena, id eſt non tantum ſigna ſignificantia, ſed etiam uerè exhibentia rem, quam ſignificant: quemadmodum poſterius,* Deo *uolente, exponemus. Quod autem ad alia illa quinque attinet, quæ magna ſuperſtitione ab Eccleſia Papiſtica recepta ſunt, confirmationem ſcilicet, confeſſionem, matrimonium, & manuum impoſitionem, ſiue ordinem, & unctionem; dico illa omnia fuiſſe cæremonias Eccleſiaſticas; quibus ſancti patres ſuo tempore pie, & ſine ulla ſuperſtitione ſunt uſi. Quibus etiam hoc tempore ad illorum exemplum uti liceret: modo id ſine errore, abuſu, corruptela, & ſuperſtitione fieret: & ſalua ſemper maneret Chriſtiana, & Euangelica libertas, quæ conſcientias noſtras liberat omnibus externis cæremonijs, quæ ab hominibus ſine Verbo Dei inſtitutæ ſunt.* Vt autem huic Burgenſis impietati ſatisfaciam; duo obſeruanda eſſe duxi. Primò non ab re Sacramenta ſeptem, pro noſtra ſalute inſtituta eſſe, ex doctrina D. Thomæ Aquinatis in communi oſtendere neceſſarium iudicaui. Deinde illa ipſa omnia, & non tantum duo, non ſine Dei uerbo ab Eccleſia fuerunt acceptata, quod in ſequentibus manifeſtabitur articulis. Primum equidem deſcribit Aquinas 3. q. 65. art. 1. in cap. dicens. Sacramenta Eccleſiæ ordinantur ad duo ſcilicet ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum Dei, ſecundum religionem Chriſtianæ uitæ, & etiam in remedium contra defectum peccati. Vtroque autem modo conuenienter ponuntur. 7. ſacramenta. Vita enim ſpiritualis

Aquinas.

ritualis conformitatem aliquam habet ad uitam corporalem: ſicut & cetera corporalia conformitatem quandam ſpiritualium habent. In uita autem corporali dupliciter aliquis perficitur. Vno modo, quantum ad perſonam propriam. Alio modo, per reſpectum ad totam communitatem ſocietatis, in qua uiuit: quia homo naturaliter eſt animal ſociale. Reſpectu autem ſuijpſius perficitur homo in uita corporali dupliciter. Vno modo per ſe, acquirendo ſcilicet aliquam uitæ perfectionem. Alio modo per accidens, ſcilicet remouendo impedimenta uitæ: puta ęgritudines, uel aliquid huiuſmodi. Per ſe autem perficitur corporalis uita tripliciter. Primò quidem, per generationem, per quam homo incipit eſſe, & uiuere. Et loco huius in ſpirituali uita eſt baptiſmus, qui eſt ſpiritualis regeneratio: ſecundum illud ad Tit. 3. Per lauacrum regenerationis, &c. Tit. 3. Secundò, per argumentum, quo aliquis perducitur ad perfectã quantitatem, & uirtutem. Et loco huius in ſpirituali uita eſt confirmatio, in qua datur Spiriritus ſanctus ad robur. Vnde dicitur diſcipulis iam baptizatis. Luc. ultimo. Sedete in ciuitate, quoadusque induamini uirtute ex alto. Luc. 24. Tertiò, per nutritionem: qua conſeruatur in homine uita, & uirtus. Et loco huius in uita ſpirituali eſt euchariſtia. Vnde dicitur Ioan. 6. Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Et hoc quidem ſufficeret homini, ſi haberet & corporaliter, & ſpiritualiter impaſsibilem uitam. Sed quia homo incurrit interdum & corporalẽ infirmitatem, & ſpiritualem, ſcilicet peccatũ; ideo neceſſaria eſt homini curatio ab infirmitate. Quæ quidem eſt duplex. una quidem eſt ſanatio, quæ ſanitatem reſtituit. Et loco huius in ſpirituali uita eſt pœnitentia: ſecundum illud pſal. Sana animam meam: quia peccaui tibi. Pſal. 40. Alia autem eſt reſtitutio ualetudinis priſtinæ, per conuenientem dietam, & exercitium. Et loco huius in ſpirituali uita eſt extrema unctio: quæ remouet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam. Vnde dicitur Iaco. 5. Etſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Iacob 5. Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Vno modo per hoc, quòd accipit poteſtatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos. Et loco huius in ſpirituali uita eſt ſacramentum ordinis: ſecundum illud Hebr. 7. quòd ſacerdotes hoſtias offerunt nõ ſolum Hebræ. 7.

pro ſe,

pro se, sed etiam pro populo. Secundò, quantum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium, tàm in corporali, quàm in spirituali uita: eo ꝙ est non solum Sacramentũ (quod & ab Apostolo dicitur magnum) sed naturæ officium. Ex his etiam patet Sacramentorum numerus, scilicet quòd ordinãtur contra defectum peccati. Nam baptismus ordinatur contra carentiam uitæ spiritualis. Confirmatio, contra infirmitatẽ animi, quę in nuper natis inuenitur. Eucharistia, contra labilitatẽ animi ad peccandum. Pœnitentia, contra actuale peccatũ post baptismum commissum. Extrema unctio, contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia. Ordo, contra dissolutionem multitudinis. Matrimonium, in remedium contra concupiscentiam personalem, & cõtra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Quidam uero accipiunt numerum Sacramentorum, per quandam adaptationem ad uirtutes, & ad defectus culparum, & pœnalitatum: dicentes, quòd fidei respondet baptismus: & ordinatur contra culpam originalem. spei, extrema unctio: & ordinatur contra culpam uenialem. charitati, eucharistia: & ordinatur contra pænalitatem malitiæ. prudentiæ, ordo: & ordinatur contra ignorantiam. iustitiæ, pœnitentia: & ordinatur contra peccatum mortale. temperantiæ, matrimonium: & ordinatur contra concupiscentiam. fortitudini, confirmatio: & ordinatur contra infirmitatem. Ne uerò Annas nobis se opponat dicens, confirmationem, pœnitentiam, ordinem, extremam unctionem, & matrimonium obseruanda quidem esse, tanquam cæremonias à sanctis patribus institutas, non tamen tanquam inuisibilis gratiæ signa, siue symbola externa, atque aspectabilia, ipsam gratiam conferentia, quemadmodum baptismum, & eucharistiam, ex eo quòd ab hominibus absque Dei uerbo sint instituta; hæc ipsa ex Christi doctrina nobis ab Ecclesia esse tradita, de unoquoque sigillatim diffusius describere decreui: quamuis hoc idem in isto articulo, satisque ostensum sit.

Ephes. 5.

De confirmatione. Art. I X.

QVA fronte potes ò Anna, affirmare, confirmationem ab hominibus absque Dei uerbo institutam fuisse? Tu

baptismum

baptiſmum, & Cœnam Dominicam admittis, ex eo, quòd de illo Ioannes tertio, & Marcus ultimo, & de pane Ioannes ſexto, & in cœnæ inſtitutione mentionem faciunt Euangeliſtæ. Quare confirmationem reſpuis, cuius mentio pariter diuerſis in locis fit ab Euangeliſtis, & in Actis Apoſtolicis? Confirmatio enim nihil aliud eſt, quàm augmentum gratiæ, qua roboramur contra tentationes omnes, ad ſpiritualem pugnam, & confirmamur. Quam Chriſtus ipſe ſuis diſcipulis poſt gratiã in baptiſmate conſecutam, primò promiſit, ultimate ex alto illis ipſam tranſmiſit. De primo enim habetur Io. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit uobis. De quo eodem in loco etiam mentionem facit dicens. Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille uos docebit omnia. Item. 15. Cum autem uenerit Paracletus, quem ego mittam uobis à Patre, Spiritum ueritatis, qui à Patre procedit; ille teſtimonium perhibebit de me. Item. 16. Si non abiero, Paracletus non ueniet ad uos. Si autem abiero, mittam eum ad uos. Deinde poſt reſurrectionem dixit illis. Ego mittã promiſſum Patris mei ad uos. Vos autem ſedete in ciuitate quoadusque induamini uirtute ex alto. Tali uerò uirtute, ideſt Spiritus ſancti gratia in die Pentecoſtes induti fuere, quemadmodum habetur Act. 2. Qua ſcilicet die repleti ſunt omnes Spiritu ſancto: cuius uirtutem poſtea Apoſtoli & ceteris in Chriſto baptizatis, per manuum impoſitionem conferebant, uti habetur octauo capitulo: ubi ſic legitur. Cum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant in Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria uerbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem. Qui cum ueniſſent, orauerunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in quenquam illorum uenerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Item Epheſij, In nomine Domini Ieſu Chriſti baptizati, per Pauli manus impoſitionem ſanctum acceperunt Spiritum. Ad cuius etiam corroborationem Clemens Petri Apoſtoli ſucceſſor, ab eoq; educatus in epiſtola ad diſcipulos ſuos prima ait, Cum quis regeneratus per aquam fuerit, poſtmodũ ſeptiformi Spiritus gratia ab Epiſcopo confirmetur: quia aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquã poterit, ut à B. Petro accepimus, & ceteri ſancti Apoſtoli præcipiente Domino

Ioan. 14.
Ioan. 15.
Ioan. 16.
Luc. 24.
Act. 2.
Act. 8.
Act. 19.
Clemens.

Euseb.Pa. Domino docuerunt. Idem Eusebius Papa, & martyr in episto-
Melchia. la ad Episcopos Campaniæ, & Tusciæ, & Melchiades in suo de
Fabia. creto, & Fabianus Papa, pariter, & martyr ad Episcopos Orien
August. tales, & Augustinus lib.2.cap.104.contra literas Petiliani, do-
cuerunt. Quorum uerba breuitatis causa, omittenda esse iu-
dicaui.

De pœnitentia. Art. X.

POenitentiæ etiam sacramentum, quo uultu à sacris audes remouere literis: cum diuersis in locis de ipso mentio fiat? Quod ut magis clarescat, ad ipsum pœnitentiæ nomen primum est descendendum, & unde dicatur inquirendum. Nonne pœnitentia à puniendo dicitur, qua quis punit illicita, quæ commisit, ut eorum à Domino ueniam impetrare possit? Ergo pœnitentiæ finis, atque perfectio est delictorum relaxa-
Hieron. tio. quod & Hierony. confirmat dicens. Est enim pœnitentia secunda tabula post naufragium: quia si quis uestem innocentiæ in baptismo perceptam peccando corrumpit, pœnitentiæ remedio reparare potest. Cum itaq; ultimus pœnitentiæ finis, & perfectio, peccatorum sit remissio, & à nobiliori semper omnis fiat denominatio; quo colore, & qua ratione potes asserere pœnitentiam ab hominibus sine Dei uerbo institutam esse? cum expresse, atque manifeste Christus ipse auctoritatem remittendi peccata, quę est nobilior pars pœnitentiæ, atque perfectior, Petro tradiderit, & suis successoribus, dicens.
Math. 16. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.
Matt. 18. Deinde & reliquis inquiens, Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cælo. Quid est autem super terram soluere, & ligare, nisi pœnitentium peccata relaxare, & impœnitentium retinere? quod haudquaquam potest fieri absque
Ioan.20. Spiritus sancti operatione, uti Christus ipse Ioan. 20. clarius, atque expressius ostendit dicens. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Quid his clarius? quid euidentius? quid manifestius? Si itaque ô Anna, propter uerba Christi di-
Ioan.3. centis.3. Ioannis, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto,

ſancto,&c. Et Marc. ultimo. Ite docete omnes gentes, bapti- Marc. 16.
zantes eos, &c. Sacramentum eſſe affirmas, quod hominem
ei oblatum ab omnibus ſuis purgat peccatis, quod & uere di-
cis; quare pœnitentiam ſacramentum eſſe negas? quæ eodem
modo, eademque Chriſti auctoritate hominem à peccatis poſt
baptiſmum perpetratis, atque commiſsis Spiritus ſancti uir-
tute mundat: uti ex ſupradictis ipſius Chriſti uerbis oſtenſum
eſt ſatis. Confundaris ergo, aut cum catholica Eccleſia confi-
tearis, pœnitentiam non ſine uerbo Dei inſtitutam fuiſſe, &
à Chriſto Ieſu ſponſæ ſuæ Eccleſię, ad noſtra relaxanda pec-
cata, traditam eſſe. Hinc & Cyrillus in Ioannem lib. 12. cap. Cyril.
56. aiebat. Qua igitur ratione diuinæ naturæ dignitatem, ac
poteſtatem diſcipulis ſuis Saluator largitus eſt? quia certe ab-
ſurdum non eſt, peccata remitti poſſe ab illis, qui Spiritum
ſanctum in ſeipſis habeant. Nam cum ipſi remittunt, aut de-
tinent; Spiritus, qui habitat in eis, per eos remittit, & deti-
net. Erit autem id per eos duobus (ut arbitror) modis,
primum baptiſmo, deinde pœnitentia: inter quæ iſtam no-
uimus eſſe differentiam. Baptiſmum omnibus neceſſarium
ſimpliciter eſſe dicimus: pœnitentiam uerò niſi in mortale pec
catum lapſis: qua non omnes gaudere, fruique poſſunt, niſi
corporis Chriſti myſtici participes fuerint. Ideo Auguſti- Auguſt.
nus ſuper illis uerbis, Quorum remiſeritis peccata, remiſſa
ſunt, ait. Eccleſię charitas, quę per Spiritum ſanctum diffun
ditur in cordibus noſtris, participum ſuorum peccata dimit-
tit: eorum autem, qui non ſunt eius participes, tenet. Ideo
poſtquam dixit, Accipite Spiritum ſanctum; continuò de pec-
catorum remiſsione, & retentione ſubiecit. Ex quibus uer-
bis conijcere poſſumus, Annam Burgenſem ex parte uerum
dicere, nullum eſſe pœnitentiæ ſacramentum, in Synagoga
ſcilicet ipſorum, qui a catholicæ Eccleſię unitate ſunt ſepara-
ti. quod quàm optimè etiam demonſtrat Rabanus ſuper illis
uerbis Chriſti ad Petrum directis, Et tibi dabo claues regni Matth. 16
cælorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum
& in cælis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum
& in cælis, dicens. Hęc autem ligandi, atque ſoluendi pote- Raban.
ſtas, quamuis ſoli Petro data uideatur à Domino, tamen &
cæteris Apoſtolis datur: necnon etiam nunc in Epiſcopis, ac
Presbyteris omni Eccleſię. Sed ideo Petrus ſpecialiter claues

regni cælorum, & iudiciariæ potestatis accepit principatum, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei, uel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec uinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cælorum ingredi. Nulla itaque in hæreticorum Synagoga pœnitentiæ uirtus reperiri potest, quæ totaliter Ecclesiæ catholicæ unitati, eiusque participibus est annexa, in illorumque cordibus diffusa. Pœnitentia uerò ipsa ęquè omnibus tàm hæreticis, & schismaticis, quàm Ecclesiæ catholicæ fidelibus contra Dominum peccantibus, dicente

Matth.21. Domino, Non ueni uocare iustos, sed peccatores, ad pœnitentiam, est præposita. Non est enim tàm immane scelus (ut ait &

Cyprian. Cyprianus in sermone de Cœna Domini) quod non remittat

Luc.15. Deus uerè pœnitenti. qui ait apud Lucam. 15. Ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

Gelas. Quod confirmat & Gelasius Papa in tomo, quem fecit de uinculo anathematis super acta Concilij Chalcedonensis, cap.3. dicens. Nullum est peccatum, pro quo, aut non oret Ecclesia remittendum, aut quod data sibi diuinitus potestate, desistentibus ab eodem, non possit absoluere, uel pœnitentibus re

Matt.16. laxare: cui dicitur. Quęcunque ligaueris super terram, &c.

Ambr. Vnde Ambro. lib. 2. de pœnitentia, cap.4. Omnibus enim con uersis pollicetur ueniam (scilicet Deus) quia scriptum est. Om

Iohel.2. nis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Vera

Quid sit pœnitentia. autem pœnitentia est, non solum (ut aiunt hæretici) uitam emendare, sed etiam iniquitatum præteritarum illos pœnite-

Grego. re. quod est, ut ait D. Gregorius, homil. 34. perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Ideo homil.39. aiebat. Mala, quę fecimus, per quotidiana lamenta diluamus: transactas nostras nequitias, surgentia ab amore Dei, & pro-

Ambro. ximi recta opera superent. Et Ambro. lib. 2. de Pœnit. cap.5. Qui enim agit pœnitentiam, non solum diluere lachrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta superiora, ut non imputetur pecca-

Hiere.3. tum. Ergo tegamus lapsus nostros posterioribus factis, mundemus fletibus, ut audiat nos Dominus Deus noster, ingemiscentes, sicut audiuit lachrymantem Effrem, quemadmodum scriptum est, dicente Deo. Audiens audiui Ef-

frem

frem lachrymantem. Hoc etiam Dominus apud Ezechiel. Ezech.18
decimo octauo oſtendit dicens. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt; & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, uita uiuet, & non morietur. Ecce quomodo Deus expreſſe indicat, ad uitam conſequendam, non ſat eſſe Dei præcepta cuſtodire, iudicium, & iuſtitiam, quæ ad nouam ſpectant uitam, obſeruare; ſed primò de omnibus perpetratis delictis pœnitentiam facere, eſſe neceſſe: ad quod peragendum, omnino in fine huius Dominus Deus, per os Prophetæ hortatur dicens. Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ueſtris: & non erit uobis in ruinam iniquitas. Proijcite à uobis omnes præuaricationes ueſtras, in quibus præuaricati eſtis: & facite uobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Proſpiciat unuſquiſque ergo, & uideat, quo modo differentiam facit Deus inter nouæ uitæ inchoationem, & ueterem. Primò enim ad conuerſionem hortatur, pœnitentiam de omnibus iniquitatibus agendo, illasq; à ſe proijciendo: deinde ad uitam nouam inuitat faciendam. Quid eſt autem præuaricationes, in quibus aliquis eſt præuaricatus, proijcere, niſi cordis compunctione, & lachrymarum effuſione, illarum pœnitere, & pro ipſis, ut dimittantur, Domino ſupplicare? Vnde & Eccleſiaſt. uigeſimo primo, aiebat, Filipeccaſti, ne adijcias iterum: & de priſtinis deprecare, ut dimittantur tibi. Sapiens enim poſtquam uitæ emendationem præceperat dicens, Ne adijcias iterum; tanquam hoc ſatis non eſſet, addidit, & de præteritis deprecare, ut dimittantur tibi. Hoc quoque manifeſtatur in Actis octauo, ubi ſic habetur. Cum enim Simon Magus Apoſtolis pecuniam obtuliſſet, ut ab eis poteſtatem Spiritus ſancti acciperet; ait illi Petrus. Pecunia tua tecum ſit in perditionem, &c. Deinde. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, &c. Primò ei mandat, ut pœnitentiam agat: deinde, roget pro uenia. Non enim peccatorum datur remiſſio, niſi eorum ex parte præceſſerit contritio, uti habetur de Magdalena apud Lucam ſeptimo. Quæ antequam ſuorum obtinuerit ueniam peccatorum, maximam oſtendit cordis pœnitentiam. Veram autem pœnitentiam ſupe-

Ezech.18 (beside "phetæ hortatur dicens")
Eccle.21. (beside "mino ſupplicare?")
Act.8. (beside "mittantur tibi. Hoc quoque")
Luc.7. (beside "de Magdalena")

rius esse diximus, perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Ideo Maria, ut cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Ecce maximam Mariæ peccatorum pœnitentiam: quæ cum inter illius ciuitatis mulieres omnium nobilissima esset, non est à uerecundia retenta, alterius domum ingredi, & ad pedes Domini, & retro, se proijcere. Et ad quid? pro uenia delictorum suorum impetranda: quod & lachrymarum effusio indicabat. quapropter sua remissa sunt

Tertul. peccata. Vnde Tertullianus in lib. de pœnitent. Quis enim pro suo delicto tantum perpessus est uerecundiæ, sicut adultera illa? quis peccatum suum deplanxit, ut Magdalena? Sed ad quid in his protrahere tempus? nonne Christus ipse, hoc do-

Matth. 11. cet? Legas Mat. 11. Væ tibi Corozaim, uæ tibi Betsaida: quia si in Tyro, & Sidone factę fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent. Hanc quoq;

Luc. 11. pœnitentiam apud Luc. 11. comendauit Christus, de Niniuitis loquendo, dicens. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam ege-

Ion. 3. runt in prædicatione Ionæ, quæ facta est in sacco, & cinere. Quapropter Deus illorum est misertus: quemadmodum & omnium aliorum, qui tali pœnitentia ad Dominum conuertuntur, continue miseretur. Sine qua nullus Dei misericordiam

Luc. 13. consequi potest. uti apud Luc. 13. manifestat Christus dicens. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

Luc. 17. Et. 17. ad suos ait discipulos. Attendite uobis. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. &c. Pœnitere autem debet quis (uti superius dictum est) cordis contritione, lachrymarum effusione, & corporis sui

Iohel. 2. maceratione. Quod docet & Dominus per Iohelem Prophetam. 2. cap. dicens. Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. &c. Quod etiam pulcher-

Ambr. rime. D. ostendit Ambrosius, exemplum sumendo de Dauide in Apologia ipsius, capit. 4. Peccauit, inquit Dauid, confessus est culpam, quod non solent Reges, obsecrauit indulgentiam humi postratus, deplorauit erumnam, ieiunauit, orauit. Quid horum fecisset, si non deliquisset?

Et Hieronymus in regula monachorum cap. 14. ait. Saccus, & ieiunium arma ſunt pœnitentiæ. Ieiunium curat uulnera delinquentis, curatosq; ſanctificat. Ieiunio paſsiones corporis, oratione peſtes ſanandæ ſunt mentis. Pœnitentia igitur (dicat quicquid uoluerit Burgenſis) delinquentibus, ad eorum uitam ueterem emendandam, atque renouandam, eſt neceſſaria. Quod & Auguſtinus, in libro de pœnitentia inſinuat dicens. Niſi autem pœniteat aliquem uitæ ueteris, nouam non poteſt inchoare. Hieron. Auguſt.

De ordine. Artic. XI.

DE ordinis quoque Sacramento, multis in locis apud ſcripturas canonicas fit mentio. De Epiſcopis enim habetur ab Apoſtolo ad Philip. 1. & ad Timoth. 3. 1. & ad Tit. 1. De Presbyteris uerò in epiſtola ad Timoth. 5. 1. & Act. 15. Et de Diaconis ad Philip. 1. & ad Timoth. 3. 1. & in Act. 6. Quæ omnia non abſq; Spiritus ſancti gratia fuere collata quod apertè oſtendit Apoſtolus ipſe 1. Timoth. 4. dicens. Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyteri. Et in epiſtola ad eundem ſecunda, cap. 1. Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt, per impoſitionem manuum mearum. Quibus uerbis Apoſtolus ſatis manifeſtè oſtendit, Timotheum ſuſcepiſſe Spiritus ſancti gratiam, cum ad Sacerdotij ordinem fuerat promotus. Hanc ob cauſam per orationem, & ieiunium Paulo, & Barnabæ manus ſunt impoſitæ, ex Spiritus ſancti commiſsione, uti habetur in Actis 13. Et ſeptem Diaconibus, inter quos unus fuit Stephanus. Act. 6. Si enim in ordinis collatione nulla infunderetur gratia, tanta præparatione opus non fuiſſet. Sed quia Apoſtoli certo credebant, his, quos ad ſacros promouebant ordines, Spiritus ſancti gratiam conferri; ideo ieiunijs, & orationibus, ad recipiendam Spiritus ſancti gratiam præparabantur. quemadmodum ipſi fecerunt Apoſtoli: qui cum Spiritus ſancti aduentum, ad eorum uitam ſpiritualem corroborandam expectarent; unanimes erant in oratione perſeuerantes, uti ſupra habetur. Act. 1. Quapropter D. Ignatius, Ioan. Euangeliſtæ diſcipulus, in epiſtola ad Trallianos, Epiſcoporum, Presbyterum, & Diaconorum dignitatem extollebat, quæ illis per manuum impo-

Philip. 1. 1. Tim. 3. & ad Ti. 1. 1. Tim. 5. & Act. 15. Philip. 1. & 1. Tim. 3. & Act. 6. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. Act. 13. Act. 6. Act. 1. Ignatius

impositionem collata fuerat. Et in epistola ad Antiochenses. Saluto sanctum Presbyterum uestrum. Saluto sanctos Diaconos, Subdiaconos, Lectores, & Cantores, Ostiarios, Laborantes, & Exorcistas, &c. Quorum etiam maiori ex parte mentionem faciunt canones Apostolorum. Concilium demũ Carthaginense 4. modum, quo huiuscemodi ordinis gradus sunt conferendi, & à quibus, determinat. Nam 1. 2. 3. & 4. cap. decernit, Episcopum, Presbyterum, & Diaconum, per manuum impositionẽ ordinari debere: ex eo, quòd & Apostoli tali modo usi sunt. Subdiaconorum uerò ordinationis modus quinto habetur cap. Acolytorum autem sexto, & Exorcistarum septimo. Lectorum demum octauo, & Ostiariorum nono assignatur. Cantorum institutio decimo describitur cap. Quorum omnia uerba recitare, causa prolixitatis uitandæ, omisi.

Can. Apostolorũ. Concil. Carthag. 4.

De matrimonio. Art. XII.

INSVPER matrimonij etiam statum respuere est ausus, cuius diuersis in locis sacrarum scripturarum tum ueteris, tũ nouæ legis (quas ipse amplecti confitetur) nobis fides redditur, atque præstatur: ex quibus ipsum matrimonium à Deo fuisse institutum, quilibet (nisi rationis expers fuerit) iudicabit. Nam habetur Gen. 1. Deum nostris primis parentibus creatis, ad Adam adduxisse Euam, &c. Et ne quis ad illum innocentiæ statum hoc tantum referret; subintulit. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Itaque per ipsum matrimonium ex duobus fit una caro. quod & in toto ueteri Testamento est obseruatum: ubi aperte inter mulieres à uiris per matrimonium cognitas, & extra, ostenditur differentia. Nam illæ uxores, istæ uerò concubinæ proprie uocantur. Habere enim uxorem licitum, ac iustum est, ob rationes superius assignatas: sed cõcubinam retinere peruersissimum dicimus esse, cum (uti notat quàm optime Aquinas. 4. d. 33. q. 1. ar. 3. q. 3. o. Item q. 2. ar. 2. q. 1. 2. Item 2. 2. q. 154. ar. 2. o. nec non & in diuersis alijs locis) talis concubitus, qui proprie dicitur uagus, ad differentiam illius, qui inter maritum est, & uxorem, qui est determinatus, sit contra legem naturæ, & bonum prolis educandæ: quæ diuturnam requirit parentum commansionem. quod in concubi-

Matrimoniũ à Deo institutũ. Gen. 1.

Aquinas.

na,

na, quæ ad tempus assumitur, non est. & ideo talis concubitus spiritualem semper generat mortem, utpotè præter matrimonium existens. Excusantur tamen à tali crimine sancti Patriarchæ, qui ad eas non lasciuiendi causa, sed gignendi gratia accedebant: & hoc non absque Dei dispensatione, ut testatur & Aquinas. 4. d. 33. q. 2. ar. 2. q. 1. 2. Nec mirum, Potest enim diuinitus dispensatio fieri, ut ibidem notat D. Tho. in corpore, etiam contra legis naturæ præcepta, ratione alicuius mysterij diuini ostendendi, uel significandi: sicut patet de præcepto dispensato Abrahæ facto de filij innocentis occisione, & furto bonorum Aegyptiorum ab Hebręis ex Dei mandato cōmisso. quod tamen in ueritate furtum fuisse non possumus dicere: cum omnia sint in manibus maiestatis diuinæ. Tales autem dispensationes, communiter non fiunt ad omnes, sed ad aliquas personas singulares: quemadmodum & circa miracula uidemus euenire. Si igitur in his, & alijs similibus, cum eis dispensauit Deus, quare & Patribus sanctis concubinas non ad lasciuiam, sed ad filiorum generationum non ualuit concedere? præcipuè cum eis non concubinali, sed uxorio miscerentur affectu. uti pulcherrime. 4. d. 33. q. 1. ar. 3. q. 3. 2. describit D. Tho. Nam (ut eodem in loco in c. ait ipse Aquinas) ubicunque legitur in ueteri Testamento, aliquos concubinas habuisse, quos necesse sit à mortali peccato excusari, sanctos ueluti Patres, eas illis matrimonio iunctas fuisse oportet confiteri, & tamen concubinas nuncupari: quia aliquid de uxoris ratione, & aliquid habebant concubinæ. Quo ad principalem enim matrimonij finem, prolem uidelicet, uxores dicebantur: quo ad secundarium uerò, familiæ scilicet regimen, quod eis ordinarie non committebatur, concubinæ nuncupabantur. Talibus itaque exceptis, omnis aliorum extra matrimonium concubitus (cuius causa mulier consentiens concubina proprie appellatur) maximam generat culpam. qua de re & legis tempore similes ex Dei iussu in corpore puniebantur acerrime: uti ex sacra scriptura est uidere. Nam si quis alterius matrimonio conductam cognouisset, adulterij nomen ipse cum illa sibi imponebant: quapropter supplicij ex Dei mandato rei fiebant. Leuitic. 20. Si mœchatus fuerit quis cum uxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui; morte moriantur mœchus, & adultera.

Aquinas.

Aquinas.

Leuit. 20.

Quod

Quod & in plerisque alijs idem habetur locis: quorum uerba hic pertranseo breuitatis gratia. Nam & Christi tempore hoc ipsum obseruabatur. Ioann. 8. Adduxerunt ei Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei. Magister, hęc mulier modo depræhensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiuscemodi lapidare. Hoc etiam si uirgo fornicata fuisset, obseruabatur: ut habetur Deut. 22. & uidua similiter, Gen. 38. Ex quibus omnibus aperte cognoscere possumus, huiuscemodi uiri cum muliere extra matrimonium cognitionem, Deo abominabilem esse: matrimonij uerò statum ei acceptabilem haberi, atque gratissimum. quod & Christus in nouo pluries ostendit Testamento. Nam cum dicebat Samaritanæ, Quinque uiros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus uir; non propter quinq; illam reprehendit: sed propter illum, quem tunc habebat. Et unde hoc? quia illis quinque ex matrimonio coniuncta fuerat: huic uerò minime. & ideo inquit Christus, & nunc quem habes, non est tuus. Suus profectò matrimonio non erat, cognitione autem maxime: quia tanquam suum habebat. Item Matth. 19. Pharisæis ipsum Christum tentantibus, eiq; dicentibus, Si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa? respondens ait eis. Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio; masculum, & feminam fecit eos? & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adherebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Item Apostolus 1. Cor. 7. His autem, qui matrimonio iuncti sunt, pręcipio non ego, sed Dominus, uxorem à uiro non discedere. Deinde. Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit uirgo; non peccauit. Quid ergo scelestissimus Annas suppeditare est conatus, quod Deus instituit, & copulauit, atq; disiungi prohibuit, dicens, matrimonium uerbo Dei non esse institutum? Iste profectò unus illorum est, de quibus dicebat Apostolus ad Timoth. 4. 1. In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere. Et unde hoc? ut libere, ad instar bestiarum, in quibus non est ratio neque, intellectus,

Ioan. 8. Deut. 22. Gen. 38. Ioan. 4. Matth. 19. 1. Cor. 7. 1. Tim. 4.

intellectus, uiuere poſsint: uti abſque Dei timore faciunt q̃ plurimi. De quibus bene dicebat Tertull. in lib. de præſcript. hæreticorum. Hæretici negant Deum timendum: itaque libera ſunt illis omnia, & ſoluta. Sunt autem nonnulli, qui ob rationes ſupradictas, matrimonium à Deo eſſe confiteri ſunt coacti: uerum illud Sacramentum eſſe gratiæ collatiuum, hoc negare adhuc præſumunt, ſuam ſequentes temeritatem. Contra quorum pertinaciam tota eſt canonica ſcriptura. Dominus enim matrimonij inſtitutor, cum primos parentes coniugio copulaſſet; eorum matrimonium benedictione ſacrauit, dicens. Creſcite, & multiplicamini. Abſit autem, ut corpori ad multiplicationem, & non potius animæ ad ſalutem benedixerit Dominus: cum quælibet Dei benedictio animam primò ſemper reſpiciat, deinde corpus. quemadmodum Chriſtus, quotquot corporaliter ſanabat, animas pariter illorum ſpiritualiter mundabat. Ideo ſemper ferè dicebat. Vade in pace, & noli amplius peccare. Matth. 9. Et aſcendens Ieſus in nauiculam transfretauit, & uenit in ciuitatem ſuam. Et ecce offerebāt ei paralyticum iacentem in lecto. Et uidens Ieſus fidem illorū, dixit paralytico. Confide fili: remittuntur tibi peccata tua. Si itaque Dei benedictio ad primorum parentum matrimonio coniunctorum animas eſt ingreſſa; igitur Dei gratia illis tunc eſt collata: quoniam animę noſtræ alio modo non benedicuntur à Deo, niſi per gratiæ infuſionem. Nam qui à Deo eſt benedictus, Dei gratia profectò non eſt uacuus, prout Dei benedictionem quis conſeruat, qua tandem ad ſupernam benedictionem à Chriſto uocabitur poſsidendam. Matth. 25. Venite benedicti Patris mei: poſsidete paratum uobis regnum, &c. Super quibus uerbis ait Origenes. Chriſtus ait. Benedicti Patris mei, ut eminentia benedictionis eorum manifeſtetur: quia prius benedicti ſunt à Domino, qui fecit cælum, & terrā. Ideo & Dauid hanc petebat benedictionem dicens. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus. Tali benedictione q̃ abundantiſsime Virgo Maria fuit benedicta: dicente Angelo. Aue gratia plena. Dominus tecum: benedicta tu. Ecce quomodo benedictio non datur abſque gratia. Si ergo in huius Sacramenti inſtitutione, Dei gratia primis parentibus eſt collata; ſic quoque omnibus ſincere, & pure in Domino matrimonium contrahentibus, hoc Sacramentum gratiam conferre, quemad-

[Margin notes: Tertul. — Gen. 1. Matrimoniū à Deo benedictum. — Matth. 9. — Matth. 25. — Origen. — Pſal. — Luc. 1. Dei benedictio non abſq; gratia. — Concluditur ma-]

trimoniũ gratiæ Dei esse collatiuũ. quemadmodum & cetera Sacramenta, affirmare est necesse: quoniam non propter ipsos tantum Deus hoc instituit matrimonium, gratiam eis tribuendo; sed propter totum genus humanum tunc in ipsis primis parentibus collocatum. Nam sicut
Rom. 5. per eos in mundum per propagationem intrauit peccatum, & per peccatum mors; quare non & benedictio illa, quæ per Christum postea fuit instaurata, atq; confirmata? uti superius, apud
Matth. 19. Matth. 19. ostensum est, ubi dicebat. Qui fecit hominem ab initio; masculum, & feminam fecit eos. Deinde. Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adherebit uxori suæ: & erũt duo in carne una. Itaq; iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo nõ separet. Quibus ex uerbis aperte ostendit, eodem ligamine per matrimonium à Domino Deo omnes coniungi: quemadmodum primi parentes fuerunt coniuncti. Si ergo Deus omnes coniungit, & copulat, credendum etiam est, ut omnes pariter benedicat. Non .n. uerisimile est, ut semper coniungat, & semel tantum benedixerit. Sed ꝙ toties benedicẽdi repetat gratiam, quoties iungendi resumit officiũ.
Ephes. 5. Propterea ait Apostolus ad Ephes. 5. supradicta uerba repetendo. Relinquet homo patrem, & matrẽ suam, & adherebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Et quare magnum? non propter carnalem tantum coniunctionem, alioquin & adulterorum concubitus magnum esset Sacramentum, sed propter illorum coniunctionem gratia Dei mediante factam: qua & Christus spiritualiter coniunctus est Ecclesiæ ipsius sponsæ. Ideo Apostolus postquam Sacramentum hoc magnum esse protulerat, subintulit. Ego autẽ dico in Christo, & Ecclesia: quam quidem Christi cum Ecclesia cõiunctionem indissolubilis coniugũ Sacramenti unio repræsentat. Quapropter magnũ ab Apostolo nuncupatur Sacramentum. quod de paucis dictum est alijs. Qua de re absurdum esset asserere ipsum sine gratia esse. Vnde Aug. in li. 1. de nuptijs, & concupiscẽ
August. tia, cap. 10. Non tantũ, inquit, fœcunditas, cuius fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cuius uinculum est fides, uerum etiã quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dixit Apostolus. Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Insuper ait Apostolus ad
Hebr. 13. Hebr. 13. Honorabile cõnubium in omnibus, & thorus immaculatus. Quis .n. thorus immaculatus, nisi qui caret macula?

Tho-

Thorus aũt macula carere non poſſet, ſi coniugium careret gratia, quã in hoc Sacramento conferri affirmamus: ut uterq; cõiugum ſciat uas ſuũ poſsidere in ſanctificatione, & honore, non in paſsione deſiderij. Vnde & Venerabilis Beda ſuper illud Ioã. 2. Vocatus eſt autem Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias, &c. ait. Porrò Tatiani, & Marcionis, ceterorumq;, qui nuptijs detrahunt, perfidia q̃ ſit damnabilis, inſinuat. Si .n. thoro immaculato, & nuptijs debita caſtitate celebratis culpa ineſſet, nequaquã Dominus ad has uenire uoluiſſet. Nunc autem, quia bona eſt caſtitas cõiugalis, melior continentia uidualis, optima perfectio uirginalis. Ad probandam omnium electionẽ graduum, diſcernendum tamen meritũ ſingulorum ex intemerato Mariæ Virginis utero naſci dignatus eſt, à prophetico uiduę Annæ ore mox natus benedicitur, à nuptiarũ celebratoribus iam iuuenis inuitatus, hos præſentia ſuæ uirtutis honorat. Item Apoſtolus Petrus in ſua prima canonica. 3. cap. poſtquam mulieres uiris ſuis ſubditas eſſe hortatus fuiſſet, deinde infra ſubintulit. Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiã, quaſi infirmiori uaſculo muliebri, impartientes honorem, tanquam coheredibus gratię uitæ: gratiæ. ſ. in præſenti, & uitæ æternæ in futuro ſeculo. Vxores autẽ cum ſuis uiris factæ ſunt coheredes gratiæ, illis in matrimonio collatæ: nam tunc ambo cohæredes. i. inſimul gratię hæredes facti ſunt, æque illam per matrimonij Sacramentum participando. Quãuis de gratia abſolute ſermo poſſet haberi, Nam cum ad eandẽ beatitudinem creati ſint uiri & mulieres; eadẽ etiam gratiarum chariſmata utriſq; ſunt prꝑſtita. Rurſum ſi hoc matrimonij Sacramentũ gratiæ non eſſet collatiuũ; ad quid Deus ipſum inſtituit? & Chriſtus tanti fecit? & Apoſtolus tantum cõmendauit, indiſſolubile illud faciẽdo? Si .n. à matrimonio gratia remoueretur; quonam uinculo uir, & uxor eſſent coniuncti? non carnali (alioquin concubinarij, & adulteri ſimiliter matrimonio eſſent cõiuncti, quemadmodũ ſuperius dictũ eſt) ſed indiſſolubili gratiæ Dei uinculo, ſic à Deo inſtituto. Quo quidẽ uinculo uir, & uxor tunc copulãtur, cũ per uerba de præſenti ſuũ ambo præbent conſenſum, & carnaliter ſe ipſos cõiungunt. Ad cuius confirmationẽ ait Apoſtolus 1. Cor. 7. Mulier alligata eſt legi, quanto tẽpore uir eius uiuit. quòd ſi dormierit uir eius; liberata eſt. cui autem uult nubat: tantum in Domino. i. ſecundũ Dei uoluntatem, hoc fiat, ſecundum Eccleſię ordi-

Beda.

1. Pet. 3.

1. Cor. 7.

nationem uidelicet. Si.n.in Domino matrimonij fœdus nō fieret; immediate Montani, ceterorumq; hereticorū similiū error uerificaretur, quòd nuptiarum uinculum, pro coniugum arbitrio poſsit diſſolui. Quod eſt erroneum, atq; hæreticum abſolute (uti ipſi uolebant) affirmare: cum uinculū matrimoniale
1. Cor. 7. in Domino celebratum, ſit indiſſolubile. Præterea Apoſtolus. 1.Corin.7. incontinentibus conſilium dando, ne peccent, ait.
Alphōſus de Caſtr. Quod ſi non ſe continent; nubant: melius eſt.n. nubere, quàm uri. Si ergo matrimonium (uti quam optimè notat & Alphonſus de Caſtro, aduerſus hæreſes, lib. 11. 3. hæreſi, in carnalis concupiſcentiæ remedium eſt datum; quonam modo poterit hoc fieri, ſi nulla per ipſum collata eſt gratia, qua illud carnalis concupiſcentiæ incendium extingui, aut ſaltem minui poſsit? certe per exercitium, & uſum coniugij, illa libidinis flamma magis arderet, q̃ extingui poſſet. quoniam & ſi ad tempus ex impotentia uirtutis corporeę ſopitus fuerit ardor; tamen cum corpus uires reaſumit, tunc intēſiori ardore accēditur: quemadmodum prunæ, quæ intra cineres latent. Eſt ergo neceſſariū fateri, uirtute huius Sacramenti gratiam conferri his, qui recto animo, in Domino uidelicet, nuptiarum fœdera iungunt: ut per gratiam in illo Sacramento collatam melius contineant, qui aliter uix continere poſſent. Nam aliter non eſſet in remedium, ſed potius ad incendium catnalis concupiſcentię. Et hęc pro hac re ſufficiant.

De extrema unctione. Art. XIII.

Iac. 5. SAcramentum autem extremæ unctionis, clare docet Apoſtolus Iacobus in ult. cap. ſuæ canonicæ dicens. Infirmatur quis in uobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Hoc tamen Sacramentū non ipſe Apoſtolus inſtituit: ſed ſicut à Domino acceperat, ſic tradidit. Nam multa à Chriſto habemus per traditionem Apoſtolorum tum ſcri
2. Theſſ. 2 ptis, tum ſermonibus, quorum in Euangelijs ſpecialiter mentio non fit. Vnde Apoſtolus ad Theſſ. 2. 2. State, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſcilicet ore prolatū; ſiue per epiſtolam, ſcilicet ſcripto tranſmiſſam. Et inter huiuſmodi traditiones, ex Dei mandato, eſt extremæ unctionis

Sa-

Sacramentum. Vnde Aug. lib. 2. de uiſitatione infirmorũ adducens hoc ipſum Apoſtoli uerbũ. Infirmatur quis in uobis? &c. Concludendo ait. Ergo ſi roges de te, & pro te fieri, ſicut dixit Apoſtolus Iacobus, immo per Apoſtolum ſuum Dominus, ipſa olei ſacri delibutio, intelligitur Spiritus ſancti typica unctio. Ne uero quiſpiam Burgenſis loco, hanc Iacobi epiſtolam tanquã apocrypham reſpuere auſus fuerit (quanquam ſuperius in articulo primo confeſ. primę, illam oſtenſum ſit eſſe canonicam) hoc ipſum ex Euangelio pariter eſſe comprobandum, contra peruerſorum temeritatem iudicaui neceſſe. Ait enim Marcus Euangeliſ. cap. 6. Et exeuntes (ſcilicet diſcipuli) prędicabãt: ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabantur. Ecce Apoſtolos ipſos, & tempore Chriſti, hoc illud obſeruaſſe, quod non ex Iacobi epiſtola, ſed à Marco Euangeliſta nobis traditur. Super quibus uerbis ait Chryſoſtomus. Quod oleo ungerent (ſcilicet Apoſtoli) ſolus Marcus enarrat. Iacobus autem in epiſtola ſua ſimilia dicit. Oleum enim & labores curat, & luminis, & hilaritatis cauſa exiſtit. Significat autem oleum unctionis Dei miſericordiam, infirmitatis medelam, & cordis illuminationem: quod totum oratio operatur. Et Theophilactus. Significat etiã gratiam Spiritus ſancti, per quam à laboribus tranſmutamur, & lumen, & lætitiam ſuſcipimus. Ex his igitur patet (uti ait etiam Venerabilis Beda ſuper illud Marci) ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum, ut energumini, uel alij quilibet ęgroti ungantur oleo, Pontificali benedictione cõſecrato. Ideo & Aug. iterum, in de rectitudine catholicæ conuerſationis, ad hoc ſacramentum nos tempore ſuo hortatur dicens. Qui ægrotat in ſola Dei miſericordia confidat, & eucharistiam cum fide, & deuotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Eccleſia petat, unde corpus ſuũ ungatur. De hoc pariter Sacramẽto mentionẽ facit Dionyſ. Areopagita, ca. 7. par. 3. Eccleſ. Hierarch. Idem plerique alij Doctores ſancti.

Auguſt. Marc. 6. Chryſoſt. Theophilactus. Beda. Auguſt. Dionyſ. Areopag.

De neceſsitate baptiſmi. Art. XIIII.

AD illa duo tandem baptiſmi uidelicet, & euchariſtię Sacramenta eſt deueniendum: quibus ipſe Annas (etſi in principio illa amplecti uideretur) in nonnullis detrahere apertè ſe oſtendit: quod de uno quoque ſigillatim aperire

aperire dignũ censui. Baptismo nẽpe in duobus detrahere cona tur, necessitati uidelicet, reuerentiæq; ipsius derogãdo, dicẽs. *Credo, baptismum, quatenus per aquam administratur, non usque adeo necessarium esse ad salutem, ut qui eo forte carere coactus fuerit, saluus esse non possit: quin nec de salute quidẽ infantium, qui sine baptismo moriuntur, addubito: sed credo, eos nihilominus quàm si baptizati essent, salutis æternæ participes esse. quippe qui in fœdere Domini comprehensi sint, et participes sint promissionis, quam Deus fidelibus omnibus exhibuit: nimirum se, et ipsorum, & seminis eorum Deum fore. Quinetiam illius promissionis ergò paruuli, baptizantur ut si maximè sine baptismo morerẽtur, nihilominus tamen illius promissionis participes sint, ac proinde salutis, uitęque immortalis. nam eadem ratione olim sub lege infantes, qui sine circuncisione moriebantur, salutem æternam obtinebant. quæ tamen omnia de liberis fidelium intelligenda sunt, ad quos Dei promissiones pertinent: non autem de infidelium, & reproborum.* Nouimus Dominum Deum suam gratiam, suamq; potestatem sacramentis ita non alligasse, quin ei liceat, modo uelit, præter Sacramenta, id largiri, quod Sacramenta conferunt. De nullo autem legitur, qui baptismi effectum sit consequutus absque ipsius Sacramento. quod apertè
Ambros. Ambros. lib. 2. cap. 8. de uocatione gentium ostendit dicens. Neque credi fas est, eos, qui regenerationis non adepti sunt Sacramentum, ad ullum beatorum pertinere consortium, quod & uerba Christi baptismi ipsius institutoris, manifestant.
Ioan. 3. Nisi, inquit, quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Et ratio est: quia nemo coheres cum Christo regni cælorum potest esse, nisi Christum induat.
Rom. 13. Ad quod propterea Apostolus Romanos hortabatur dicens. Induimini Dominum Iesum Christum. Induit autem quilibet, Christum, qui in ipsius baptismate abluitur. Apostolus ad Ga-
Gal. 3. latas tertio. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et qui huiusmodi uestimento se induit, uitam
Marc. 16. æternam consequitur. Marc. ultimo. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Vt uerò omnis homo Dominum indueretur (omnes enim homines uult saluos fieri) suis manda-
Matt. 28. uit discipulis dicens. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sciendum tamen est, cum baptisma efficaciam habeat à Christi passione, cui per ipsum baptisma homo configuratur, pariter & ipsius resurrectioni, inquantum peccato moritur, & nouã iustitię uitam incipit,

incipit, uti Apoſtolus ad Roma.6.oſtendit, dicens. An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si.n.cõplantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius; ſimul & reſurrectionis erimus. &c. Itẽ ad Coloſ. Circuncisi eſtis circũciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circunciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo: in quo & reſurrexiſtis per fidẽ operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. &c. ꝙ non ſolũ homo per baptiſmũ aquæ, ex paſsione Chriſti ipſum baptiſmi effectũ conſequitur, uerum etiã homo ex paſſione Chriſti, inquantũ ei conformatur, pro Chriſto patiendo, eundem baptiſmi effectum conſequi poteſt: quemadmodum conſequuti ſunt innocentes pueri, iuxta illud Apocalyſpſis.7. Hi ſunt, qui uenerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni. Ideo ait D.Auguſt. lib.4. de unico baptiſmo paruulorum, baptiſmi uicem aliquando implere paſsionem. Item ad Fortunatum loquens de comparatione baptiſmatum, dicit. Baptizatus confitetur fidem ſuam coràm ſacerdote, martyr coràm perſecutore: ille poſt confeſsionem aſpergitur aqua, hic ſanguine: ille per impoſitionem manus Pontificis recipit Spiritum ſanctum, hic templum efficitur Spiritus ſancti. Iſte autem baptiſmus à Theologis ſanguinis baptiſmus nuncupatur. Eadem etiam ratione aliquis per Chriſti paſsionem effectum baptiſmi conſequitur, non ſolum abſque baptiſmo aquæ, ſed etiam ſine baptiſmo ſanguinis: inquantum ſcilicet alicuius cor per Spiritum ſanctum mouetur ad pœnitendum de peccatis, & ad credendum, & Deum diligendum, & ad baptiſmum optandum; ad quem morte præuentus accedere non potuit, uti de latrone habetur: cui non baptizato, ſed Ieſum his uerbis ſolum deprecanti, Domine memento mei, cum ueneris in regnum tuũ, dixit Chriſtus. Hodie mecum eris in Paradiſo. Super quibus uerbis ait.B.Cyprianus. Quod etiam, atq; etiam conſiderans, inuenio non tantum paſsionem pro nomine Chriſti id, quod baptiſmo deerat, poſſe ſupplere; ſed etiã fidem, confeſsionemq; cordis: ſi forte ad celebrandum myſterium baptiſmi, in anguſtijs temporum ſuccurri non poteſt. Et D.Ambroſius loquẽs de Valentiniano,

Roma.6. | Coloſ.2. | Apoc.7. | Auguſt | Baptiſmus ſanguinis. | Luc.23. | Cyprian. | Ambroſ.

Valentiniano, qui Cathecumenus mortuus est, ait. Quem regeneraturus eram, amisi: ueruntamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit. Et hoc ideo, quia credidit & desiderio baptizatus fuerat: sed morte preuentus executioni suum desiderium mandare non quiuit. Qua in re desiderium tale flaminis baptismus, siue pœnitentiæ à Theologis appellatur. Quicunque autem uno istorum trium baptismatum, in quibus unus, & idē Spiritus operatur, baptizatus non fuerit; saluus esse prorsus nō poterit. Cum uerò paruuli ratione careant, ac cognitione, & ex consequenti per pœnitentiam, siue flaminis baptismum, huius sacramenti effectum assequi non ualeant; omnino sunt baptismo aquæ baptizandi. Nam illud in adultis tantum (quemadmodum in latrone) hoc uero non solum in adultis, uerumetiam in paruulis, locum habet. Vnde D. August. contra Donatistas, lib. 4. cap. 25. Aliud est sacramētum baptismi, & aliud conuersio cordis: sed salus hominis ex utroque completur: nec si unum horum defuerit; ideo putare debemus, consequens esse, ut & alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo, siue in illo, siue in isto, quod non ex uoluntate defuisset. Nec alicui uideatur absurdum: cum ad consequendum baptismi effectum fides requiratur, iuxta illud. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: & paruuli nullam in seipsis habeant cognitionē: quia sicuti pueri in maternis uteris constituti, non per se ipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur; ita etiam pueri nondum rationes usum habentes, quasi in utero matris Ecclesiæ constituti, non per se ipsos, sed per actū Ecclesiæ credunt, & salutem suscipiunt. Vnde D. Augustinus in libro de peccatorum meritis, & remissione. Mater Ecclesia os maternum paruulis præbet, ut sacris mysterijs imbuantur: quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Item in epistola 105. ad Xystum Præsbyterum. Sicut paruulos renasci per ministerium baptizantium; ita & eos etiam credere per corda, & ora gestantium confitemur. Filij uerò Ecclesiæ efficiuntur, dum regenerantur. quòd si actu non regenerarentur; neq; à sancta matre Ecclesia imbuerētur: ex consequenti nec huius sacramenti effectum consequerentur, quem, dum baptizantur, in fide Ecclesiæ consequuntur: ita quòd si aliqui illorum immediate post baptismum

Baptismus flaminis.

August.

Marc. 16.

August.

baptiſmum è præſenti vita diſcederent, ad uitam æternam conuolarent, uti apertè Auguſt. confirmat dicens. Sine ulla dubitatione eſt gratuitum, quod Dei gratia per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum pręſtatur infantibus, vt eis non obſit ex Adam generatio, & proſit in Chriſto regeneratio. In quibus & ipſum accipiendi ſenſum tantò antè miſericordia Dei præuenit, qui certè ſi in hac paruula ætate de corpore exierint, vitam ęternam, regnumque cælorum ſcientes accipiunt, eius muneris merito, quod hic, cum vtique profuit, neſcierunt. Pari modo è contrario quicunque paruulus ex hac vita ſine baptiſmi ſacramento ad aliam migrauerit (niſi pro Chriſto, vt Innocentes, ſanguinem effuderit) vita priuatur æterna, quemadmodum & adulti, vti dictum eſt. Quod expreſsè Auguſt. docet, vbi ad Hieronymum ſcribit de origine animæ inquiens. Neque negare fas eſt nobis eas, quæ ſine Chriſti ſacramento de corpore exierunt, etiam paruulorum animas, non niſi in damnationem trahi. Cuius rei cauſa eſt, quia nihil coinquinatum regni cæleſtis ianuam ingredi poteſt. Quod oſtendit Ioan. in Apoc. dicens. Non intrabit in eum aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni. Quicunque autem peccati ſubiacet maculę, profectò à coinquinatione alienus non eſt: ſed paruuli nuperrimè etiam nati à macula peccati immunes non ſunt, iuxta illud Prophetæ. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Et Apoſt. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatū mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Si ergo tam paruuli, quàm adulti originali peccato ad minus ſunt coinquinati, quomodo vitam æternam intrabunt, niſi primò mundentur? Quod fieri non poteſt, niſi Dei auxilio, quo omnes indigemus, vt quàm optimè ait Apoſt. Omnes enim peccauerūt, & egent gloria Dei, quam nobis contulit inuiſibiliter ſub viſibili ſigno, ſine qua ab originali macula ablui nemo poteſt. Quapropter bene dicebat Auguſt. Noli credere, noli dicere, noli docere infantes, antequàm baptizentur, morte præuentos, poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum peruenire, ſi uis eſſe catholicus. Nec valet ratio Annæ Burgenſis dicentis, Infidelium, & reproborum quidem liberos originalis delicti veniam non aſſequi, fidelium verò

Augu. in epiſt. 106. ad Bonifa.

Auguſt.

Apoc. 21

Pſal. 50.

Rom. 5.

Rom. 3.

Augu. de ani. & eius orig. ad Vinc. Vic. lib. 3. c. 9.

maximè: quia pari modo peccato obnoxii sunt fidelium liberi, quemadmodum & infidelium. & ideo propter parentum fidelitatem, & sanctitatem, filii fidelium sine baptismo discedētes, sicut & infidelium liberi, a peccati macula liberari nempè non possunt. Quod & August. fatetur dicens. Nec paruuli, de quibuslibet sanctis, iustisque procreati originalis peccati reatu absoluuntur, nisi fuerint in Christo baptizati, pro quibus tanto impensius loqui debemus, quanto pro se ipsis minus possunt. Ratio veri ipsius Burgensis ad suum hereticum propositum probandum adducta, pariter est erronea, quòd eadem ratione sub lege fidelium infantes sine circuncisione morientes, salutem æternam obtinerent: cum oppositum dicat Dominus. Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Apud nonnullos autem non parua super hoc oritur dubitatio, an saluentur, nec ne, qui ante octauum diem ex Hebræis absque circuncisione, hinc ad aliam migrabant vitam. Ad huius rei manifestationem, illud primò est recensendum (cuius & mentionem facit Magister in sententiis) paruulos Hebræorum, quemadmodum & aliarum gentium, ante circumcisionem in fide parentum, parentes verò per virtutem sacrificiorum, scilicet quam intelligebant spiritualiter, in illis sacrificius iustificatos fuisse, vti confirmat & Gregorius in moralibus eodē in loco à Magistro citatus dicens. Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro iis, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circuncisionis. Qui quidem pueros iustificandi modus, ad circuncisionis institutionem vsque apud Hebræos omnino debuit perseuerare. circuncisio autem præcepti non habebat rationem, nisi iuxta Dei institutionem. Dei verò erat institutio, vt vnusquisque ex stirpe Abrahæ (filiis Ismaelis, & Esau exceptis, qui ad hoc non astringebantur) octauo die circuncideretur: iuxta illud. Infans octo dierum circuncidetur in vobis omne masculinum in generationibus vestris, ita quòd si quis ante octauum diem non circuncisus ad aliam transiuisset vitam, Dei præcepto contrafecisse visus non fuisset, ex consequenti neque propterea damnatione dignus: alioquin minoris apud Deum Hebræi fuissent cōditionis, quam Gentiles, qui & tempore legis, absque circuncisione, salutem poterant adipisci. sed qui octauo completo die, è

[Margin notes: Augu. de pec. mer. lib. 3. c. 12 — Gen. 17. — Dubitatio. — Resp. — Magister in 4. d. 1. c. 2. — Gregor. — Aquinas. 4. d. 1. q. 2 ar. 2. q. 1. 3. — Gen. 17. — Aequinas 1. 2. q. 48. ar. 5. ad 3]

viuis

viuis abſque circuncisione diſcedebat, meritò & vita æterna priuari debebat, quia Domini decretum irritum faciebat, quod expreſſe approbat id, quod habetur Gene. 17. Maſculus, cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Quæ verba quàm diligentiſsimè Beda conſiderans, hanc pulcherrimam, notatuque dignam ſcripſit ſententiam. Qui enim per Euangelium ſuum terribiliter, & ſalubriter clamat, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non intrabit regnum Dei, ipſe dudum clamat per ſuam legem, Anima, cuius præputij caro circunciſa non fuerit, peribit de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Ecce igitur illorum perditionis non circuncidi cauſam abſolutè non fuiſſe (alioquin ante circuncisionem omnes Hæbreorum animæ, & tempore circunciſionis gentes ceteræ fuiſſent damnatæ, quod eſt abſurdum dicere) ſed transgreſsionem præcepti Dei eos dicimus condemnaſſe, vti litera textus Geneſeos clariſsimè ſonat, cum ait. Delebitur anima illa de populo ſuo, nō quia illius caro abſolutè circunciſa non fuerit; ſed quia pactum meum (inquit Dominus) irritum fecit. Præceptum enim non transgreditur quis, non præueniendo. Sed differendo. Nam ſi præuenire illis fuiſſet neceſſe; hoc eis vtique & Deus indicaſſet manifeſtè, cuius rei nullam inueniemus ſcripturam, ſicuti de octauo diuerſis legitur in locis. Quapropter concludere poſſumus, atque debemus, huiuſmodi puerulos, quorum animæ ante octauum diem à ſuis non circunciſis ſeparabantur corporibus, perditos propterea nōn fuiſſe, ſed ad ipſorum ſalutem, remedium, quod fuerat ante circunciſionem, valuiſſe, fidem videlicet parentum. Quod quidem remedium (vti ſuperius & D. Gregorius) in illis tantam habebat efficaciam, quantam circunciſio, poſt octauum conferebat diem. Dicit autem ſententiarum Magiſter. Fortè tamen ſub lege ingruente neceſsitate mortis, ante octauum diem circuncidebant ſine peccato filios, ſicut modo in Eccleſia fit de baptiſmo. Quod ſi obſeruarunt, ad maiorem fecerunt cautelam, non quòd octauus dies aliqua præueniretur neceſsitate, quemadmodum teſtatur & S. Thomas mentem ſequutus Hugonis, cum nullum ipſi haberent præceptum temporis indeterminati, quale nos habemus de baptiſmo, cui quilibet

Beda in homil. ſuper 2. Lu.

Gen. 17

Aquinas. 4. d. 1. ar. 3. q. 1. 4.

Aquinas. 4. d. 1. ar. 1. q. 1. 4.

Grego.

Magiſter. in 4. d. 1. cap. de paruulis. defunct. añ oc. diē

Aquinas. 3. q. 70. ar. 3. ad 3.

paruulus quàm citius à suis est offerendus: & non (vt nonnulli hæretici dicebant) octauum diem, ad instar circuncisionis, expectare: vti optimè docet. D. Cyprianus, cuius sententiam citat D. August. ad Hieronymum lib. 1. cap. 20. dicens. Beatus Cyprianus non aliquod decretum condens nouum, sed Ecclesię fidem firmissimam seruans, ad corrigendum eos, qui putabāt, ante octauum diem natiuitatis non esse paruulum baptizandū, non carnem, sed animam dixit esse perdendam, & mox natum ritè baptizari posse, cum quibusdam suis coepiscopis censuit.

Cyprian. August.

Instantia.

Instabit autem quispiam, dicens. Quilibet baptismum appetens, & morte præuentus, baptizari non valens, baptismi tamen effectum consequitur. Et paruulus ratione carens, cum baptizatur, in fide Ecclesiæ credens, post moriendo, vitam accipit æternam. Quare & paruulus, qui ex patris fidelis uoluntate baptismo quàm citius erat offerendus, sine ipso moriens ex improuiso, vitam non possit consequi æternam? præcipuè cum & sub lege infantes ante diem octauum, sine circuncisione morientes, in fide parentum saluarentur. Huic satisfaciendo dicitur.

Satisfactio.

Et primò, quantum ad vltimam, de circuncisione uidelicet, instantiam. Differentiam esse, & non paruam, inter præceptum circuncisionis, & baptismi: quia illud post octauum tantum erat diem, hoc verò absolute. Sacramenta nempe habent uigorem secundum Christi institutionem: quemadmodum tempore legis circuncisio, & cetera legalia ex iussu Dei per Moysen fuerunt instituta. Non. n. dicebat Christus, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto post octo dies intrabit in regnum cælorum, sicuti dictum erat illis de circuncisione, sed absolute est loquutus. Ideo neque æqualem dicimus vtriusque esse rationem. Ad aliam vero rationem de paruulis in fide ecclesiæ baptizatis, & ex consequenti salutem consequentibus; dicimus, falsam esse similitudinem, & consequentiam. Nam paruuli, qui saluantur, non solum in fide credunt, verùm & baptizati sunt. Illi autem & si in fide parentum credant, non tamen in baptismate Christi sunt loti, sine quo vita æterna non potest haberi (eo tamen modo, quo superius dictum est, Fides. n. tantum est dispositio, & habilitas ad suscipiendum baptismum, baptismus autem dat gratiam. Idcirco qui credit, & nondum est baptizatus, perfectā consequi nō potest salutem. Quod & Theophilactus insinuat,

Theophi.

nuat, dicens. Non fufficit credere: nam qui credit, & nondum eft baptizatus, fed catechumenas, nondum eft perfectè falutem adeptus. Quãuis dicere poffemus, huiufmodi infantes è vita fine baptifmo difcedẽtes, neq; fidẽ ecclefiæ participare. Nam ficuti cibus corporalis non põt cõceptũ puerum nondũ natũ nutrire, nifi p os matris fuæ, & nõ per alterius mulieris os, quia in illius gremio nõ eft puerulus ille; fic pariter & paruuli de ventre matrũ ipforum nati, per os fanctæ matris Ecclefiæ in his, quæ ad fidem fpectant imbui non poffunt, nifi in ipfius vtero concepti fuerint. In eius autem vtero concipiuntur, quàm primum illi offeruntur, & figno fanctæ crucis fignãtur. Hinc & Auguft. Nondum quidem adhuc per facrum baptifmum renati eftis, fed per crucis fignũ in vtero fanctæ matris ecclefiæ iã concepti eftis. & hi, & fi non nati, fed vt concepti, in gremio ecclefiæ dicuntur verè effe. Et ideo tales per ecclefiam imbui, & per ipfam tanquam matrem fuam fpiritualem dicimus credere, quemadmodum & infans naturaliter nondum natus per os matris fuæ nutritur. Quod quàm optimè Beda oftendit dicens. In ecclefia. n. Saluatoris per alios paruuli credunt, ficut ex aliis ea, quæ illis in baptifmo peccata remittuntur, traxerunt. Pueruli autem ex voluntate patris baptifmo offerendi, ante baptifmi fufceptionem morte præuenti, in gremio matris ecclefię concepti haudquaquam poffunt dici: cum ei nõdum fint oblati, nifi quifpiam parentum voluntatem, & fidem, ecclefiæ fidem nuncuparet: quod etiam tunc locum habere non videtur. quia & fi talium quifpiam (hoc eft in fide ecclefiæ credentium) antequam ad ipfum perueniret baptifmum, ad alia conuolaret vitam, falutem etiam non videtur confequi æternã: quia quemadmodum puer naturaliter in vtero fuæ matris conceptus, hac vita præfenti, nifi natus, minimè poteft gaudere; ita huiufcemodi pueri fpiritualiter in gremio matris ecclefiæ concepti, nifi fuerint renati, æterna vita non poterunt frui. Quod Saluatoris noftri auctoritate cogimur fateri, dicentis. Nifi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu fancto, nõ poteft introire in Regnum Dei. Non. n. Chriftus docebat. Nifi quis conceptus in gremio ecclefiæ per ipfam credendo; fed, renatus fuerit ex aqua, & Spiritu fancto, non poteft introire in Regnum Dei. Hinc fancta inoleuit confuetudo, quòd pia mater ecclefia in huiufmodi infantibus poft catechifmum, in quo per ecclefiam fides ipforum manifeftatur, non differt

Sup Mar. 16.

Auguft. ad catechu. l. 2. c. 1.

Beda fup 16. Marc.

Io. 3.

fert baptisma illis conferre: tùm quia in eis maior instructio, aut plenior conuersio non expectatur, sicuti in adultis; tum propter mortis periculum, cum eis nisi per baptimi sacramentum alio modo subueniri non possit, ex eo quòd (quemadmodum & superius dictum est) voluntatis, atque rationis vsu careant. Quapropter quamprimum similes paruuli sunt catechizati, immediate exorcizantur: deinde illico baptizantur. Si verò casu accideret, quòd pater filium suum paruulum catechizari faceret, & postmodum aliquandiu expectare vellet (quod pessimè faceret) antequam baptizaretur, & interim infantulus moreretur; profectio absque dubitatione puerulus ille vitam non consequeretur æternam (cuius mali pater esset causa) quia nondum in Christo est renatus. Non solum debet quis credere, vt

Mar. 16.

saluus fiat, sed & baptizari, iuxta illud. Quicunq; crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Neque patris sui bona voluntas ei quicquam prodesse videtur: cum non ita, Nisi quis renatus fuerit in voluntate patris, aut matris, ex aqua, & Spiritu sancto; sed absolute loquutus sit Dominus. Prodesse tamē potest patris voluntas ad filii salutē, cum illa executioni mandatur, filium sacramento baptismi offerendo: alioquin quicquam posse filio prodesse, difficile esset affirmare, præcipuè cum August. oppositum doceat, dicens. Vt paruulus possit regenerari per officium volūtatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc vnus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Non. n. scriptum est, Nisi quis renatur fuerit ex parentum voluntate, aut offerentium, vel ministrātium fide; sed nisi quis renatus fuerit, ex aqua, & spiritu Sancto. Aquam igitur exhibens forinsecus sacramentum gratiæ, & spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, soluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem in vno Christo ex Adam generatum. Regenerans ergo spiritus in maioribus offerētibus, & paruulo oblato, renatoq; cōmunis est. Ideo per hanc societatem vnius, eiusdemq; spiritus prodest offerentium voluntas paruulo oblato. Ex iis igitur omnibus contra Burgensem, & alios similes concludendum est, quoscunque infantes sine baptismo ex præsenti statu migrantes, damnatos fore, verum mitiorem aliis damnatis pœnam passuros. Quod & D. August. de peccatorum meritis, & remissione confirmat dicens. Potest recte dici, paruulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnationem omnium mitissimam futuros. Multum. n. fallit,

August. ad Bonifa. de baptis. paruulorum ep. 23.

Augsti. de pecca. mer. & remis. lib. 1. cap. 16.

&

& falliiur, qui eos in damnationem prædicat non futuros, dicẽte Apoſtolo. Iudicium ex vno delicto in condemnationem. & Paulo poſt. Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem. Horum autem pœna non erit ſenſibilis, neque poſitiua, ſed diuinæ viſionis tantum priuatiua. Caueant igitur parentes, qui filiis ſalutem appetunt, illos baptizari differre. Ad quod etiam peragendum. D. Auguſt. omnes pariter hortatur, dicens. Rogo vos fratres, vt quicunque aut filium, aut vernaculum ſuum baptizari deſiderat, iam nunc eum eccleſiæ offerre non differat: quia non eſt iuſtum, vt res, quæ tam magna, tam præclara creditur, neglectius, aut tardius, quam expedit, requiratur. Nolo tamen illorum doctorum prorſus improbare opinionem, qui nonnullis rationibus moti aſſerunt (ſub correctione tamen) pueros non ſolum natos, verùm & in vtero materno abſque baptiſmi ſacramento morientes, in voto parẽtum, præcipuè cum aliquo exteriori ſigno, poſſe ſaluari. Quorum rationes ſi quis ſcire cuperet, legat Caietanum in commentarii. ſuper 1.2. & 11. articulos q 68. Tertiæ partis. S. Thomæ. At ego quamuis hæc Caietani opinio, ob rationes eis in locis ab ipſo deſcriptas quandam uideatur præferre pietatem nihilominus magis moueor ad ſuperiorem ſententiam, huic oppoſitam, amplexandam, maioribus, euidentioribusque rationibus, & Auguſtini auctoritatibus comprobatam. Submittendo tamen me in hoc, vti & in aliis ſemper ſententiæ, iudicioque eccleſiæ. Hæc pro neceſsitate baptiſmi.

Rom. 5.

Aquinas in pleriſque locis

Auguſt. ſerm. 17. de tempore.

De reuerentia, & cæremoniis baptiſmo exhibendis.
Cap. XV.

NON ſolum Annas Burgenſis baptiſmatis neceſsitati detrahere eſt conatus, verum & omnẽ reuerentiam ei exhibendã, decoremq; prȩſtandũ reſpuere non veretur dicẽs. *Credo eundem baptiſmum non eſſe adhibito oleo, ſale, ſputo, & ſimilibus nugis adminiſtrandum, ſed aqua duntaxat pura, & nitida In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſecundum inſtitutum, & mandatum Dei &c.* O lingua impudici hominis nefandiſsimam. Quis te rerum eccleſiaſticarum cenſorem euomuit? profectò Lucifer ille

omnium

omnium hæreticorum confratrum tuorum pater. Si tui ſimiles profani homines in ſuis profanis rebus peragendis, atque oſtendendis, tot, & tantis ad illarum oſtenſionem vtuntur cæremoniis; quare & Eccleſię noſtræ catholicæ in celebratione tanti ſacramenti à Chriſto domino noſtro inſtituti, noſtræ ſalutis principii, ea, quæ ad ipſius decorem faciunt, aſſumere non licebit? præcipuè cum hæc ipſa non ab hominibus, neque in his modernis temporibus ſint inſtituta; ſed ex Spiritu ſancto ab Apoſtolis dicantur nobis eſſe relicta, & ex continua Eccleſię conſuetudine conſeruata, ſemper ab omnibus ſacris doctoribus comprobata, laudataque, vti inferius apertè in huius articuli deſcriptione poterit quilibet percipere, Non. n. his Eccleſia vtitur, tanquam ad baptiſmum neceſſarijs, ſed tanquam ad ipſius ſolennitatem facientibus. Duo nempè ad celebrandum baptiſmi ſacramentum tantummodò neceſſaria, & eſſentialia eſſe fatemur.

Mar. 16. aquam ſimplicem, & verbum diuinum apud Marcum à Chri-

3.q. 66.arti.4.corp. ſto nobis traditum. Et hæc baptiſmi aqua, & ſi non pura, & nitida fuerit, dummodo aquæ ſpeciem non amiſerit, tempore ne-

Heb. 10. ceſsitatis idonea, & ſufficiens erit. Aliàs ob tanti ſacramenti reuerentiam, munda eſt aſſumenda, iuxta illud Apoſtoli dicentis. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda. Cetera verò non niſi ad honeſtatem, & ipſius ſolennitatem, atque fidelium vtilitatem baptiſmo adhibentur, ita quòd ſine ipſis baptiſma perfici poſſet: peccaret tamen quis, ſi illas, nulla vrgente neceſsitate, ſed ſolo contemptu, prætermitteret: cum illarum vſum in eccleſia Dei antiquiſsimum eſſe omnibus conſtet. Tēpore autem neceſsitatis, nedum ſine ipſis verùm & abſque Epiſcopo, & Sacerdote poteſt quilibet baptizari. Quod confirmat

Hierony. aduerſus Luciferianos. & Hieronymus dicens: Sine Chriſmate & Epiſcopi iuſsione neque Presbyter, neq; Diaconus ius habet baptizandi. Quod frequenter (ſi tamen neceſsitas cogit) ſcimus etiam licere Laicis.

Aug. contra epiſt. Parmeniani lib. 2. cap. 13. Vnde & Auguſtinus: Laicus ſi aliqua pereuntis neceſsitate cōpulſus baptiſmum dederit, quod cum ipſe acciperet, dandum eſſe addi dicit, neſcio an pie quiſquam dixerit repetendum eſſe. Tribus autem ex cauſis ea baptiſmo adhibenda eſſe eccleſia inſtituit. Primò ad excitandam fidelium ad hoc ſacramen-

Triplex ratio inſtitut. cæ- tum pietatem, & reuerentiam, ne, ſi citra ſolennitatem ullam fieret, communis ablutio quædam eſſe putetur, atque ita ſacra-

mentum hoc contemni incipiat. Deinde ad fidelium ſimpliciũ instructionem, qui cum inter alios ſint rudiores, in literis uide licet non edocti, ſignis ſenſibilibus in uia Dei debent inſtrui, quemadmodum ſuperius dictum eſt & de imaginibus. Quo nēpe modo & in baptiſmi exterioribus ſignis poſſunt erudiri, aut ſaltem ad hoc excitari, vt, quid ſibi ritus illi uelint, inſtrui deſiderent: atque ita, quæ in baptiſmo geruntur, cognoſcant. Poſtremò, ut per orationes, & benedictiones, & alia id genus, uis Dæmonis ab impedimento ſacramentalis effectus arceatur, atque expellatur. Horum autem nihil eſt, quod ſingulari præditum non ſit myſterio. Abhibetur enim oleum ſanctum, ideſt chriſma, quoniam (ut ait Auguſt.) ſcriptum eſt in Actis apoſtolicis. Vnxit eum Dominus ſpiritu, non utique oleo uiſibili. Sed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur unguento, quo baptizatos vngit Eccleſia. & Ambroſius. Omnes, dũ baptizamur in regnum Dei, & in Sacerdotium, ungimur gratia ſpiritali: quod, ſcilicet per extremam unctionem ſignificatur. Item Tertulli. Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut anima muniatur, &c. Vnde & Damaſce. lib. 4. Orthodoxę fidei cap. 10. Oleum in baptiſmate aſſumitur, unctionem ſignificans, & Chriſtus unctus, id eſt unctos nos efficiens, & miſericordiam Dei nobis annuntians per Spiritũ ſanctũ Theoph. quoq; in Lucã huius rei faciẽs mentionem hanc tradidit ſententiam. Qui baptizantur, liberantur à uulneribus animæ, oleo quidem unguenti unti, ſtatim autem cõmunicantes, & dominici ſanguinis participes fiunt. Idem Cyprianus epiſtolarum lib. 1. epiſtola. 12. confirmat dicens. Vngi quoque eſt eum neceſſe, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, & unctione eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſsit. Quę quidem Chriſti gratia aduerſus Diabolum noſtra eſt ſpiritualis armatura, quam in ipſo baptiſmate conſequimur primò, cuius gratia Chriſtiani (hoc eſt uncti) à Chriſto nuncupamur, ſicut quàm optimè inferius deſcribit Rabanus, ut Diaboli inſidiis reſiſtere poſsimus. Quod & D. Auguſt. oſtendit dicens. Chriſti nomen à chriſmate dictum eſt, Chriſma autem gręcè, latinè unctio nuncupatur. ideò autem nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Et Ambroſ. Vnctus es quaſi æthleta Chriſti, quaſi luctam huius ſeculi luctaturus, profeſſus es luctaminis tui certamina. Qui luctatur, habet

[Margin: rem. bap. Ratio. 1. Secunda. — Tertia. — Auguſti. — Ambr. de iis, q initian. c. 16. — Tertul. de carnis reſur. — Damaſc. — Theoph. ſup Luc. cap. 10 — Cyprian — Augu. in Ioa. tract. 33. — Ambr. de ſacra. lib. 1. c. 2.]

habet, quod ſperet, vbi certamen, ibi corona. Et hanc doctrinam ex Apoſtolorum traditione eccleſia accepit, vti diffuſius ſuperius in prima confeſsione oſtenſum eſt. Cuius rei & Baſilius in particulari teſtimonium reddidit dicens. Conſecramus autem aquam baptiſmatis, & oleũm vnctionis, prɇterea ipſum, qui baptiſmum accipit, ex quibus ſcriptis? Nonne à tacita, ſecretaque traditione? Ipſam porrò olei inunctionem quis ſermo ſcripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem unde eſt traditum? Reliqua item, quæ fiunt in baptiſmo, ueluti renuntiare Satanæ, & Angelis eius, ex qua ſcriptura habemus? nonne ex priuata, & arcana traditione? nonne ex doctrina, quam Patres noſtri in ſilentio, quod curioſos, & ocioſos ſubmouet, ſeruarunt? Ideo Clemens Petri diſcipulus, & in Pontificatu ſucceſſor in lib. 3. recognitionum ex Petri doctrina ait. Baptizabitur autem unuſquiſque ueſtrum in aquis perennibus nomine trinæ beatitudinis inuocato ſuper ſe perunctus primò oleo per orationem ſanctificato, ut ita demum per hæc conſecratus, poſsit percipere de ſanctis. Vngitur autem antè baptiſmum quilibet primò in pectore, & inter ſcapulas, deindè poſt in cerebro. Baptizandus enim in pectore ungitur (ut ait Innocen. Papa in quodam Decreto de ſacra unctione) ut per Spiritus ſancti donum errorem abiiciat, & ignorantiam, & fidem rectam ſuſcipiat, quia iuſtus ex fide viuit. Inter ſcapulas autem vngitur, vt per Spiritus ſancti gratiam negligentiam, & torporem excutiat, & bonam operationem exerceat, quia fides ſine operibus mortua eſt, vt per fidei ſacramentum ſit munditia cogitationum in pectore, & fortitudo laborum in ſcapulis. Poſt baptiſmum verò ſtatim à presbytero cum ſacro chriſmate ſignatur in cerebro, vt (quemadmodum dicit Rabanus) Chriſti regni particeps fiat, & à Chriſto Chriſtianus poſsit vocari, ideſt vnctus, & hoc, vt Chriſti regnum huic anteponat, de quo etiam D. Ambroſius ſic ait. Ergo merſiſti, veniſti ad ſacerdotem. Quid tibi dixit? Deus (inquit) pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu ſancto, conceſſitque tibi peccata tua; ipſe te vngat in vitam æternam. Vide vbi vnctus es, in vitam (inquit) æternam. Noli hanc vitam illi vitæ anteferre. Vel ut alio loco ait Ambroſius. Vnguentum ſuper caput offunditur, quia ſapientis ſenſus in capite eius, vt ſcilicet ſit paratus omnipotenti de fide reddere rationem. Poſtea

Baſili. de ſpũ ſan. c. 27.

Clemens lib. 3. recognit.

Innoc. pp.

Iaco. 2.

Rabanus.

Ambr. de ſacram. li. 2. cap. 7.

Ambroſ.

ſtea traditur ueſtis candida, in ſignum reſurrectionis, ad quam homines per baptiſmum regenerantur, vt in nouitate vitæ, id eſt puritate, & ſinceritate cordis ambulemus. Vnde Ambroſ. lib. de his, qui initiantur myſteriis, cap. 7. Accepiſti poſt hæc ueſtiméta candida, vt eſſet indicium, quod exueris inuolucrum peccatorum, indueris innocentiæ caſta uelamina: de quibus dixit Propheta. Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. De hac ueſte candida poſt baptiſmum aſſumenda mentionem pariter facit magnus Imperator Conſtantinus in ſua confeſsione dicens. Leuatoq; me de uenerabili fonte indutus ueſtibus candidis ſeptiformis Spiritus ſancti cõſignationem adhibuit &c. Sal uerò, & ſputum, ac reliqua ſimilia, quæ tu ò Anna ore tuo ſacrilego nugas appellas, ad baptiſmi ſacramẽtum adhibenda eſſe non dicimus, quẽadmodũ tu ex ignorãtia nobis tribuis: Verũ hæc ipſa ad baptiſmi præambula, quæ ſunt catechiſmus, & exorciſmus, requiri affirmamus. Quæ D. Chryſoſto. uocat arcana uerba, & metuenda, ac horribiles canones dogmatum de cœlo tranſmiſſorum. Catechiſmus. n. eſt inſtructio baptizandorum in fide, quæ omnino baptiſmum præcedere debet, dicente domino. Euntes docete oẽs gentes, baptizãtes eos in noĩe patris, & filii, & ſpiritus s. Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit: qui nõ crediderit, condemnabitur. Quõ aũt Chriſto credet quis in baptiſmate, niſi primò inſtruatur in fide? Quod manifeſtat Apoſt. dicens. Quõ credent ei, quẽ non audierũt? Quõ aũt audient ſine pdicante? Primò igitur, qui ad baptiſmũ conuolare uolunt, ſunt catechizandi. i. in fide inſtruẽdi. Vnde Raba. de inſtit. cleric. ait. Ante baptiſmũ catechizãdi debet hoĩem puenire officiũ, ut fidei primũ catechumenus accipiat rudimentũ. Et Hila. Venturi ad baptiſmũ prius confitent credere ſe in Dei filio, & in paſsione, & reſurrectione eius. Itẽ Epiphanius in Ancoratu. Baptizãdi primũ iubeant recitare ſymbolũ fidei nr̃æ. Si uerò qs interrogaret, quonãmodo paruulus in fide inſtrui põt, q nullã rõnis habet intelligentiam, quis huic obiectioni ſupiore articulo ſatisfactũ ſit; nihilominus rñdet Augu. ad Bonifa. epiſt. 23. dicẽs. Paruulũ fidẽ habere, ppter fidei ſacramentũ, & conuertere ſe ad Deũ propter conuerſionis ſacramentum, quia & ipſa reſponſio ad celebrationẽ pertinet ſacramẽti. Itẽ in lib. 2. de anima, & eius origine ca. 12. Myſteriũ credulitatis in paruulis p eorũ rñſionẽ, à qbus geſtant, implet:

Rom. 6. Ambroſ. Pſal. 50. Conſtãti. Imperat. Cõfeſsio. Chryſoſt. homi. 40. in epiſt. 1. Cor. c. 15. Catechiſ. Mar. 16. Rom. 10 Rabanus. Hila. in Matt. 15. Epipha. Interrogatio. Auguſt. Reſpõſio.

ne ſi factum non fuerit,eant ex uno omnes in condemnatioñe. Quapropter D. Auguſtinus hortatur omnes paruulorum baptizatorum fidei iuſſores ad inſtruendos ſimiles infantulos per ipſos à ſancto baptiſmate ſuſceptos in ſermone 163. de tempore dicens. Admoneo fratres cariſsimi quicunque uiri, quæcunque mulieres de ſacro fonte filios ſpiritualiter exceperũt,agnoſcant, ſe pro ipſis fideiuſſores apud Deum extitiſſe.Et ideo ſemper illis ſolicitudinem ueræ charitatis impendant.Deinde poſt catechizationem antequàm quis baptizetur, exorcizari debet. Eſt autem exorcizare (ut ait Chryſoſto. in homil. de Adam, & Eua) nihil aliud, quàm per diuina uerba ſpiritum immundũ adiurando expellere. Vnde Auguſt. Paruuli exſufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli poteſtas inimica, quæ decipit hominem, ut poſsideat hominem. Non ergo creatura Dei exorcizatur, aut exſufflatur in infantibus,ſed ille, ſub quo ſunt omnes, qui cum peccato naſcuntur. Sciendum tamen eſt, D. Auguſt. de expulſione omnis poteſtatis diabolicæ abſolute locutum non fuiſſe,cum dicat D.Cyprianus,Scias Diaboli nequitiam poſſe remanere uſque ad aquam ſalutarem, in baptiſmo autem omnem nequitiam amittere; ſed ſolum de duplici impedimento ſalutaris gratiæ percipiendæ, quorum unum eſt extrinſecum, prout Dæmones hominis ſalutem impedire conantur, quod per exſufflationes excluditur, quibus Diaboli talis expellitur poteſtas, de qua ſuperius loquebatur Augu.quod etiam oſtendit in epiſtola 105. ad Xyſtum presbyterum dicẽs. Cum exorcizantur paruuli, & cum Diabolo per eos, à quibus geſtantur, renuntiare reſpondent, à Diaboli poteſtate illos liberari apertiſsimè demonſtratur. Aliud uerò impedimentum eſt intrinſecum, quo ex infectione originalis peccati homo ad percipienda ſalutis myſteria ſenſus habet præcluſos, quod ab homine remouetur per ea, quæ in exorciſmo obſeruantur. Sal enim in os infantis imponit ſacerdos: aures,& nares poſtea ſpu to linit. aurium enim linitio doctrinæ fidei receptionem ſignificat, narium approbationem,ſal uero in os miſſum confeſsionem. Aperiuntur autem aures ad audienda Dei mandata,nares ad percipiendum eius notitiæ odorem,labia ad reſpondendum ſacerdoti de fide interroganti. Vnde Rabanus de inſtitutione clericorum. Per ſaliuam typicam, & ſacerdotis tactum ſapientia, & uirtus diuina ſalutem catechumeni operatur, ut

Auguſti. Exorciſ. Augu.l.1. de ſymbolo ad catechumenos. ca.1. Cyprian. Auguſti. Rabanus.

aperiantur

aperiantur ei nares ad percipiendum odorem notitiæ Dei, vt aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illi ſenſus in intimo corde ad reſpondendum. Hæc autem facit ſacerdos ad Chriſtum imitandum, quem legimus liniuiſſe lutum ſuper oculos cæci, & digitos in auriculas ſurdi miſiſſe, expuentemq́ue linguam eiuſdem muti etiam tetigiſſe. Quod approbat D. Ambroſ. in lib. de iis, qui initiantur myſteriis c. 1. dicens. Aperite aures, & bonum odorem uitæ æternæ inhalatum uobis munere ſacramentorum capite, quod uobis ſignificauimus, cum apertionis celebrantes myſterium diceremus, Epheta, quod eſt adaperire, & uenturus unuſquiſque ad gratiam, quid interrogaretur, cognoſcere, quid reſponderet, meminiſſe deberet. Hoc myſterium celebrauit Chriſtus in euãgelio, cum mutum curaret, & ſurdum. Hæc ſunt impedimenta, quæ in exorciſmo ab homine baptizando remouentur, in ipſo tamen poteſtate Dæmonis remanente, quantum ad peccati maculam, & pœnæ, quæ demum per baptiſmum prorſus tollitur. Quod ſuperius D. oſtendit Cyprianus. Non igitur iſta ſunt nugæ, uti nobis Annas impingit, uerum baptizandis utilia ualde. Quapropter ſancta mater Eccleſia in uniuerſum mundum docuit: quòd cum ſiue paruuli, ſiue iuuenes ad regenerationis ſacramentum ueniunt, non prius ad fontem uitæ adeant, quàm exorciſmis, & exſufflationibus clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur.

Ioan. 9.
Marc. 7.
Ambroſ.
Cęleſtin. Papa in decr. ſuis can. 12.

De tranſubſtantiatione corporis, & ſanguinis Domini. Art. XVI.

AD Sanctiſsimum tandem Euchariſtiæ ſacramentum omnium aliorum nobiliſsimum, digniſsimum, atque excellentiſsimum eſt deueniendum: cui Annas Burgenſis in principio ſecundum ueritatem annuere quidem videbatur, cum dicebat. *Credo Sacramentum cœnæ eſſe ſanctam, & externam cæremoniam à Chriſto in euangelio, pridie quam moreretur inſtitutam ſub ſpecie panis, & vini in memoriam ſuæ mortis, eamq́ue in ſe promiſſionem remiſſionis peccatorum continere. Et per illud ſacramentum nos verè participare corpus, & ſanguinem Ieſu Chriſti, ali in domo, & familia domini, nimirum eccleſia, poſteaquam in illam per baptiſmum coaptati ſumus.* Verùm deinde ueritati, & maieſtati huius ſa-

ius sacramenti detrahendo, nullam reliquit blasphemiam, qua ipsum non affecerit, omnes ab aliis hæreticis circa hoc sacramentum hæreses tactas sigillatim suscitando: ita q̃ vltimatè veritatē sāctissimi corporis, & pretiosissimi sanguinis Iesu Christi in ipso sacramento, sui ipsius immemor, abnuere, respuereq; non sit veritus, vti inferius loco suo assignabitur. Primò Vualdēsium, Vuiclefftarum. Hussitarum, necnon & Lutheranorum trāsubstantialitatem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi negātium hæresim renouat dicens. *Credo in hoc sacramento signa, & symbola nequaquam mutata esse, sed suā naturā omni ex parte retinere: hoc est panē neq; mutatū, neq; (quēadmodū ab impostoribus uulgo traditur, qui miserū populū in errorē istum inducunt) in corpus Christi transubstantiatum esse, uel uinum in ipsius sanguinem, sed & panem, & uinum in sua natura, atque substantia permanere. Verba. n. quibus Christus vtitur, cum panem, & uinum suis Apostolis distribuit, Hoc est corpus meū, credo, & intelligo dicta esse per genus loquendi frequentissime in literis sanctis usurpatum: Itaque & intellexerunt, & suis scriptis explicarunt Patres sancti, & Doctores Ecclesiæ Irenęus, Cyprianus, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, & alij Patres, qui ante concilia bulum Lateranense scripserunt, in quo primum decreta est illa transubstantiatio panis, & uini in corpus, & sanguinem Christi, & tradita populo p̃ articulo fidei cum maxima Dei contumelia, & totius Ecclesiæ incōmodo, ac scandalo anno. 1050. Leone nono Papatum obtinente, cum Satanas iā è uinculis solutus esset, quēadmodum in Apocalypsi prædictum fuerat, & Ecclesiam multo magis, quàm antea conturbabat.* Non parū ò Anna tuā temeritatē, atq; cæcitatē mirari possum, qua frōte ausus fueris hoc oecumenicū Conciliū, in quo vtraq; Ecclesia tā Græca, quàm Latina cōuocata adfuerit (Interfuerunt. n. Patriarcha Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, & Archiepiescopi tā Gręci, quā Latini. 70. Episcopi. 412. Abbates 12. Priores. 800 nec non & vtriusq; Imperatoris, atq; Regū oīum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, aliorumq; Principum legati, à quibus oīa fidei negotia pacificè, ac summa cum vnitate fuerunt tractata) conciliabulum nominare? Quod neque sub Leone nono anno 1050. vt tu falsè asseris, verum sub Innocentio huius nominis tertio anno Domini. 1215. Pontificatus sui anno decimo octauo est celebratum: à quo & si in principio eiusdē doctrina transubstātialitatis panis, & vini in corpus, & sanguinē Christi, sit confirmata, atque corroborata; non tñ primò vt tu minus verè asseueras.

cum

cum antèquàm plurimos, & infinitos annos hoc itidem à ſancta matre eccleſia nobis ſit traditum: quod ex ſacris multorum tum Græcorum, tum Latinorum ſcriptis, qui huic Cõcilio per multos annos antè præfuerunt, quos tu pariter, ſed falsò, in tui defenſionem citas, oſtendere dignum duxi. Quapropter non parum de tua cæcitate me mirari aiebam, cum ignem in ſinu tuo foueas, & te comburi non videas. Nullam enim rationem in tuæ falſitatis corroborationem adducis, niſi ſupradictorum patrum auctoritatem. qua in re neque ego aliam tibi in oppoſitum aſsignare volo rationem, quàm eorundem Patrum ſententiam, vt ex proprio ore tuo condemnationem ſuſcipias. Nam Iræne. primò Irenæum in tui teſtimonium vocas, qui circa annum Domini 150. claruit, igitur ipſum primò etiam audiamus, qui lib. v. aduerſus hæreſes ſic ait. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit euchariſtia corporis, & ſanguinis Chriſti, ex quibus augetur, & conſiſtit noſtræ ſalutis ſubſtantia. Si ergo panis, & calix, ſumpto Dei verbo, fit euchariſtia corporis, & ſanguinis Domini; neceſſe eſt dicere, in hac actione panem, neque vinum manere. Cyprianum doctorem e- Cypria. ximium loco ſecundo citabas, qui circa annum Chriſti. 225. claruit. Ideo & eius ſententiam ſecundò videre dignum erit: qui in ſermone de cœna Domini ſic ait. Panis iſte communis in carnẽ, & ſanguinẽ mutatus procurat vitã, & incremẽtũ corporibus. Quid clarius ab ipſo appetis? Quòd ſi his nõ contẽtaris uerbis, audi lõgius. Panis iſte (inquit ipſe) quẽ Dominus diſcipulis porrigebat, nõ effigie, ſed natura mutatus, oĩpotẽtia verbi factus ẽ caro. Tertullianum quoque, qui anno Domini 210. clariſsimus Tertullia. fuit, in tuũ tertiò vocas defenſorẽ. quare & loco tertio eiuſdem cõtra te aſsignabimus ſñiam, qui lib. 4. contra Marcionẽ ſic ait. Profeſſus itaque Chriſtus ſe concupiſcẽtia concupiſſe edere Paſcha, vt ſuũ (indignũ.n. vt quid alienum concupiſceret Deus) acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meũ dicendo, id eſt figura corporis mei: figura aũt nõ eſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Quid eſt autem panẽ facere corpus Chriſti, niſi trãſmutare? Quartò Ambroſiũ in tui de Ambroſ. trimẽtũ citas, qui circa annũ Domini 370. totã Chriſtianitatẽ ſuis doctiſsimis ſcriptis pluſtrauit: nã lib. 4. de ſacramẽtis cap. 4. ait. Tu fortè dicis, meus panis ẽ vſitatus, ſed panis iſte panis ẽ ante verba ſacramẽtorum, vbi aũt acceſſerit cõſecratio, de pane fit

caro

caro Christi.Item eodem in cap. Ergo tibi vt respõdeam,non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi,quòd iam corpus est Christij. Deinde sub finem: Ergo didicisti,quòd ex pane corpus fiat Christi.Et aqua in calicem mittitur,sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.Itẽ cap.5.Antequam (inquit ipse) consecretur, panis est, vbi autẽ verba Christi accesserunt dicentis,Hoc est corpus meum, corpus Christi est.Denique audi dicentem.Accipite,& edite ex eo omnes,Hoc est corpus meum.Et ante verba Christi calix est vini,& aquæ plenus:vbi verba Christi operata fuerint;ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi vniuersa conuetere.Item lib. 5.ca.4. Memini sermonis mei,cum de sacramentis tractarem,dixi vobis,quòd ante verba Christi, quod offertur, panis dicitur, vbi verba Christi deprompta fuerint,iam nõ panis dicitur, sed corpus appellatur.Item in alio loco eiusdem libri ait. Licet figura panis,& vini videatur,tamen nihil aliud,quàm caro Christi, & sanguis post consecrationem credenda sunt.Sed quid ait Augustinus doctor facundissimus D. Ambrosij in baptismate filius, qui circa annum Domini 400.vitam præsentem finiuit, quem tu ipse sumpsisti pro quinto iudice?attende. Nec similiter pendimus has duas species panis, & vini, sicut ante consecrationem pendebamus: cum fideliter fateamur antè consecrationem panem, & vinum esse, quod natura firmauit: post consecrationẽ vero carnẽ Christi,& sanguinem, quod benedictio cõsecrauit.Et Ioannes natione Antiochenus, Constantinopolitanusque Episcopus, qui ob linguæ, sermonisque præstantiam Chrysostomus nominatur, & D. Augustinus contemporaneus quem tu pro sexto in tuæ pertinaciæ testimonium desumpsisti, quid dicit?audi.Propter hoc tibi offerimus rationabilem hũc, & immaculatum cultum,& inuocamus,rogamus, & supplicamus,Emitte Spiritum tuum sanctum super nos,& super proposita dona Amẽ.Et fac panẽ quidẽ hũc pretiosum corpus Christi tui Amen. In calice verò hoc p̃tiosum sanguinẽ Christi tui trãsmutans Spiritu tuo sancto.Hæc est missa sua.Insuper non solum hos,quos nominatim descripsisti,verum & reliquos Patres oẽs, qui ante ipsam Lateranensem Synodum scripserunt,in tui testimonium pariter adduxisti:quorum sententias propterea, & ad maiorem tuæ peruersitatis confusionem in publicum adducendas

Augusti. in lib.sen tẽtiarum. Prosperi, & de cõs. dist. 2. cap. Nos autem.

Chrysto. in missa.

cendas

cendas eſſe neceſſarium iudicaui. Gregorius enim Niſſenus Baſilii magni frater, qui circa annum Domini 350. floruit, ſic ait in lib. de myſtica vita Moyſi. Greg. Niſ. pag. 577. exponẽs rationem illius cibi mannę in deſerto Patribus dati, ſub cuius figura de Euchariſtia ſic diſſerit. Is igitur mirabilis ſine agricultura panis varietate qualitatis ad ſuſcipientium habitudinem virtutem ſuam commutat. Nam cum ſit panis, ignorat labefieri, ſic in carnem verti, nouit holus imitari. quicquid denique aſſumẽti conueniens, & expeditum ſit, vt Apoſtolus vult, qui hanc nobis menſam præparauit, in id commutatur. Item ſuper his verbis apud Lucam poſitis, Hoc eſt corpus meum. Panis. n. ante cõſecrationem communis panis eſt: ſed vbi conſecratur; myſterio fit, & dicitur corpus Chriſti. Ioan. etiam Damaſcenus lib. 4. orthodoxæ fidei ca. 14. ſic ait. Corpus ſecundum veritatem coniũctum eſt diuinitati, quod ex ſancta virgine corpus eſt, nõ quòd ipſum corpus aſſumptum cælo deſcenderit, ſed quòd ipſe panis, & vinum tranſmutantur in corpus, & ſanguinem Chriſti. Si autem modum quæris, quo nam pacto fit, ſat ſit tibi audire, quoniam per Spiritum ſanctum. Ecce quid ſuper his protulerit Damaſcenus, quem non potes affirmare poſt ſupradictam Synodũ fuiſſe, cum teſte Ioanne Tritemio temporibus pijſsimi, atque deuotiſsimi Imperatoris Theodoſij ſenioris, qui Mediolani anno 397. mortuus eſt, vixerit. Cyrillus quoq;, qui diu ante illud Lateranenſe Cõcilium floruit (nam paulò ante 500. annum ad Dominum migrauit) ſuper his verbis, Hoc eſt corpus meum, ſic ait. Decebat eum noſtris quodammodo vniri corporibus per ſacram eius carnem, & pretioſum ſanguinem, quæ accepimus in benedictiõe viuificatiua in pane, & vino. Ne. n. horreremus carnem, & ſanguinẽ appoſita ſacris altaribus, cõdeſcendens Deus noſtris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ quaſi quoddam ſemen viuificatiuum inueniatur in nobis. Gregorius verò magnus doctor, & pontifex ſanctiſsimus, qui ſanctam Chriſti Eccleſiam vſque ad annum 586. rexit, quid nã ſuper hoc protulit, audi. Poſt conſecrationem non eſt ſubſtantia panis, vel vini, licet ſpecies remaneant. eſt. n. ibi ſpecies panis, & vini, ſicut & ſapor. vnde aliud videtur, aliud intelligitur. Ven. autem Beda in Gręca, Latinaque eruditus lingua, qui circa annum Domini 693. maximus pro Chriſtiana religione ſcriptor claruit, ſic in lib. de my-

Damaſce.

Cyrill.

Greg. lib. 4. Dialo. c. 68. & 4. d. xi

Beda.

ster. Ibi forma panis videtur, vbi substantia panis non est, nec
Theoph. est ibi alius panis, quàm qui de cęlo descẽdit. Et Theophilactus
inter Græcos non infimus, qui circa annum domini. 750. vixit,
sic in Mat. cap. 26. ait Christus dicens. Hoc est corpus meum, o-
stendit quòd ipsum corpus Domini ẽ, qui sanctificatur in alta
rio, & non respondens figura, non. n. dicit, Hoc est figura, sed
hoc est corpus meum. ineffabili. n. operatione transformatur,
etiam si nobis videatur panis. Quoniã infirmi sumus, & abhor-
remus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem, &
ideo panis quidem apparet, sed caro est. Item in 14. Marci ait,
cum scilicet Christus benedixisset, hoc est gratias egisset, fre-
git panem, id quod etiam nos facimus, preces adiungendo,
Hoc est corpus meum, hoc inquam, quod sumitis: non enim
figura tantum, & exemplar quoddam Dominici corporis pa-
nis est, sed in illum conuertitur corpus Christi. Deinde infra.
Quia enim panis quidem, & vinum ex his sunt, quibus assueui-
mus, ea non abhorremus: idcirco misericors Deus nostræ infir-
mitati condescendens, speciem quidem panis, & vini seruat, in
virtutem autem carnis, & sanguinis transelementat. Item in 6.
Ioann. exponens illud, Panis quem ego dabo caro mea est, At-
tende, inquit, quòd panis, qui à nobis in mysteriis manduca-
tur, non est tantum figura quædam carnis Domini, sed ipsa ca-
ro domini: non. n. dixit, Panis, quẽ ego dabo, figura carnis meæ
est, sed caro mea est. transformatur. n. arcanis verbis panis ille
per mysticã benedictionem, & accessionẽ sancti Spiritus in car
nem Domini. Et ne quẽ conturbet, quod credendus sit panis ca
ro, etenim & in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniã
admittente, panis ille, qui manducabatur, in corpus eius muta-
batur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum, & su
stentationẽ conferebat iuxta humanum morem. Igitur & nunc
Hugo. panis in carnẽ Domini mutatur. Item Hugo de S. Victore theo
logus insignis lib. 2. ca. 9. de sacramentis dicit. Per uerba sanctifi
cationis uerus panis, & uera uini substãtia in uerũ corpus Chri-
sti, & verum sanguinem Christi conuertũtur, sola specie panis,
& vini remanente. Hunc ẽt non poteris affirmare post Latera-
Ansel. nen. Conc. fuisse: cũ anno. D. 1127. Parisiis floruerit. Ans. vero,
qui anno D. 1091. sanctissimè vitam finiuit, lib. 2. de corpore,
& sanguine Domini sic ait. In illis spẽbus panis, & vini, aut nul
la est, aut dñici corporis, & sanguinis substãtia, vel fides nostra
irrita

irrita ē. Hæc ſunt itaq; ò Anna eximiorũ doctorũ per te adducta teſtimonia panis, & vini in corpus, & ſanguinē Chriſti tranſubſtantiationem non eſſe nouam, neque à Lateranenſi ex Satanæ operatione (vt tu blaſphemando aſſeris) primum inuentam, ſed multò vetuſtiorem, nempè ab ipſis Eccleſiæ primordiis ex Spiritus ſancti inſpiratione proditam, approbantia, quemadmodum à ſupraſcriptis ſanctæ Eccleſiæ doctoribus tibi gratiſſimis, atque acceptatiſſimis huc propterea à te adductis, & citatis diffuſè ſatis eſt oſtenſum, atque comprobatum. Poſſem & alios quàm plurimos egregios, ſanctiſſimosque viros ad huius rei confirmationē adducere, ſed ne proxilitate tædio lectorē afficiã, tũ ēt ne tu, o Anna, illos tãquã ſuſpectus reſpuere audeas; iſtis ſctõrũ Patrũ auctoritatibus huic rei finē ĩponere decreui.

Si quis vero fidelium inſtructionis gratia rationes audire appeteret, quibus dei doctores ſancti affirmare ſunt moti, panem, & vinum in altaris ſacramento non remanere, ſed illa in corpus, & ſanguinem Chriſti omnino tranſmutari; tunc dicendum eſſet ſacros Dei doctores, non ſine, ſed multiplici ratione locutos fuiſſe. Primò. n. ex verbis Chriſti dicentis, Hoc eſt corpus meum. In quibus nempè verbis ſubſtantiam panis ibi non adeſſe, apertè, & clarè cuilibet manifeſtum poteſt eſſe: nam pronomen, Hoc, cum ſit demonſtratiuum ad ſenſum, demonſtrat ſubſtantiam ſub ſpeciebus immediatè latentem, nihil excludens. Sed ſi ſubſtantia panis ibi remaneret; ipſa ſola accidentibus immediatè ſubeſſet, & ſic ad ipſam panis ſubſtantiam demõſtratio huius pronominis (hoc) cum dicitur, Hoc eſt corpus meum, ferretur. quod dictum falſiſsimum eſſet, atque erroneũ: quia ſequeretur, quòd ſubſtãtia panis, vt talis, diceretur corpus Chriſti, vt aliqui volunt, quemadmodum oſtendetur inferius, veritatem corporis Chriſti in ſacramento altaris negantes, qđ eſt hæreticum. Nam ſi veritati hoc fuiſſet conſonum, vtique nõ dixiſſet Chriſtus. Hoc eſt, ſed potius. Hic panis, eſt corpus meũ quemadmodum nonnulli hæretici conantur interpretari. Cũ igitur ibi verum ſit Chriſti corpus, quemadmodum ſuperius dictum eſt, & inferius oſtendetur diffuſius; non eſt dicendum pronomen (hoc) ad panis ſubſtantiam, ſed ad Chriſti corpus tantum relationem habere. Similiter ſi panis ſubſtantia in hoc remaneret ſacramento, non dixiſſet Chriſtus, Hoc eſt corpus meum: Sed, hic, id eſt hoc in loco, vel in pane, eſt corpus

[Margin: rõ. 1. tran ſubſt.]

[Margin: rõ. 2. tran ſubſt.]

ratio. 3. transubst. meum, sicuti nonnulli Confessionistarum præsumunt interpretari. Cum autem (hoc) protulerit, quod est pronomen, vti in superiori ratione dictum est, totum sub illis speciebus contentum comprehendens, & nihil excludens; ideo dicendum, fatendumque est (quemadmodum & superius) solum Christi corpus sub illis speciebus contineri: quod pari ratione & dicendum est de calice. Tertiò, si panis substantia in altaris perseueraret sacramento; tunc maxima (præcipue à vulgo) committeretur idololatria, qui substantiam panis à substantia corporis Christi discernere nesciens, vtranque sub illis speciebus contentam latria, quæ soli Deo conuenit, adoraret.

ratio. 4. trāsubst. Quartò, cum homini ieiuno stomacho vnam post aliam liceat sumere hostiam consecratam, hoc facere non posset, si panis substantia ibi adesset. quia post primæ comestionem ob panis substantiam, quam cum Christi corpore prima vice assumpsit; ieiunus non esset. In oppositum autem posset quis cœnam dominicam adducere, in qua Christus 12. Apostolos comunicauit non ieiunos: sed audiat talis, quid dicat Augustinus. Liquidò apparet (inquit. Dominus Augustinus) quando primò acceperunt discipuli corpus, & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos, nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quod à ieiunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti prius in os christiani dominicum corpus intraret, quàm ceteri cibi. Nam ideò per vniuersum orbem mos iste seruatur: Neque enim quia post cibos Dominus dedit, propterea pransi, aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum conuenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus redarguit, & emendat, mensis suis ista miscere. Namque Saluator, quò vehementius commendaret mysterij illius altitudinem; vltimam hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ discipulorum: à quibus erat ad passionem digressurus. & ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post alios cibos semper reciperetur; credo, quòd eum morem nemo mutasset. Cum vero ait Apostolus de hoc sacramento loquens. Propter quod fratres cum conueneritis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis;

[Margin: August. in lib. respon. ad Ianua. & de Cōs. d. 2.]

[Margin: 1. Cor. 11.]

ueniatis; ſtatim ſubtexuit, quæ ad eiuſdem ſacramenti ordinem ptinent, ſcilicet quomodo ieiuni &c. Cetera autem, cum venero, ordinabo. Vbi datur intelligi, quia multum erat, vt epiſtola totum illis agendi ordinem inſinuaret, quod vniuerſa per orbem ſeruat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla horarum diuerſitate variatur. Ex his igitur omnibus concludendum eſt, atque affirmandum, panis ſubſtantiam in ipſo altaris ſacramento haud remanere. Quæ tamen panis ſcilicet ſubſtantia nec in præiacentem materiam (vti aliqui volunt) reſoluitur, neque annihilatur, ſed tota in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti conuertitur, quemadmodum aquæ ſubſtantia in Cana Galileæ virtute ipſius Chriſti operante, in vinum eſt conuerſa. Nec durum, & impoſsibile alicui hoc videatur eſſe, quòd in Chriſti corporis ſubſtantiam terrena transmutentur. Et ſi modum ſcire cupis, audi Ambroſi. lib. 4. de ſacramentis cap. 4. dicẽtem. Hoc igitur aſtruamus, quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Et infra. Vbi venitur, vt conficiatur venerabile ſacramentũ; iam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum. quis ſermo Chriſti? nempe is, quo facta ſunt omnia. Item cap. 5. poſtquam explicauit cõuerſionem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, ſub intulit. Ergo videte quantis generibus potẽs eſt ſermo Chriſti vniuerſa cõuertere. Deinde ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis, quòd corpus ſuũ accipiamus, & ſanguinem. Nunquid debemus de eius fide, & teſtificatione dubitare? Et Euſebius Emiſſenus. Inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſuſtantiam corporis, & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit. Ne verò & hoc durum creditu videatur, eundem Euſebium eiſdem in locis audi dicentem. Sicut ad nutum præcipientis Domini, repentè, & ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum; ita pari poteſtate in ſpiritualibus ſacramentis, vbi præcipit virtus, ſeruit effectus. Quanta itaque, & quàm celebranda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur, quomodo tibi nouum & impoſsibile eſſe debeat, quòd in Chriſti ſubſtantiam terrena, & mortalia conuertuntut; teipſum, qui in Chriſto es regeneratus, interroga, dudum alienus à vita, peregrinus à miſericordia,

Cyrillus Archiep. Hieroſoli. i catecheſis myſtagogica de corp. & sã gui. Chriſti.

Ambro.

Euſeb. Emiſſ. & de conſ. d. 2. c. Quia corpus.

cordia, & à ſalutis via intrinſecus mortuus exulabas, ſubitò initiatus Chriſti legibus, & ſalutaribus myſteriis innouatus in corpus Eccleſię non videndo, ſed credendo tranſiliſti, & de filio perditionis adoptiuus Dei filius fieri occulta puritate meruiſti, in menſura viſibili permanens maior factus es te ipſo inuiſibiliter, ſine quantitatis augumento, cum idem, atque idem eſſes ipſe multò alter fidei proceſsibus extitiſti: in exteriori nihil additum eſt, & totum in interiori mutatum eſt, ac ſic homo Chriſti filius effectus, Chriſtusque hominis in mente formatus eſt, &c. Et Ambroſium. Si tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe, quæ non erant; quantò magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur? Cęlum non erat, terra non erat, mare non erat. Sed audi dicentem. Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Tu ipſe eras, ſed eras vetus creatura: poſteaquam conſecratus es, noua creatura eſſe cępiſti. Vis ſcire, quàm noua creatura? Omnis (inquit) in Chriſto noua creatura. Accipe ergo, quemadmodum ſermo Chriſti creaturam omnem mutare conſueuerit, & mutat, quando vult, inſtituta naturæ &c. Ex his igitur, inquit Ambroſius, omnibus non intelligis, quantum operetur ſermo cæleſtis? Si operatus eſt in fonte terreno, ſi operatus eſt ſermo cęleſtis in aliis rebus; non operatur in cęleſtibus ſacramentis? Ergo didiciſti, quòd ex pane corpus fiat Chriſti: & quòd vinum, & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis.

Ambroſ. lib. 4. de ſacrament. cap. 4.

2. Cor. 5.

De reali ſumptione corporis Chriſti in ſacramento altaris ab ore corporali hominis. Art. XVII.

ATTENDITE Burgenſis aſtutiam. Corpus Chriſti in Euchariſtia abſolutè primò noluit negare, ne contra ſe omnem excitaret populum: ſed ita pedetentim ſuos ad hanc impietatem fraude adducendos eſſe putauit. Nam primò corpus Chriſti in altaris ſacramento expreſſe non negauit adeſſe: ſed à panis ſubſtantia affirmauit ſeparatum non eſſe. Nunc quò illius calliditas primam ſuam de corpore Chriſti confeſsionem trahere velit, animaduertite. Pręſuppoſi-

ta enim in Euchariſtia panis, & uini ſubſtantiæ cum corpore, & ſanguine Chriſti unione, ad hanc deuenit dementiam, ut panem, & uinum ab ore corporis tantum, corpus uero Chriſti, & ſanguinem ab ore animæ ſolum percipi poſſe affirmet, dicens. *Credo eodem hoc ſacramento duas res contineri, unam, quæ terrena eſt, corporalis, & aſpectabilis; alteram, quæ eſt cæleſtis ſpiritualis, & inuiſibilis: & quemadmodum corpus noſtrum, atque homo exterior recipit rem terreſtrem, & uiſibilem, id eſt panem, & uinum, quibus alitur, & ſuſtentatur; eodem modo animam noſtram, atque hominem interiorem recipere rem cæleſtem, & ſpiritualem, quæ per panem, & uinum ſignificatur, nimirum corpus, & ſanguinem Chriſti, ita ut unum cum ipſo efficiamur, oſſa ex ipſius oſſibus, caro ex ipſius carne, participantes cum ipſo omnem iuſtitiam, & alias uirtutes, dona, & beneficia, quæ Pater cæleſtis in ipſum contulit.* Non negamus & nos in ſanctiſsimo altaris ſacramento res duas contineri, unam terrenam, & aſpectabilem, quæ eſt non panis, & uini ſubſtantia (ut tu falſiſsimè imaginaris) ſed eorum accidentia ibidem miraculoſè abſque ſubiecto permanentia: alteram cæleſtem, & inuiſibilem, nimirum corpus Chriſti uerum, & ſanguinem. Sed qua fronte audes tu deinde affirmare, terrenam tantum à corporibus noſtris, & cæleſtem, corpus uidelicet Chriſti uerum, ab animabus ſolum recipi? cum firmiter credamus, teneamusque, ipſum Chriſti corpus cum ſanguine ita ſub iiſdem panis, & uini ſpeciebus contineri, quod ipſis durantibus haudquaquam poſsit ſeparari. Quapropter iuxta fidei catholicæ documenta aſſerimus, atque affirmamus hoc altaris ſacramentum communicantes non tantum panis, & uini ſpecies, uerum & corpus Chriſti cum ſanguine ore corporali ſumere: ſed non ita, ut unum cum Chriſto ipſo omnes efficiantur. Hi etenim uerè cum Chriſto unum efficiuntur, cum ipſo omnem iuſtitiam, & alias uirtutes, dona, & beneficia, quæ pater cæleſtis in ipſum contulit, participantes, qui ſeipſos probarunt, ut ab omni macula, & iniuſtitia purgati de pane illo edant, & de calice bibant: quod multi hominum peruerſi non faciunt, illò omni iniquitate pleni accedentes, & uerum Chriſti corpus non anima, & ſpiritu ſumentes in eorum tamen condemnationem, de quibus q; optimè, atque manifeſtè loquitur Apoſtolus dicens. Quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem

3. q. 77. art. 1. in corp.

3. q. 77. art. 4. in corp.

1. Cor. 11.

1. Cor. 11.

cem Domini indigne, reus erit corporis,& sanguinis Domini. Et infra. Qui enim manducat,& bibit indignè, iudicium sibi manducat,& bibit,non diiudicans corpus Domini. Super qui-
Augusti. bus verbis ait Augustinus. Multi indignè accipiunt corpus Christi,de quibus Apostolus ait. Qui manducat, & bibit indi-
Augu.su- gnè, iudicium sibi manducat. Et alibi. Patres vestri manduca-
p. 6. Ioã. uerunt manna,& mortui sunt. Multi de altari accipiunt,& accipiendo moriuntur. vnde dicit Apostolus, iudicium sibi manducat,& bibit &c. ex quibus verbis apertè ostenditur à quibusdã Christi corpus non anima,sed corpore tantum sumi, atque mãducari: nam si spiritu,& anima tantum summitur; nemo corporis,& sanguinis Domini reus fieret, neque iudicium sibi mã-
Ioann. 6. ducaret,sed vitam consequeretur ęternam iuxta illud Ioannis. Qui manducat meam carnem,& bibit meum sanguinem, habet vitam ęternam. Fatendum ergô erit,alios ore corporali tantum,alios corpore,& anima hoc sanctissimum Eucharistiæ sumere sacramentum,illos in condemnationem, hos verò in vi-
Augusti. tam ęternam. Quapropter Augu. in Euang. Ioã. Trac. 27. omnes Christi fideles ne ore corporis tantum, verùm & spiritu corpus Christi assumant, hortatur dicens. Carnem Christi, & sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento,quod & multi mali; sed usque ad spiritus participationem manducemus, & bibamus, vt in Domini corpore tanquam membra maneamus, & eius spiritu uegetemur, & non scandalizemur, etiam si multi modo nobiscum manducant, & bibunt temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta. Ad maiorem autem huius rei elucidationem sciendum est, in Eucharistia duo esse, sacramentum, & sacramenti uirtutem, quæ non parum inter se differunt, uti August. ostendit dicens.
Augu. in Ioan. tracta. 26. Nos hodie accepimus uisibilem cibum, sed aliud est sacramentum,aliud est uirtus sacramenti. Sacramentum enim est uerum corpus cum uero sanguine Iesu Christi sub panis,& uini speciebus uisibilibus inuisibiliter contentum. Quod quidem altaris sacramentum cum sit sensibile, sumi potest ab ore corporali, quemadmodũ superius ostensum est. Virtus vero ipsius nostra est sanctificatio, gratia uidelicet Spiritus sancti, quæ ibidem inuisibiliter continetur operando, qua uitam adipiscimur
Cyrill. in Ioã. li. 11. cap. 27. æternam, Vnde Cyrillus. Corporaliter Filius per benedictionem mysticam nobis ut homo unitur, spiritualiter autem ut Deus

Deus, ſui ſpiritus gratia noſtrum ad nouam uitam, & diuinę naturæ participationem ſpiritum reintegrans. Ad hanc autem Sacramenti altaris uirtutem non omnes corpus Chriſti corporaliter manducantes attingere, peruenireq; poſſunt, niſi fide, innocentia, puritate, & cordis contritione, ad illud ſanctiſsimum cum fiducia acceſſerint Sacramentum. Qui uerò aliter accedunt, Sacramentum tantummodo (hoc eſt uerum corpus Chriſti cum uero ipſius ſanguine, ſub ſpeciebus panis, & uini) abſque ipſius uirtute, & in ipſorum iudicium, ideſt condemnationem (uti ſuperius dicebat Apoſtolus) recipiunt, atque manducant. quod confirmat & Auguſt. dicens. Bonus accipit Sacramentum, & rem Sacramenti: malus uerò Sacramentum, & non rem. Sacramentum hic dicitur corpus Chriſti proprium de Virgine natum: res uerò ſpiritualis Chriſti caro. Bonus ergo utranque Chriſti carnem accipit: malus uerò tantum Sacramentum, ideſt corpus Chriſti ſub Sacramento, & nō rem ſpiritualem. Concludendum igitur erit uerum corpus Chriſti ab ore hominis corporali ſumi ſub ſpecie panis, & uini. Quod iterum Auguſt. lib. 3. de Trinitate cap. 4. oſtendit dicens. Corpus, & ſanguinem Chriſti dicimus illud, quod ex fructibus terrę acceptum, & prece myſtica conſecratum rite ſumimus ad ſalutem ſpiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ paſsionis. Quod cum per manus hominum ad illam uiſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur, ut ſit tantum magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter ſpiritu Dei, cum hæc omnia, quæ per corporales motus, in illo opere fiunt Deus operetur.

Auguſt.

Auguſt.

De ueritate corporis Chriſti à peccatoribus, uel infidelibus ſumpti. Art. XVIII.

EX ſupradicto etiam articulo alterius Burgenſis erroris falſitas patere poteſt: ait enim. *Itaque eos demum Chriſtum in hoc Sacramento recipere, qui ſecum illum per uiuam, & ueram fidem illò afferunt. qui uerò ſine fide, et pœnitentia eò accedunt, nihil aliud recipere niſi ſymbola, & ſigna externa, atque aſpectabilia, idque in ſuam perniciem, et condemnationem, quemadmodum Iudæ, et alijs ſimilibus impijs, & reprobis uſu uenit.* Cum ex ſuperioribus oſtenſum ſit, uerum Chriſti corpus in Sacramento altaris ab ore corporali

manducari. Quare affirmandum itaque erit, impios, quemadmodum & pios, non solum signa illa aspectabilia, species uidelicet sensibiles, sed & uerum Christi corpus, & sanguinem sumere, atque comedere, non tamen ipsius uirtutem, id est Spiritus sancti gratiam æquè gustare, atque participare: quia pij illam quidem consequuntur, impij uerò, illius loco, æternam adipiscuntur condemnationem. Quod etiam D. Gregorius manifestat dicens. Est quidem in peccatoribus, & indigne sumentibus uera Christi caro, & uerus sanguis, sed essentia, non salubri efficientia. Et Augustinus lib. 5. de unitate baptismi. Quia aliquis non ad salutem manducat, non ideo minus est corpus, & sanguis, quod accepit. Item de baptismo contra Donatistas lib. 5. cap. 8. loquendo de Iuda sic ait. Sicut enim Iudas, cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se Diabolo prębuit; sic indigne quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malũ sit: aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini, nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus. Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat, & bibit. &c. Item super Ioan. ait. De uno enim pane & Petrus accipit, & Iudas, sed Petrus accipit ad uitã, Iudas uerò ad mortem. Taceant igitur hęretici dicentes, corpus Christi ab impijs non sumi: cum uerum equidem corpus Christi sumant, etsi non ipsius effectum percipiant. De quibus, loco superius assignato, contra Donatistas, uidelicet, aiebat Augu. concludendo. Non ergo quærant, in catholica scilicet Ecclesia, hæretici, quod habent, sed quod non habent, idest finem pręcepti charitatem, sine quo multa sancta haberi possunt, sed prodesse non possunt. finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Constat ergo, nedum à iustis, uerùm & à perfidis sumi reale corpus Christi, sed ab illis ad salutem, ab istis autem ad perniciẽ.

Gregor.

August.

August.

August.

De admittendis ad communionem. Art. XIX.

SIMILITER ex supradictis duobus articulis, præsens Annæ Burgensis error de facili potest conuinci, qui est. *Credo, ad hanc sacram mensam solos fideles, quos uerè, & ex animo scelerum suorum pœnitet, admittendos esse, indignos uerò repellendos, ne polluant*

polluant, & contaminẽt ſacras epulas, quas Deus ſolis fidelibus, et domeſticis ſuis largitur. Indignos autem appello infideles, idololatras, impios, et contemptores Dei, hæreticos, omnes denique, qui ſectas inſtituunt ad unitatem Eccleſiæ diſſoluendam. Item periuros, contumaces aduerſus parentes, et ſuperiores. Item ſeditioſos, factioſos. Item qui alios pulſare, aut uerberare, quive rixari ſolent. Item adulteros, luxurioſos, fures, ereptores, auaros, ebrioſos, gulæ, ac uentri deditos. Denique omnes eos, quorum uita turpis, & flagitioſa eſt, & ſcandalorum plena. Nam hoc genus hominum expers eſt regni Dei, ob eamque cauſam eijci, et extrudi ab Eccleſia debent: neq; fas eſt cum ijs conſuetudinem habere, cibum ue capere, aut neceſſitudinem ullam contrahere, niſi forte ſpes eſſet illos iſto modo ad pœnitentiam allici poſſe. Et ſi quandoque in quibuſdam hæc opinio locum habeat, non tamen abſolute eſt affirmanda: quia nõ cuilibet peccatori Euchariſtiam ſacram petenti, illa eſt deneganda. Manifeſtis nempe, atq; publicis uſurarijs, adulteris, raptoribus, excommunicatis, ſimilibusque hominibus, maxime cum quibus etiam commiſceri, & cibum ſumere prohibeat Apoſtolus. 1. Cor. 5. dicens. Nunc autem ſcripſi uobis non commiſceri, ſi is, qui frater nominatur inter uos, eſt fornicator, aut auarus, aut 1. Cor. 5.
Idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cũ eiuſmodi nec cibum ſumere. Occultis uerò peccatoribus, id petentibus, minime eſt deneganda, etiam ſi ipſorum crimina, eorum paſtorem non laterent: Chriſti exemplo, qui Iudæ ſceleſtiſsimo corpus ſuum ſanctiſsimum porrexit. Vnde & Auguſt. ſuper his Pauli ad Cor. 5. primæ. Si is, qui frater nominatur inter uos, ait. Auguſt.
Nos à communione quenquam prohibere non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo iudicio Eccleſiaſtico, uel ſeculari nominatum, atq; conuictum. Poſſet tamen illorũ paſtor criminis ipſorum non ignarus, uel huiuſmodi occultos peccatores occulte admonere, uel in publico, neminem tamen nominando, omnes generaliter alloquendo, illos animaduertere, ne ad ſacram accedant communionem, niſi Eccleſię per peccatorũ ſuorum pœnitentiam, primò fuerint reconciliati. Non igitur corpus Chriſti in Sacramento altaris à piorum anima ſolumodo ſumitur, ſed etiam à corporali impiorum ore manducatur: qui neq; propterea ab ipſius communione ſunt expellendi, niſi eorum crimina maxime nota ſint, ac manifeſta. cuius oppoſitũ affirmare defatigabatur Burgenſis, ut longius progredi poſſet, & ſuum tandem uenenum euomeret.

POsteaquam Annas persuadere conatus est, in Sacramento Eucharistiæ panem, & uinum remanere, corpusque Christi solum à fidelibus, & ore animæ, & non à peccatoribus corporis ore sumi, atque manducari; nunc longius serpit: neque tamen quod sentit, adhuc in publicum emittere audet, corpus Christi uidelicet in Eucharistia negare, quod pro nunc ex parte concedit, admittens ibi esse, sed (hæresim Nestorianam, à Lutheranis renouatam sequens) non alio tempore, quàm quo sumitur, dicens. *Credo, illud Sacramentum in usu, et actione ipsa sic consistere, ut remoto usu, nec panis, nec uinum, quicquam ab illo communi pane, ac uino differant, quo in familijs nostris quotidie alimur.* Hoc autem facit, ut tandem corpus, & sanguinem Christi ex Sacraméto Eucharistiæ prorsus tollat, ac remoueat: quod uerba ipsius immediate sequentia manifestãt, cum ait. *Ob eamque causam non credo, corpus Christi in illo pane inclusum esse, illi ue adherescere, &c.* Quod inferius loco suo manifestabitur. Quantum ad primum, cuperem à te scire O Anna, uel à tuis complicibus, quibusnam rationibus adductus asseras, Eucharistiam extra usum non differre à pane, & uino, quibus alimur quotidie. Nam qui sine ratione loquitur, erubescere debet. Nullam ad tuam opinionem corroborandam à te uideo assignatam esse rationem: nisi fortè imagineris, hoc ideo extra

Bimẽbris obiectio.

usum non esse Sacramentum, quia cetera extra usum, rationem, & uim non habent Sacramenti, uel propter uerba Christi in cœna prolata. Accipite, & comedite hoc est corpus meum, &c. Si his motus es rationibus, ad hanc affirmandam

Respõsio ad primã obiectionem. August.

insaniam, multum deciperis. Sacramenta quidem omnia uim habent, & rationem Sacramenti, ex materiæ consecratione, mediãte uerbo diuino, eidem materiei applicato, iuxta illud Augustini. Accedit uerbum ad elementum, & fit Sacramentum: uerum magno cum discrimine. Singulari nempe modo, & mirabiliori cœnæ materia consecratur: alio uerò, & communiori, cetera conficiuntur Sacramenta. Horum enim consecratio solum consistit in quadam benedictione materiæ uniuscuiusque, ad creaturam rationalem applicatæ: quemadmodum uerba formalia uniuscuiusq; Sacramenti ad illam directa manifestant, ueluti cum dicimus. Ego te baptizo,

uel te conſigno, uel te abſoluo, & ſic de alijs. Hoc autem Eucharıſtiæ Sacramentum, non ſolum in quadam benedictione perficitur, ſed in quadam miraculoſa conuerſione conſiſtit, quæ fit in conſecratione panis, & uini per uerba Ieſu Chriſti abſolute prolata, abſque applicatione aliqua, uti ipſamet uerba formalia ſonant Hoc eſt corpus meum, in quibus nulla de rationali creatura, quemadmodum in alijs, ad ipſam hanc materiam applicando, fit mentio: ſed tota huius conſecrationis mirabilis uirtus, & perfectio ex his tantum oritur uerbis, ſcilicet Hoc eſt corpus meum. Vnde Ambr. 4. de Sacrament. cap. 5. Ambr.
Ante enim, quàm conſecretur, panis eſt: ubi autem uerba Chriſti acceſſerint, dicentis, Hoc eſt corpus meum; corpus Chriſti eſt. Item eodem in cap. Et ante uerba calix eſt uini, & aquæ plenus: ubi uerba Chriſti operata fuerint; ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Ad hoc autem probandum, nullam prorſus naturalem adducere poſſumus rationem: cum prẹter naturam id factum eſſe ex fide nouerimus, ſicuti præter naturam, ex uirgine Chriſtum natum eſſe cognoſcimus. ad quod credendũ ſermo ille diuinus nos ducit, quo omnia facta ſunt. Quem ſi abſque uſu, aut applicatione uerificari negauerimus, non ſolum Chriſti ſermonem, quo cuncta in ictu ſunt creata, impotentem diceremus, ſed & Chriſtum mentiri faceremus: qui cum ueritas ipſa ſit, mentiri non poteſt, neque uerbum eius uerificatu impoſsibile eſt. Hebr. 6. Non enim apud Deum impoſsibile eſt omne uerbum, quod in illo eſt immutabile. Luc. 1. Cælum, & terra tranſibunt, inquit Chriſtus, uerba autem mea nõ tranſibunt. Marc. 13. & Luc. 21. Quapropter dicebat Ambroſius ſuperius lib. 4. de Sacramen. cap. 4. Ambr.
Sermo Chriſti conficit hoc Sacramẽtum. Quis ſermo Chriſti? nempè is, quo facta ſunt omnia. Iuſsit Dominus, & factum eſt cælum. Iuſsit Dominus, & facta eſt terra. Iuſsit Dominus, & facta ſunt Maria. Iuſsit Dominus, & omnis creatura generata eſt. &c. Et infra. Cælum non erat, mare non erat, terra non erat: ſed audi dicentem, Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Ergo tibi ut reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem: ſed poſt cõſecrationem dico tibi, ꝙ iam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt: ipſe mandauit, & creatum eſt. Item in lib. de ijs, qui initiantur myſterijs, cap. 9. Quid dicimus de ipſa conſecratione diuina, ubi uerba ipſa Domini Saluatoris operantur? Nam Sacramentũ iſtud, quod accipis,

pis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantum ualuit sermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret; non ualebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod nõ erat; non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare, quàm mutare, naturas. Sed quoad argumentis utimur? suis utamur exemplis, incarnationisq; astruamus mysterij ueritatem. Nunquid naturæ usus præcesit, cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, uiro mixta femina generare consueuerat. Liquet igitur, quòd præter naturæ ordinem uirgo generauit: & hoc, quod conficimus corpus, ex uirgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem, in Chtisti corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus, partus ex uirgine? Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est. uere ergo carnis illius Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus. Hoc est corpus meum. Ante benedictionem uerborum cælestium, alia species nominatur: post consecrationem, corpus Christi significatur. Ipse dicit, sanguinem suum ante consecrationem aliud dici, post consecrationem, sanguinem nuncupari. Sermone igitur Christi dicentis, Hoc est corpus meum, absque usu, uel applicatione, hoc conficitur Sacramẽtum. Quod sine hesitatione firmiter credere debemus, etiam si Angelus de cælo aliud nobis annunciaret: quia cum sit creatura, fallere potest: creator autem, neque fallere, neq; mentiri potest. Verbum .n. Domini manet in æternum. Ideo ait Cyrillus super uerbis Christi, Hoc est corpus meum, apud Lucam 22. positis. Nec dubites, an hoc uerum sit, eo manifeste dicente, Hoc est corpus meum, sed potius suscipe uerba Saluatoris in fide: cum enim sit ueritas, non mentitur. Nec dicat hæreticus, Christum in cœna hoc tantũ confecisse Sacramentum, nunc autem per ministros celebrari, per quos alia pariter perficiuntur Sacramenta: cum Christus, ore tamen ministri, eodem modo, quo & in cœna, semper, & continue, hanc sanctam consecret mensam. Quapropter alia inter hoc, & cetera Sacramenta asignatur differentia. Nam aliorum sex Sacramentorum formalia uerba, ex ministrorum proferuntur persona. Vel per modum exercentis actum, sicut cum dicitur, Ego te baptizo, uel consigno te signo crucis, &

Cyrill.

confirmo

confirmo te chryſmate ſalutis, uel ego abſoluo te. Siue per modum imperantis, quemadmodum in ordinis Sacramento dicitur. Accipe poteſtatem, &c. Siue per modum deprecantis, ſicut in extrema habetur unctione. Per iſtam unctionem, & noſtram interceſsionem, &c. Vel per modum mutui conſenſus, ſicuti in matrimonij Sacramento dicitur. Ego te accipio in maritum, & ego te in uxorem, &c. Verba autem huius ſanctiſsimi Sacramenti formalia, ex ore quidem miniſtri proferuntur, ſed non ex perſona propria, uerum ipſius Chriſti per os miniſtri loquentis: ita quòd in huius Sacramenti celebratione nil operatur miniſter, nil agit, niſi quòd profert Chriſti uerba. Chriſtus uerò ibi eſt, qui conſecrat: quemadmodum & in ultima cœna hoc idem ſuis diſcipulis conſecrauerat. Vnde Chryſoſt. in ſermone de paſs. Et nunc etiam ille præſto eſt Chriſtus, qui illam ornauit menſam, ipſe iſtam quoque conſecrat, Non enim homo eſt, qui propoſita corpus Chriſti facit, & ſanguinem, ſed ille, qui pro nobis crucifixus eſt, Chriſtus. Sacerdotis ore uerba proferuntur, & Dei uirtute conſecrantur, & gratia: hoc uerbo, quod dicit, Hoc eſt corpus meum, propoſita conſecrantur. Et ſicut illa uox, quæ dicit, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem, operante natura; ita & uox iſta ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ, uſque in hodiernum diem, & uſque ad eius aduentum, præſtat ſacrificio firmitatem. Et D. Ambroſius quarto de Sacrament. capit. 4. ait. Vbi uenitur, ut conficiatur uenerabile Sacramentum; iam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti. ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum. quis ſermo Chriſti? nempe is, quo facta ſunt omnia. Non igitur dicendum eſt, hoc Sacramentum, ſicuti reliqua, abſque uſu perfici non poſſe, cum ſolo Chriſti uerbo, & in perſona ipſius conficiatur, uti dictum eſt. Ad aliam uerò obiectionem ex Chriſti uerbis deſumptam dicentis, Accipite, & comedite, Hoc eſt corpus meum, &c. de facili ſatisfacere poſſumus. Quidam enim huic uolentes ſatisfacere obiectioni, affirmarunt, Chriſtum, qui ſuam Sacramentis non alligauit uirtutem, abſque omni uerborum forma, ſed ſola uirtute ſua, hoc confeciſſe Sacramentum: deinde uerba, ſub quibus alij poſtmodum conſecrare deberent, diſcipulis protuliſſe in cœna: quemad-

Chryſoſt.

Ambr.

Ad ſecundam obiectionem.

quemadmodum & circa baptiſmum obſeruare uoluit, quem uolens inſtituere, primò ipſe eſt baptizatus, poſtea ipſius baptiſmi formam, qua ceteri uti deberent, inſtituit: ut in celebrandis Sacramentorum myſterijs, differentiam inter Sacramentorum auctorem, & ipſius miniſtros eſſe, demonſtraret. quapropter aſſerunt, ꝙ ſi Chriſti corpus, ante prolata à Chriſto uerba, in pane illo non fuiſſet, neque Chriſtus uerum dixiſſet, Hoc eſt corpus meum. Oportuit ergo Chriſti corpus, uirtute ipſius, in hoſtia illa præextitiſſe, antequam uerbum diuinum, uidelicet Hoc eſt corpus meum, à Chriſto fuerit prolatum. cui ſententiæ Innocentij .3. Verba uidentur arridere. Sanè dici poteſt, inquit ipſe, quòd Chriſtus uirtute Diuina confecit, & poſtea formam expreſsit, ſub qua poſteri benedicerent. Quæ tamen uerba potius opinatiue, quàm determinatiue ſunt dicta: præcipue cum in contrarium ſint uerba Euangeliſtæ dicentis, Chriſtum primò benedixiſſe, & fregiſſe: deinde dediſſe, &c. quæ quidem benedictio, non niſi aliquibus uerbis, facta eſſe poteſt. Ideo alij aliter dixerunt, Chriſtum uidelicet, dum panem benedixit, illum quadam benedictione ſecreta, nobis ignota, conſecraſſe, ad quam panis conuerſio in corpus Chriſti eſt ſecuta: poſtmodum fregiſſe, & diſcipulis ad ſumendum dediſſe, dicentem. Accipite, & comedite, illis manifeſtando panem illum in corpus ſuum conuerſum fuiſſe: & hoc cum ſubinferebat, Hoc eſt corpus meum. In quorum prolatione uerborum, etiam eis poteſtatem, & formam conuertendi panem in poſterum in corpus Chriſti, contuliſſe uolunt. Verum neq; hoc ueritati correſpondere poteſt: cum conſecrationis benedictio per imitationem eorum, quæ tunc acta ſunt, perficiatur. Vnde ſi tunc per hęc uerba, Hoc eſt corpus meum, non facta fuiſſet cōſecratio, nec modo fieret. Quapropter alij alio modo hanc interpretati ſunt ſententiam dicentes, benedictionem illam, eiſdem etiam uerbis factam quidem eſſe, quibus modo fit, ſed tacite prolatis: ita quòd Chriſtus bis ea protulerit, primò ſecrete ad conſecrandum, ſecundò publice ad inſtruendum. Quod pariter affirmari non poteſt, tum quia uideretur, Chriſti uirtutem Sacramētalibus uerbis fuiſſe alligatam (nam ſi Chriſtus ſecrete uoluiſſet conſecrare; illis uerbis uſus non fuiſſet: ſed propria hoc operatus fuiſſet uirtute) tum etiam quia ſacerdos conſecrando, hæc uerba, non ut à Chriſto in occulto, ſed pu-

Innoc. Pa. 3.

blice prolata profert. Et ideo alij magis ad ipſam accedentes ueritatem, illamq; aperiendo dixerunt, Chriſtum in ultima cœna, menſam illam, per eadem uerba, ſemel tantum publice prolata, quibus nos ad tale ſacrificium conficiendum utimur, conſecraſſe: nō tamen eodem ordine, quo ab Euangeliſtis ſunt poſita. Nec alicui hoc abſurdum eſſe uideatur: quia Euangeliſtæ non ſemper eundem ſeruauerunt in recitando ordinem, quo res ſunt geſte, ut patet per Auguſtinum, in lib. de conſenſ. Euangeliſt. quod etiam ipſa docet experientia. Nam in deſcribenda una, & eadem re, per Chriſtum geſta, inter ſe quandoq; uarij ſunt Euangeliſtæ: non quidem in explicanda re ipſa, ubi nulla inter ipſos eſt diſcrepantia; ſed in ordine rei aſsignando: uti de illa expreſſe habetur cœna. Ait enim Matth. 26. Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit: deditq; diſcipulis ſuis, & ait. Accipite, & comedite, Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Dico autem uobis, non bibam amodo de hoc genimine uitis uſq; in diem illum, cum illud bibam uobiſcum nouum, in regno Patris mei. Marcus uerò. 14. ſic ait. Et manducantibus illis. Accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait. Sumite. Hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes. Et ait illis. Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamēti, qui pro multis effundetur. Amen dico uobis, quia iam non bibam de hoc genimine uitis, uſq; in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei. Lucas autem 22. ſic deſcribit. Et cum facta eſſet hora, diſcubuit, & 12. Apoſtoli cum eo, & ait illis. Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare uobiſcum, antequam patiar. Dico.n. uobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, & dixit. Accipite, & diuidite inter uos. Dico enim uobis, quòd non bibam de generatione uitis, donec regnum Dei ueniat. Et accepto pane, gratias egit, & fregit: & dedit eis, dicens. Hoc eſt corpus meū, quod pro uobis datur. Hoc facite in meam commemorationē. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens. Hic eſt calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro uobis fundetur. Ex horum enim Euangeliſtarum ſcriptis aperte, atq; ex-

August. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

presse apparet, quanta in narrando cœnæ Dominicæ ordine, sit diuersitas: nam inter alia (si iuxta Euangelistarum uerborum ordinem huius Sacramenti celebrationem obseruare uoluerimus) apud Marcum nullum profectò erit sanguinis Sacramentum, nisi post potationem uini, eodem dicente. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis. Hic est sanguis meus, &c. Ecce quòd postquam ex calice biberunt omnes, tunc (ut litera sonat) consecrauit dicens. Hic est sanguis meus, &c. quod est absurdum, & hæreticum dicere. Et apud Lucam 22. Calix sanguinis bis esset sumendus: cum bis de illo mentionem faciat. quod pariter est erroneum affirmare: quia primus (ut ait Diony. Carthus. & alij) ad uetus Pascha, & secundus ad nouum pertinebat Testamentum, ille figuram designando, iste figuratum explicando, quo ueniente cessare debebant omnes figuræ, quæ tunc uere in figurato sunt conuersæ. Ideo & Theophilactus aiebat. Lucas uidetur meminisse poculorum, & semel quidem dicit. Accipite, & diuidite inter uos. quod ueteris Testamenti figuram quis esse dixerit. Et iterum, quòd illum, postquam fregit panem, & distribuit, ipse distribuit discipulis. quod & noui Testamenti nominat, & suo sanguine dicit hoc innouari. In ueteri enim sanguis erat brutorum animalium, cum lex uigeret: nunc autem, cum uerbum Dei homo factum est, sanguis nouum Testamentum nobis obsignauit. Vel quia (ut alij dicunt) Lucas Euangelista non duos sanguinis Christi calices, sed unum tantum indicare uoluit. Nam illud (ut eo in loco affirmat & Augustinus) quod superius dicit, præoccupauit, ut solet: illud uerò, quod ordine suo posuit, non commemorauerat superius. Vtrunque autem coniunctum eandem sententiam facit: quę illorum est, scilicet Matthæi, & Marci. Hæc Augustinus. Et ideo cœnę ordinem sic exprimi debere, est intelligendum. Accepit panem, & benedixit dicens. Hoc est corpus meum. Ac deinde fregit, & dedit discipulis suis dicens. Accipite, & comedite. Similiter, & accepto calice, eum primò benedixit dicens. Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, &c. Deinde suis dedit discipulis dicens. Bibite ex hoc omnes, &c. Et iste sensus supradictorum Doctorum sententijs est consonus, ueritati ipsi correspondens: quia uere, & realiter, huius Sacramenti

Dion. Carth.

Theophilac.

August.

ti conſecratio in his tantum uerbis, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt enim calix ſanguinis mei, &c. conſiſtit. reliqua uerò uerba, Accipite & comedite; de neceſsitate huius Sacramenti non ſunt, quemadmodum ſuperius dictum eſt: ſed ad ipſius Sacramenti uſum referri debent. qui tamen uſus ad quandam pertinet Sacramenti perfectionem tanquam actus ſecundus, ſiue operatio, quæ eſt ſecunda, & non prima perfectio rei. Vtranque autem, primam uidelicet, & ſecundam huius Sacramenti perfectionem in his omnibus uerbis Chriſtus exprimere uoluit. Prima autem huius Sacramenti perfectio eſt, corpus Chriſti eſſe in ipſo: in quo uere, & realiter eſt; antequam applicetur, ſiue ab aliquo ſumatur. Quod manifeſte iterum indicat Auguſtinus in pſal. 98. dicens. Dei Vnigenitus filius ſuſcepit de terra terram: quia caro de terra eſt: & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit, &c. Si igitur prius eſt adoranda, antequam manducetur; ergo ante ipſius comeſtionem, eſt uera Chriſti caro: alioquin adoranda non eſſet. Quæ quidem ſancta Chriſti caro poteſt ad futuram Chriſtianorum, pręcipue infirmorum, neceſsitatem in altari cum reuerentia reſeruari: quę ſub iiſdem ſpeciebus ſemper uera Chriſti caro perſeuerat, niſi ſpecies illæ corrumperentur. Vnde Cyrillus ſuper his uerbis. Hoc eſt corpus meum, apud Luc. poſitis, ait. Inſaniunt igitur dicentes, myſticam benedictionem à ſanctificatione ceſſare, ſi quæ reliquię remanſerint eius, in diē ſubſequentem. Non enim mutabitur ſacroſanctum corpus Chriſti, ſed uirtus benedictionis, & uiuificatiua gratia iugis in eo eſt. Virtus enim uiuificatiua Dei Patris unigenitum uerbum eſt, quod caro factum eſt, non deſinens eſſe uerbum, ſed efficiens carnem uiuificatiuam. Taceat ergo Burgenſis cum reliquis omnibus aſſerentibus, hoc Sacramentum in uſu, & applicatione ipſa ſic conſiſtere; ut remoto uſu, nec panis, nec uinum quicquam ab illo communi pane, ac uino differant, quo in familiis noſtris quotidie alimur. Sed utinam peiora, nefandioraque de hoc non protuliſſet Sacramento. His enim ex animi ſui ſententia confectis, eò tandem peruenit, quò tendebat initio, ut, quod ante conceperat, uenenum euomeret, Chriſtum uidelicet in hoc Sacramento non eſſe affirmando,

Auguſt.

Cyrill.

Psal. 52. mando, iuxta illud prophetæ. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Quod uerba ipsius immediate subsequentia manifestant.

De modo, quo corpus, & sanguis Christi sunt in altaris Sacramento. Art. XXI.

TANDEM Annas Burgensis fœtus, quod in principio astute conceperat, nunc euomere uoluit, corpus Christi realiter in hoc Sacramento non esse asserendo: quam quidem peruersitatem in subsequentibus suis uerbis ostendit, dicens. *Ob eamq; causam non credo, corpus Christi in illo pane inclusum esse, illiue adherescere, aut in pane, sub pane, uel cum pane, fixum, inclusumue esse. Immo credo, & profiteor, corpus Christi esse in cælo ad dexteram Patris, quemadmodum superius dictum est: & quoties illo pane, et uino iuxta mandatum, & præscriptum Christi uescimur; nos uere, & de facto recipere carnem, & sanguinem eius per fidem. Credo, corpus Christi recipi non carnaliter, aut corporaliter, sed spiritualiter, per uiuam, & ueram fidem, sicuti modo dicebamus: hoc est, neque carnem, neque sanguinem Christi in os, & uentriculum inseri, corporis alendi, & nutricandi causa: sed fidei nostræ impertiri, animæ, & interioris hominis ad uitam æternam alendi causa. Quod ut fiat, nihil necesse est, Christum è cælo descendere, ut ad nos ueniat: quin potius nos ad illum ascendere oportet, sursum animos nostros ad illum, & ad dexteram Patris, ubi ipse sedet, atque unde illum ad redemptionem nostram expectamus, erigentes: non autem illum in his caducis, & uisibilibus elementis inuestigantes.* Hoc si impius Annas statim initio in publicum protulisset, non ita facile, in suam quenque protraxisset nassam, ut tam impiæ uoci asscultaret, eique fidem haberet: uerum, ut dictum est, paulatim ijs gradibus iam enumeratis, incedendum esse putauit: cognoscens talia impia dogmata non ita subito auribus Christianis persuaderi posse. Huius. n. hæresis primus auctor, pro certo nullibi reperiri potest (quãuis nonnulli hoc Armenis impingant: quorum aliqui sub specie panis, & uini negãt realiter esse corpus Christi, dicẽtes corpus Christi post ascensionẽ in naturam diuinam esse conuersum: quasi ibi esse non possint, præter signa nuda) nisi quòd circa Annum Domini 1046. Berengarius Turonensis Ecclesię. sancti Mauritij Audegauensis diaconus, hanc hęresim per totas disseminauit Gallias, dicens.

Armeni.

Berengarius.

In Euchariſtia non eſſe corpus,& ſanguinem Chriſti,ſed ſolam figuram. Ad quam hęreſim extirpandam, duo celebrata fuere Concilia, Vercellenſe,& Turonenſe, à quibus hęc damnata fuit hæreſis:& Berengarius per doctiſsimos uiros,pręcipue Lanfrancum Archiepiſcopum Cantuarienſem conuictus, at non admodum emendatus. Qua de re Romæ ſub Nicolao ſecundo congregatum eſt concilium.113. Epiſcoporum:in quorum preſentia errorem ſuum tandem reuocauit, quemadmodum habetur de conſ.diſt.2.cap. Ego Berengarius. Ideo inter hæreticos, non connumeratur: cum poſtea non fuerit relapſus. Poſt multa demum tempora, anno uidelicet Domini. 1204. hunc errorem inter alios reſuſcitauit Almaricus: affirmans, non aliter eſſe corpus Chriſti in altaris pane,quàm in alio quouis uſitato, & in qualibet alia re. Deinde circa annum Domini.1394. Ioannes Vuicleffus ſuam incipiens diſſeminare inſaniam, eundẽ amplexatus eſt errorem, ut patet ex octaua ſeſsione Concilij Conſtantienſis, in quo quadragintaquinque ipſius articuli fuere damnati. Quorum tertius erat talis. Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identice,& realiter in propria præſentia corporali. Hanc quoque hæreſim Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga illius diſcipulus ſecuti ſunt: qui propterea cum alijs ſuis erroribus ab illo ſacro Concilio damnati fuere. Hac noſtra demum ætate Ioannes Oecolampadius, ab ordine ſancti Benedicti apoſtata, hanc ipſam hæreſim repululare fecit: qui uerbis Chriſti,ſcilicet,Hoc eſt corpus meum,tropum ineſſe aſſerens,ſic illa exponit. Hoc eſt corpus meum, id eſt hoc ſignificat corpus meum, uel, hoc eſt figura corporis mei, ſicuti petra (de qua ait Apoſtolus.1.Cor.10.Petra autem erat Chriſtus.) quæ ſignificabat Chriſtum, uel figura erat Chriſti. Huius etiã opinionis erroneæ fuerunt Andreas Caroloſtadius, & Vlricus Zuuinglius, à quo huic adherentes opinioni Zuuingliani ſunt dicti. Alij uero, quorũ unus eſt Franciſcus Stancarus, ita cœnã interpretantur Dominicam,ueritatem corporis Chriſti ab altaris Sacramento remouendo. Cœnam Domini,inquiunt,cum præbetur, dari tanquam corporis arrhabonem,& quaſi donati prædij, aut alicuius domus inueſtituram. Caluinus autem hãc ſecutus inſaniam, non uerbum eſt, ſed dictionem corpus, eſt interpretatus, dicens. Corpus Domini pro corporis energia oportet intelligi, quaſi effectum pro cauſa, per Metonymiam.

Quam

Con.Turenen. & Vercell. ſub Leone Pa.9. Cõc. Ro. ſub Nico. 2.

Almaricus.

Ioan. Vuicleff.

Conciliũ Conſtan.

Ioã. Huſſ. & Hier. de Praga.

Ioannes Oecolã.

Andr. Caroloſt. & Vlric Zuuingl.

Stãcarus.

Caluin.

Quã interpretationẽ non pauci sunt amplexati: qui & Energici propterea, ab ipsa energia sunt nuncupati. De quibus, & alijs similibus, nec non & illorum erroribus à Lutheri tempore hucusque supra positis, quàm pulcherrime in Lutheranæ trimembris Theologiæ opusculo doctissimus Staphylus mentionem facit. Deinde hanc ultimam Caluini, atque Oecolampadij interpr ætationem fere secutus Burgensis, in Eucharistia corporis Christi ueritatem negare non est uerecundatus. Huius autem erroris apud istos causa fuit, quòd cum scirent ununquodque corpus in uno tantũmodo loco esse, naturaliter posse, & Christi corpus ad cælos ascendisse; quasi impossibile illis, quemadmodum & Armenis, uidebatur, in Sacramento hoc illud Christi corpus esse, quasi cælum relinquat, & in panem illum descendat: uti expresse Annas exprimit hanc ipsam suam manifestans intentionem. Qui si Ecclesiæ catholicæ, atq; sanctorum Doctorum sententiam, necnon & ueritatẽ ipsam perscrutatus fuisset; nunquã talia protulisset phantasmata. Non enim dicimus corpus Christi, quod in propria uidetur specie, de cęlo descendere, & Sacramentum ingredi: cum fateamur corpus illud sanctissimum in cælo morari, apud nos autem solum per gratiam suam. Vnde Augustinus super his uerbis, apud Mat. ulti. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad cõsumationem seculi, ait. Donec seculũ finiatur, sursum est Dominus: sed tamen nobiscũ est ueritas Domini. Itẽ. Sursum est Dominus, sed etiam hic est ueritas Domini. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, uno loco esse potest, ueritas eius ubiq; diffusa est. Hæc ille tract. 30. in Io. Et ipse Christus apud Mat. 26. Me non semper habebitis, sub illa specie uidelicet uisibili, qua inter homines est conuersatus. Sed asserimus, in Sacramento Christum adesse inuisibili modo, per conuersionem panis in ipsum, uti superius, cũ de conuersione sermo habebatur, est dictum. Quod confirmat & Damascenus dicens. Fecit Christus panem, & uinum corpus, & sanguinem suum: non quoniam ipsum corpus Christi de cælo descendit, sed quoniam panis, & uinum transit in corpus, & sanguinẽ Christi. Ibi enim, id est in cælo, uisibili modo, in altaris autem Sacramento inuisibiliter continetur: & hoc est corpus Christi cum ipsius sanguine, quod nos ad nostram sumimus salutem. August. in epistola ad Irenęum. Non enim hoc corpus, quod uidetis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem,

quem

Frideric. Staphy. Burgẽsis.

Causa erroris istorum.

August.

Matth. 26

Damasc.

August.

quem effuſuri ſunt, qui me crucifigent. Ipſum quidem, & non ipſum: ipſum inuiſibiliter, & non ipſum uiſibiliter.

Interrogabit autem aliquis, quare ſub uiſibili ſua forma Chriſtus nobis ad ueſcendum non tradidit ſuum corpus? Triplicem ob cauſam hoc facere uoluit. Primò, propter fidei meritum, quæ ſicut eſt de Chriſti diuinitate; ita de eius humanitate: iuxta illud Ioannis. 14. Creditis in Deum, & in me credite, hoc eſt quantum ad humanitatem. Et quia fides eſt inuiſibilium, iuxta illud Apoſtoli Hebræ. 11. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentiũ, &c. Ideo quemadmodum diuinitatem ſuam nobis inuiſibiliter exhibuit Chriſtus; ita & in hoc Euchariſtiæ Sacramento, carnem ſuam nobis exhibet inuiſibili modo. Diuina enim operatio (ut teſtatur & Gregorius homil. 16. ſuper illis uerbis Ioannis 20. Cum ergo ſero eſſet die illo, una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ. &c.) ſi ſenſu, aut ratione humana comprehenditur, non eſt admirabilis: nec fides habet meritum, ubi humana ratio prębet experimentum. Secunda cauſa eſt, ne hominis animus à tali manducatione abhorreat, cum carnes crudas, præcipue humanas, comedere, & ſanguinem bibere, uſum non habeamus. Ideo Theophilactus in 14. Marci. Et quomodo (inquit ipſe) caro non uidetur? ò homo propter noſtram infirmitatem fit iſtud. Quia enim panis quidem, & uinum ex his ſunt, quibus adſueuimus; ea non abhorremus: idcirco miſericors Deus, noſtrę infirmitati condeſcendens, ſpeciem quidem panis, & uini ſeruat, in uirtutem autem carnis, & ſanguinis tranſelementat. Item in uigeſimo ſexto Matth. Quoniam infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere; maxime hominis carnem, & ideo panis quidem apparet, ſed caro eſt. Vnde Iudæi Chriſtum audientes dicentem apud Ioannem ſexto, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi uita, litigabant adinuicem dicentes. Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Nondum nouerant formam ſub qua daturus erat Chriſtus nobis carnem ſuam ad comedendum: ſed exiſtimabãt, Chriſtum carnem ſui corporis uiſibilis eis particulatim diuiſurum, uidelicet quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis. Vnde & Chryſoſt. ſuper illis met uerbis, apud Ioannem poſitis. Ad immanes ferarum

Tripl. rõ, qr Chriſ. inuiſibiliter in hoc Sacr. tradidit ſuũ corpus.
Prima rõ.
Ioan. 14.
Hebrę. 11.
Gregor.
Secunda ratio.
Theophilactus
chryſoſt.

ferarum mores uocari se à Christo Capernaite arbitrabantur, inuitariq; ut uellent crudas hominis carnes manducare, & sanguinem bibere, quæ uel auditu horribilia sunt. Nondum enim mysterij huius formam, & dispensationem pulcherrimam cognouerant. Quapropter & ex discipulis eius nonulli, dicente Domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis; aiebant. Durus est iste sermo. Putabant enim (uti etiam ait Augu-

August. stinus tract. 11. in Ioannem) hoc dicere Iesum quòd eum possent concisum, sicut agnum coquere, & manducare, abhorren

Cyrill. tes à uerbis eius recesserunt. Item & Cyrillus aiebat superius, super illis uerbis, Hoc est corpus meum, Decebat eum nostris quodammodo uniri corporibus, per sacrã eius carnem, & pretiosum sanguinem, quæ accepimus in benedictione uiuificatiua, in pane, & uino. Ne enim horreremus carnem, & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis uim uitæ, conuertens ea in ueritatem propriæ carnis, ut corpus uitæ, quasi quoddam semen uiuifica-

Tertia ratio. tiuum inueniatur in nobis. Tertia causa est, ne Christiani ab

August. infidelibus deriderentur. Vnde Augustin. Nihil rationabilius, quàm ut sanguinis similitudinem sumamus, ut ita & ueritas non desit, & ridiculum nullum fiat à paganis, quia cruorem occisi hominis bibamus. Ne igitur hoc fieret, & ne in nobis horror generaretur, & fidei meritũ haberemus; sub specie panis, et uini Dominus suam nobis dedit carnem ad manducandum,

De ueritate corporis christi in Sacramẽto. & sanguinem ad bibendum. Hoc autem esse uerũ, corpus Christi uidelicet, & sanguinem realiter esse in isto altaris pane, & uino, sensu quidẽ deprehendi nõ potest, sed ex Dei Verbo, quod mentiri non potest, & fide nostra firmiter hoc tenere debemus: quẽadmodũ super illis uerbis, Hoc est corpus meũ, superius di-

Cyril. cebat Cyrillus. Nec dubites, an hoc uerum sit, eo manifeste dicente, Hoc est corpus meum, sed potius suscipe uerba Saluato-

Hilar. ris in fide: cum enim sit ueritas, non mentitur. Vnde & Hilarius. 8. de Trinitate. De ueritate carnis, & sanguinis Christi, nõ est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra caro eius uere est cibus, & sanguis eius

August. uere est potus. Et August. in sermone quodam cap. 14. ad Neophitos. Hoc accipietis in pane, quod pependit in cruce, & hoc accipietis in calice, quod effusum est de Christi latere. Erit

enim

enim illi mors, & non uita, qui mendacem putauerit uitam. Item alibi. Sicut per Spiritum ſanctum uera Chriſti caro ſine coitu creatur; ita per eundem ex ſubſtantia panis, & uini, idem corpus Chriſti, & ſanguis efficitur. Et Ambroſ.lib.6.de Sacramentis, cap.1. Sicut uerus eſt Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi filius ex ſubſtantia Patris; ita uera caro, ſicut ipſe dixit, quam accipimus, & uerus eſt potus. &c. Quid igitur iſtis clarius? quid euidentius? quid uerius? Quomodo ergo hoc negare poteſtis, Chriſtum aperte loquentem, eum mendacem faciendo,& ueritatem ipſam detorquendo? Nō enim Chriſtus (ut obiectionibus ſatisfaciamus) dixit, hoc eſt figura, neque hoc ſignificat,neq; hoc eſt effectus per fidem,neque hoc eſt corporis mei inueſtitura. Sed hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur, hic eſt ſanguis meus, qui pro uobis effundetur, protulit. Vnde & Theophilactus in Matth. 26. Chriſtus dicens, Hoc eſt corpus meum,oſtendit, quòd ipſum corpus Domini eſt panis, qui ſanctificatur in altari, & non reſpondens figura. Non enim dixit, hoc eſt figura, ſed hoc eſt corpus meum. &c. Item ſuper Marcum.14. Cum Chriſtus benedixiſſet, hoc eſt gratias egiſſet, fregit panem, id quod etiam nos facimus, preces adiungendo, & inquit, Hoc eſt corpus meum, hoc inquam, quod ſumitis. Non enim figura tantum, & exemplar quoddam Dominici corporis, panis eſt, ſed conuertitur in corpus Chriſti. Dominus enim dicit. Panis, quem ego dabo,caro mea eſt.non dixit figura eſt carnis meę, ſed caro mea eſt. Ioannes quoque Damaſce. lib.4. cap.14. uolens huic reſpondere impietati ait. Non eſt figura panis, & uinum corporis, & ſanguinis Chriſti, abſit enim hoc, ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum, ipſo Domino dicente, Hoc eſt corpus meum. non figura corporis, ſed corpus: & non figura ſanguinis, ſed ſanguis. Inſuper ſi Chriſti corpus in hoc Sacramento ſecundum figuram tantum,uel ſicut in ſigno, uel ſecundum gratiam, uel fidem, uel alio quolibet modo eſſet, quemadmodum iſti prophani diuerſimode affirmant; quæ differentia eſſet inter Euchariſtiam, & Sacramentum agni Paſchalis, Chriſtum ſolum figurantis, atque ſignificantis? iuxta illud Apoſtoli. Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam rerum imaginem. Ideo oportet Euchariſtiam aliquid plus habere, rem ſcilicet ab agno Paſchali

Ambro.

Satisfit obiectionibus.

Theophilactus.

Damaſc.

Hebr. 10.

figuratam continere, Christum uidelicet passum. Nam quicquid illa ueteris legis Sacramenta figurabant; hoc illud Sacramenta nouæ legis in se continent, non solum in figura, quemadmodum illa faciebant, uerumetiam in rei ueritate. Ideo absolute non negamus, Eucharistiam esse figuram, sed ita figuram quòd non sine figurato, quod est Christus, illam prędicamus. Nam figura (uti etiam docet Philosophus in prædicamentorum quarta specie qualitatis) est lineatura exterior uniuscuiusque rei, siue forma uisibilis, formam intrinsecam inuisibilem significans. Sic quodlibet Sacramentum figura dicitur, siue uisibilis forma: iuxta quod à Theologis ita definitur. Sacramentum est (ut recitatur & de consecratio. distinct. 2. cap. Sacrificium.) inuisibilis gratiæ uisibilis forma, id est figura. In altaris enim Sacramento figura est id, quod exterius sentitur: figuratum uerò est uerum Christi corpus cum uero ipsius sanguine, sub illa figura contentum. quod expresse confirmatur de consecratio. distinctio. 2. cap. Corpus Christi. ubi sic legitur. Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis, & uinum uidetur extra: ueritas autem, dum corpus, & sanguis Christi in ueritate interius creditur. Vnde & Tertullianus aduersus Marcionem lib. 4. Professus itaque Christus se concupiscentia concupisse edere Pascha, ut suum (indignum enim, ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem, & distributiuum discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis. Figura autem non esset, nisi ueritatis esset corpus. Hęc ille. Item Theophilactus in sextum Ioan. pariter ait. Attendite autem, quòd panis, qui à nobis in mysterijs manducatur, non est tantum figuratio quædam carnis Domini, sed caro ipsa Domini. Non enim dixit, Panis, quem ego dabo, figura est carnis, sed caro mea est. Item super Marcum superius affirmabat dicens. Hoc est corpus meum, hoc inquam, quod similis: non enim figura tantum, & exemplar quoddam Dominici corporis panis est, sed conuertitur in corpus Christi, &c.

De conf. distin. 2. cap. sacrificium.

De conf. dis. 2. cap. corpus Christi.

Tertul.

Theophilactus.

Similiter affirmamus, hoc Sacramentum etiam esse signum: cum omne Sacramentum (uti habetur de conse. dist. 2. cap. Sacrificium uisibile) sacrę rei sit signum, at ita, quòd non absque significato: quemadmodũ reliqua sunt Sacramenta, gratiã tantum conferentia, sed realem corporis Christi presentiam non

De conf. d. 2. cap. sacrificiũ uisibile.

continentia.

continentia. Signum enim in hoc altaris Sacramento eſt id, quod à ſenſibus percipitur: ſignificatum uerò eſt corpus Chriſti cum ſanguine in eo inuiſibiliter contentum. Eodem pari modo aſſerimus, hunc ſanctiſsimum altaris panem, à nobis dignis, & Deo gratis ſumi tanquam arrha, & pignus, hoc eſt in arrhabonem, non corporis Chriſti, quemadmodum Stancarus affirmat, & docet (cum panis ille ueraciter ſit Chriſtus ipſe) ſed ad uitam æternam conſequendam: iuxta illud Ambroſij in Lucam, ca. 21. Corpus Chriſti edimus, ut uitę æternæ poſsimus eſſe participes. Energiam quoq;, ſiue operationem, uel effectum, gratiam uidelicet, & uirtutē corporis Chriſti, in iſto fatemur eſſe Sacramento: ſed non abſq; uero ipſius corpore. Non enim ueritas dixit, Hoc eſt corpus meum, ſecundum energiam, uel gratiam, ſed abſolute, Hoc eſt corpus meum. Et qui ueritatem ipſius corporis negare auſus fuerit, profectò neq; eiuſdem effectum, gratiam uidelicet, conſequi poterit. Vnde Epiphanius in Anchoratu pag. 562. Videmus, quòd accepit Saluator in manus ſuas, ueluti Euangelium habet, quòd ſurrexit in cœna, & accepit hoc, & ubi gratias egiſſet, dixit. Hoc meum eſt, hoc, & hoc. Et uidemus, quòd non æquale eſt, neq; ſimile, non imagini in carne, non inuiſibili deitate, non lineamentis membrorum. Hoc enim eſt rotundæ formæ, & inſenſibile, quantum ad potentiam. Et noluit per gratiam dicere, Hoc meum eſt, hoc, & hoc, & nemo non habet fidem ſermoni. Qui enim non credit eſſe ipſum uerum, ſicut dixit; is excidit à gratia, & ſalute. Quod autem audiuimus, id credimus, quod eſt ipſius. Affirmamus pariter contra Annam Burgenſem, corpus Chriſti in hoc altaris Sacramento ſpiritualiter profectò per uiuam, & ueram fidē à nobis recipi: ita tamen, quòd non abſq; carnali, aut corporali eiuſdem Saluatoris noſtri exiſtentia, talis comeſtio intelligenda ſit: cum per hanc, illam adipiſcamur. Nam propterea corpus Chriſti corporaliter, ſiue carnaliter cum fide, innocentia, & deuotione ſumimus, ut ſpiritualem quoq; ipſius carnem, hoc eſt gratiam Dei, aſſequi ualeamus. Ideo Auguſtinus lib. tertio de Trinita. cap. 4. Corpus, & ſanguinem Chriſti dicimus illud, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritalem in memoriam pro nobis Dominicæ paſsionis. Quare non parum de Burgenſi eſt mirandum, ueritatem corporis Chriſti in Sacramento

Ambroſ.

Epiphan.

Auguſt.

negante, præcipue cum aperte illam inſinuauerit Chriſtus, dicens, Hoc eſt corpus meum, nullam ſpiritualitatis addens ſignificationem: ſed abſolute uerum corpus ſuum eſſe uoluit intelligere. quod oſtendit ex ſequentibus, cum ait, quod pro uobis tradetur, ſimiliter & de ſanguine. Non enim corpus ſuum ſecundum imaginationem pro nobis tradidit, ſed uere, de cuius latere ſanctiſsimus ſanguis eius fluxit. Et iſtud eſt corpus, quod à nobis in Sacramento manducatur. quod & ipſe Chriſtus Ioann. ſexto manifeſtat dicens. Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi uita, hunc panem diſcipulis in cœna porrexit, & cruci pro nobis tradidit. Auguſtinus de quarta feria cap. 6. Menſa ſponſi tui habet panem integrum, & calicem ſanctum, quem panem etſi fractum, comminutumque uidimus in paſsione, integre tamen manſit in illa ſua cum Patre indiuidua unitate. De iſto pane, & de iſto calice dicebat Dominus. Panis, quem ego dedero, caro mea eſt, pro ſeculi uita: & calix, quem ego ſanctificauero, ſanguis meus eſt, qui pro uobis fundetur in remiſſionem peccatorum. Et Chryſoſtomus homil. 3. in cap. Eph. primum. Quotquot in corpore Chriſti communicamus, quotquot ſanguinem illius deguſtamus, cogitemus, quòd illius corpus, & ſanguinem guſtamus, qui in cæleſtibus ſedet, qui ab Angelis adoratur, qui apud immortalem eſt potentiam. Item in decimo capitulum primę Corinth. Quod eſt in carne, id eſt quod à latere fluxit, & illius ſumus participes. Idem pariter ſuperius. D. Ambroſius lib. ſexto, de Sacramentis, cap. 1. affirmabat.

Ioan. 6.

Auguſt.

Ambroſ.

Ceterum ſi in iſto altaris Sacramento, ſpiritualiter tantummodo Chriſtus, & non carnaliter à nobis ſumeretur; ſequeretur, quòd niſi à bonis, & non à malis manducaretur, cuius oppoſitum ſuperius eſt oſtenſum, atque probatum. Deinde hoc etiam Sacramentum, quaſi ſuperflue à Chriſto fuiſſet inſtitutum: cum & ſine ipſo tali modo (ſpiritualiter uidelicet) Chriſtum manducare poſsimus, dicente Domino, Ioan. ſexto. Ego ſum panis uitæ, qui uenit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet in æternum. ubi de cibo tantum ſpirituali, & non corporali (hoc eſt corporis ſui realis) eſt locutus. De quo poſtea (ſcilicet reali corpore ſuo) ſub finem facit mentionem dicens. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, &c.

De duobus modis manducandi Chriſtũ.

Quod

Quod aperte oſtendit Chryſoſtomus ſuper his uerbis inquiẽs. Dixit autem eis Ieſus. Ego ſum panis uitæ. Neque enim hoc de corpore eius dictum eſt, de illo enim in fine dicit. Panis, quẽ ego dabo, caro mea eſt, ſed interim de diuinitate loquitur. Etenim caro propter Deum uerbum, panis eſt, quod Spiritu Deum uerbum ſuſcipienti panis cæleſtis fit. Item Auguſt. ſuper illud ipſum Ioan. 6. exponens illa uerba, hoc eſt opus Dei, ut credatis, &c. ait. Hoc eſt ergo manducare cibum, qui non perit, ſed qui permanet in uitam æternam. Vt quid paras dentes, & uentrem? crede, & manducaſti. Credere enim in eum, hoc eſt comedere panem, & uinum. Qui credit in eum, mãducat eum. Itaque Chriſtum manducare ſpiritualiter tantum, eſt quid diſtinctum à manducatione Sacramentali. Et hanc quoque differentiam idem Auguſt. in Ioan. tract. 50. deſcribit dicens. Habet Chriſtum in præſenti, & in futuro: in præſenti per fidem, hoc eſt ſpiritualiter: in præſenti per ſignum Chriſti, in præſenti per baptiſmatis Sacramentum, in præſenti per altaris cibum, & potum. Hinc oritur, quòd duos eſſe dicimus modos Chriſtum manducandi. Vnum Sacramentalem, & alium ſpiritualem. Quod Origenes in Num. Homil. 16. oſtendit dicens. Bibere dicimur ſanguinem Chriſti, nõ ſolum Sacramentorum ritu, ſed & cum ſermones eius recipimus, in quibus uita conſiſtit. Ecce igitur aliud eſſe, Chriſtum recipi ſpiritualiter tantũ, & aliud Sacramentaliter: alioquin (quemadmodum ſuperius dictum eſt) cœna à Chriſto inſtituta, eſſet ſuperflua. Non eſt autem dicendum, Chriſtum aliquid ſuperflue inſtituiſſe: ideo neque eſt affirmandum, in Euchariſtia Chriſtum ſpiritualiter per fidem tantum à nobis recipi, uerum & realiter, hoc eſt corporaliter, ſiue carnaliter: quæ quidem corporalis Chriſti manducatio, non parum nobis pie, ac digne ſumentibus prodeſt. Vnde Cyrillus in Ioan. lib. 4. cap. 14. Non poſſunt cum ſanctificatione beatæ uitæ fieri participes, qui per myſticam benedictionem Ieſum non ſuſceperunt. Vita enim ſecundum naturã ille eſt, qui ex uiuo patre genitus eſt: ſed non minus corpus ſuũ quoque uiuificat. coniunctum enim eſt ineffabiliter filio Dei, à quo uniuerſa uiuificantur. Idcirco corpus ſuum dicitur, & unum cum eo eſt. Item lib. 3. cap. 37. Viuificat .n. corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſua participatione reducit. Non enim alterius cuiuſdam, ſed ipſius uitę corpus eſt uirtutem incarnati uerbi

Chryſoſt.
Auguſt.
Auguſt.
Origen.
Cyrill.

uerbi retinens, & plenum potestate illius, quo uniuersa uiuunt, & sunt. Item lib. 4. cap. 28. Christus mensa illa (propositionis) est, in quam panes depositi sunt, quibus omnes participatione corporis sui ad uitam æternam aluntur, Ego enim (ait) sum panis de cælo, & uitam æternam do mundo. Si quis manducat, &c. Et, Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo, pro mundi uita. Animaduertant, & attendant itaque omnes Christi fideles, hunc sanctißimum altaris panem gustantes, ut digne, ac iuste, atque innocenter ad hoc accedant Sacramentum: alioquin non uitam, sed mortem loco uitæ consequerentur. Non enim potest quis hunc panem ad uitam comedere, nisi illuc accesserit cum deuotione: quod quidem ad spiritualem spectat manducationem, quæ est Sacramentalis manducationis perfectio. Ita quòd si quis corpus Christi Sacramentaliter tantum sumeret, & non insimul etiam spiritualiter; imperfecte in suam condemnationem ipsum manducaret: quia carnem Christi solam sumeret, & ipsius uirtutem derelinqueret, id est gratiam in præsenti, & uitam æternam in futuro, iuxta

Ioan. 6. illud Christi apud Ioannem 6. Spiritus est, qui uiuificat: caro non prodest quicquam, hoc est sine spiritu sumpta. Ideo subintulit. Verba, quę ego loquutus sum uobis, spiritus, & uita sunt,

August. Vnde Augustinus 10. de ciuitate Dei. Non enim caro per se ipsam mundat, sed per uerbum, à quo suscepta est: quod cum sit principium omnium; suscepta anima, & carne, & animam credentium mundat, & carnem. Spiritus ergo est, qui uiuificat: caro non prodest quicquam. sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam: quia nec carnem debemus sapere secundum carnem. proinde dicit. Verba, quæ locutus sum uobis, spiritus, & uita sunt. Non sufficit ergo ad uitam consequendam Sacramentaliter tantum Christum manducare, id est carnem sine spiritu sumere. Quod

August. iterum ostendit Augustinus de uerbis Domini, sermone 11. dicens. Profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi sanguinem (Eucharistiæ) quo modo qui manducauerit, & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocunq; modo quisque manducauerit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus; sed certo quodam modo, quem modum utique uidebat

August. ipse, quando ista dicebat. Et si quispiam ab Augustino hunc

modum

modum audire uellet; legat lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 25. ubi ſic ait. Vnus panis, unum corpus multi ſumus. Qui ergo eſt in eius corporis unitate, id eſt in Chriſtianorum compage membrorum, cuius corporis Sacramentum fideles communicantes de altari ſumere conſueuerunt; ipſe uerò dicendus eſt manducare corpus Chriſti, & bibere ſanguinem Chriſti. Ac per hoc, hæretici, & ſchiſmatici, ab huius unitate corporis ſeparati, poſſunt idem percipere Sacramentum, ſed non ſibi utile. Ex quibus omnibus Burgenſis ipſe poteſt conijcere, fideles ſincera mente ad altaris panem accedentes, non tantum Chriſtum ſpiritualiter, uerum & corporaliter recipere dubitandum non eſſe. Taceat ergo, & cum reliquis huic ſanctiſsimo Sacramento derogantibus, confundatur: qui omnes ueritatem corporis Chriſti in altaris Sacramento diuerſimode non ceſſant deprimere. Nosq; confiteamur, atque credamus, quemadmodum ueritas nobis indicauit, ibi corpus Chriſti non ſolum ſpiritualiter, per fidem ueram, & ſinceram, ſed & corporaliter à nobis recipi: non corpora noſtra (ſicuti Burgenſis eſt imaginatus) alendi, & nutricandi cauſa, ſed animam uiuificandi, ſuſtentandiq; gratia. Ambroſius in libro 5. de Sacramentis cap. 4. Non iſte panis eſt, qui uadit in corpus: ſed panis uitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Nam panis iſte altaris, eiuſdem non eſt naturę, qualis eſt panis uſitatus. Ille in ſubſtantiam comedentis conuertitur: iſte uerò comedentem in ſe cōuertit. Vnde Aug. in 7. lib. confeſsion. cap. 10. in perſona Chriſti. Cibus ſum grandium: creſce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ: ſed tu mutaberis in me. Species uerò huius panis, & uini conſecrati, & ſi aliquid nutrimenti (ut ait Aquinas. 3. q. 78. ar. 6. c.) noſtris inferant corporibus illas ſumentibus, non tamen quicquam ipſarum (ut teſtatur Ioan. Chryſoſt. Homil. de Euchariſtia in Encenijs) in ſeceſſum tendit, quemadmodum alterius cuiuſlibet cibi ſuperfluitas facit: ſed huiuſcemodi ſpecies Sacramenti (ut docet Aquinas. 4. d. 12. q. 1. ar. 2. q. 5. p.) in ipſum comedentis corpus conuertuntur: ubi tanquam cera igni appoſita conſumuntur. uti loco ſuperius citato confirmat Ioan. Chryſoſtomus dicens. Num uides, inquit, panem? Num uinum? Num ſicut reliqui cibi, in ſeceſſum uadunt? Abſit: nec ſic cogites. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita, illi aſsimilatur,

Ambro. Auguſt. Aquinas. Aquinas. Chryſoſt.

latur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit; sic & hic, puta mysteria consumi corporis substantiæ. Hæc pro his sufficiant.

De Missæ sacrificio. Art. XXII.

CVM hoc sanctissimum altaris Sacramentum, reliquis omnibus longe sit nobilius, atque præstantius, eo quòd non solum Christum per gratiam, uerum & realiter in se contineat. quo ipsi Christo, non tantum spiritu, uerum & corpore nos coniungimur; callida, & truculenta bestia illa, perpetua naturæ humanæ inimica, tali, ac tanto omnium nostrum bono inuidens, nos illo per membra sua priuare non quiescit. Postquam enim per Annam Burgensem, suum iam ex toto mẽbrum, diuersis hoc Sacramentum affecit blasphemijs, nunc ab omni hominum memoria remouere, ac debito, & conuenienti honore prorsus spoliare cupiens, sanctissimum Missæ sacrificium, condemnatum Vuicleffi errorem renouans, spernit, Missamq; abolere satagit, sanctam Eucharistiam absq; terrore, crustulum etiam panis uocans, & dicens. *Credo, Missam Papisticam neque esse, neque esse posse sanctam Domini nostri Iesu Christi cœnam: quin potius esse merum commentum hominum mendacium, & improborum, non minus illi contrarium, quàm nox est diei, aut Belial Christo: quod ab omnibus uel meridie ipsa clarius cognoscetur ex comparatione institutionis cœnæ Dominicæ (quæ ab Euangelistis, & presertim ab Apostolo Paulo conscripta est) cum missificatione. Neque enim in missa celebratur memoria ueri sacrificij, id est necis, & supplicij Iesu Christi, quemadmodum in cœna fit, sed potius ea repudiatur, ac reijcitur, quippe cum Missa ea sibi sumat, atque arroget, quæ ad solum Christi sanguinem in cruce effusum pertinent, nimirum sanctificationem, luitionem, & remissionem peccatorum, & simul gratiæ collationem: quodq; deterius est, loco Christi Domini, & conseruatoris, ac redemptoris nostri, exhibet crustulum panis adorandum.* Quis te huius tanti sacrificij censorem constituit? in quo non panis crustulum ad adorandum eleuatur, sed cœna Dominica, hoc est uerum Christi corpus, & uerus ipsius sanguis, in memoriam sacrificij Saluatoris nostri, & in remissionem peccatorum nostrorum celebratur: uti nunc claris rationibus, sanctorumq; Doctorum auctoritatibus, in tui confusionem, ostendere, atq; manifestare decreui. Et ne ex Missæ

uocula,

uocula, contra cœnæ Dominicæ Sacramentũ uim ſumere præſumas, quemadmodum plerique faciunt hæretici; primò nomina, quibus hoc ipſum Sacramentum, ob diuerſas rationes nuncupatur, aſsignanda eſſe neceſſarium iudicaui. Nam cum diuerſæ ſint ſignificationes, quarũ per hoc admonemur Sacramentum; ideo diuerſæ pariter ſunt illius appellationes, quibus nominatur. Tres autem ipſius ſunt ſignificationes. Vna reſpectu temporis præteriti: inquantum ſcilicet eſt Dominicæ paſſionis commemoratiuum, qua ille pro noſtris peccatis ſatisfecit, & nos Deo patri reconciliauit, & regni cæleſtis coheredes, in filios Dei adoptando, dignos fecit. Hac itaque ratione (ut teſtatur D. Tho. 3. q. 73. ar. 4. in corpore, cuius doctrinam deſcribit, atq; affirmat Hoſius uir doctiſsimus in ſua confeſsione Polonica cap. 41. pag. 2.) hoc Sacramentum nominatur ſacrificium. Vnde Chryſoſt. in Hebr. cap. 10. Homil. 17. Nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius, &c. deinde. Hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus, &c. Et Cyprianus lib. 2. epiſtola 3. Paſsio Chriſti eſt ſacrificium, quod offerimus. Et Auguſt. de fide ad Petrum Diaconum, cap. 19. Firmiſsime tene, & nullatenus dubites, ipſum unigenitum Deum uerbum carnem factum ſe pro nobis obtuliſſe ſacrificium, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis, cui cum Patre, & Spiritu ſancto & à Patriarchis, Prophetis, & Sacerdotibus tempore ueteris Teſtamenti animalia ſacrificabantur. Et cui nunc. i. tempore noui Teſtamenti, cum Patre, & Spiritu ſancto, cum quibus illi eſt una diuinitas, ſacrificium panis, & uini, in fide, & charitate ſancta Eccleſia catholica per uniuerſum orbẽ terræ offerre non ceſſat. Alia ipſius Sacramenti ſignificatio eſt reſpectu rei præſentis, tum Eccleſiaſticæ. ſ. unitatis, cui omnes per hoc Sacramentum aggregantur fideles, qua de re dicebat Apoſtolus, Vnus panis, unum corpus, multi ſumus, qui de uno pane, & de uno calice participamus, Et ſecundum hanc ſignificationem Sacramentum hoc Græce uocatur Synaxis, Latine uerò Cõmunio, quia per ipſum, uti ait Damaſc. lib. 4. cap. 14. Chriſto communicamus, carnis eius, & diuinitatis participes efficimur, ac ſicut cum illo, ita ipſi etiam inter nos unum reddimur, ut ſimus omnes unum corpus ſub uno capite Chriſto; tum etiã propter realẽ Chriſti in eo præſentiam: atq; ita uno modo Euchariſtia

[Margin: Altaris ſacr. ſignification. 3. ex quib. diuer. nomina oriũtur. — 1. ſignifi. ẽ reſpec. tẽp pteri. & ex ea hoc Sacramentũ dr ſacrificiũ. — Cõfeſſio Polonica. — Chryſoſt. — Cyprian. — Auguſt. — 2. ſignifi. reſpectu tẽp. pſen. — 1. Cor. 10. — Hinc. Synaxis. Cõmunio. — Damaſc. — Euchariſtia.]

dicitur, hoc est, bona gratia: quia Christum continet, qui est plenus gratia, qua ducimur, atque monemur, Deo, ob immensum illud præ ceteris nostrę redemptionis beneficium, gratias referre. Vnde Origenes contra Celsum, lib. 8. pag. 771. Panis Eucharistiæ ille bona gratia nuncupatus, argumento est nobis, quemadmodum gratias Deo agamus. Alio modo dicitur Hostia, quia sicut Christus sub propria forma tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & Hostiam Deo in odorẽ suauitatis; sic in isto Sacramento, pro peccatis nostris iterum immolatur (uti diffusius ostendetur inferius) in quo realiter, ac ueraciter continetur, ratione cuius hostia proprie nũcupatur, uti Aquinas loco ut supra in responsione ad 3. propriam, ac peculiarem inter sacrificium, & hostiam assignando differentiam, ostendit dicens. Hoc Sacramentum dicitur sacrificium, inquantum repræsentat ipsam passionem Christi, quod ostẽsum est & superius. Dicitur autem Hostia inquantum continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris, ut dicitur Eph. 5. Postrema uerò huius sanctissimi Sacramẽti significatio sumitur respectu eius, quod futurum est. Vita æterna uidelicet, ad quam hoc Sacramẽtum perueniendi uiam nobis prebet; dicente Domino. Qui manducat meã carnem, & bibit meũ sanguinem, habet uitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Hac ratione uocatur Viaticũ. Et quia non solum eò perueniẽdi uiam prębet, uerum & per ipsum in Dei filios adoptamur, atque ita Græce dicitur Metalepsis, Latine Assumptio, quia, ut ait & Damascenus, per hoc scilicet Sacramentum, Filij deitatem assumimus.

Origen. — *Hostia. Eph. 5.* — *Aquinas.* — *3. signifi. respectu temp. fut.* — *Ioan. 6.* — *Hinc Viaticum.* — *Metalepsis, Assumptio.* — *Damasc.*

His itaq; manifestatis, uis scire ò Anna, quid sit Missa? Missa .n. supradicta est omnia, ueram Domini cœnam realiter repręsentans: nec uim in hac uocula facias, cum scias nomina esse ad beneplacitum imposita, quæ tantum significant, quantum sunt imposita ad significandum. Itaq; hoc Missæ nomen impositum est ad explicandum hoc sacrificium .i. cœnæ Dominicæ celebrationem: & hoc nec præter considerationem, uti inferius manifestabitur. Aliqui .n. uolunt hoc nomen Missæ sumptum fuisse, à missione, & hoc dupliciter. Primò ex eo, ꝙ sacerdos tale sacrificium Deo Patri transmittit, siue offert, iuxta illud Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Secundò, dicitur Missa à missione quidem, sed

Mis. à missione dupliciróne. 1. à missione sacrificij ad Deũ Hebr. 5. 2. à licen-

non

non eodem modo intellecta, uerum à miſsione, ſiue licentiatura populi, ab ipſo ſacrificio, quod bis in publico fiebat ſacro. Primùm cathecumenorum, deinde fidelium. Moris.n.tunc tẽporis erat, non baptizatos, præcipue cathecumenos, Eccleſiam ingredi, diuiniſq; aſtare officijs, uſq; ad cœnę ſacrificium excluſiue. deinde antequam ſacerdos ipſum ſacrificij inchoaret myſterium, Diaconus, omnes non baptizatos, licentiabat dicens. Ite, miſſa eſt. hoc eſt miſsio, ſeu dimiſsio, uel abſolutio. Quod duplici fiebat ratione, tum quia ipſorum diuina erant peracta, tum, ne cœnæ Dominicæ intereſſent ſacrificio: cui niſi regeneratus aſtare non poteſt. Vnde Chryſoſto. in Matth. Homil. 24. Eos, qui nondum initiati ſunt, adeſſe prohibemus, nõ quia infirmitatem myſteriorum aliquam deprehendimus, ſed quia ad participationem eorum, illi adhuc, quos arcemus, infirmi ſunt. Ideo clamabat Diaconus dicens. Cathecumeni exeunto. Vel, ſi quis cathecumenus remanſit, exeat foras. Et talis licentia, miſſa dicebatur, quod idem eſt, quod dimiſsio. Vnde Iſidorus, libro Etimolog. 6. cap. de officijs. Miſſa tempore ſacrificij eſt, quando cathecumeni foras mittuntur, clamante Leuita. Si quis cathecumenus manſit, exeat foras, & inde miſſa: quia Sacramentis altaris intereſſe non poſſunt, qui nondum regenerati noſcuntur. Item Hugo in ſpeculo Eccleſiæ, Chorus iterat Oſanna in excelſis. poſthæc ſacerdos incipit ſecretum. Hoc à quibuſdam miſſa uocatur: quia in primitiua Eccleſia, cathecumeni ſolebant intereſſe Miſſæ uſq; ad conſecrationem: & tunc clamabat Diaconus dicens. Cathecumeni exeant foras. & quia tunc mittebantur foras; hoc myſterium Miſſa uocabatur. Idem fiebat & fidelibus communicare non ualentibus. quod confirmat Gregorius libro ſecundo dialogorum in uita beati Benedicti dicens. Cum in eadem Eccleſia Miſſarum ſolennia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret, ſi quis non communicat, det locum, &cet. Item in libro de diuinis officijs ſecundum Roman. De officio Exorciſtæ habetur. Exorciſtam oportet abijcere dæmones, & dicere populo, qui non communicat, ut det locum. Item in Miſſa Baſilij ante præfationem ſic legitur. Diaconus monet, ut inuicem ſalutent. deinde, qui communicare non uolunt, diſcedant: qui autem uolunt communicare, inuicem amplectantur, &cet.

[Margin notes: ciatura, q̃ bis dabat. Omnibus non baptizatis ante cõſecrationem licentia dabatur. — Chryſoſt. — Iſidorus. — Hugo Card. — Eadem licentia & baptizatis cõmunicare nõ ualẽtibus, tũc temporis dabatur. — Greg. — Baſil.]

Ex Miss. Aethiop. Idem in Aethiopum Missa habetur, in qua statim finito Euangelio Diaconus dicit. Exite foras, qui non uultis accipere Sacramentum, seu Eucharistiam. Ite cathecumeni. Et rursum cantato Symbolo, Diaconus ait. Qui communicare non uultis, discedite: qui autem uultis communicare, amplectimini inuicem.

Isti uerò fideles, qui à communione se abstinebant, cõstituti erant in pœnitentia: quapropter cõmunione tanquam indigni priuabantur. Quod expresse ex Armenorum Missa ostenditur: Ex Miss. Armen. in qua Diaconus paulo ante prefationem ait. Qui non sunt digni communicare hanc oblationem Dei, exeant foras ante fores Ecclesiæ: & ibi orent. Item ex Concilio Ilerdensi can. 4. sic Concil. Ilerd. habetur. Vt hi, qui se incestus pollutione commaculant (quousque in ipso detestando, & illicito carnis contubernio perseuerant) usque ad missam tantum cathecumenorum in Ecclesia admittantur: cum quibus etiam nec cibum sumere ullum Christianorũ, sicut Apostolus iussit, oportet. Et Io. Chrysost. Homi. 1. Cor. 5. chrysost. 3. in epistolam ad Ephes. ait. Non es oblatione, aut cõmunione dignus, igitur neq; precatione. Preconem audis stantem, ac dicentem. Quotquot estis in pœnitentia constituti, abstinete. Quotquot ergo non communicant, in pœnitentia sunt. Si de pœnitentibus es; participare non debes. Qui. n. non participat, in pœnitentia est. Et propter hoc missa quoq; dicebatur. i. missio siue recedendi licentia à sacrificio, quando foras per Diaconum, non solum non baptizati, uerum & omnes in pœnitẽtia constituti mittebantur. Vsq; tamen ad illud sacrificij tempus non tantum pœnitentes, & catechumeni, sed & quilibet non baptizatus, atque hæreticus, diuinis interesse poterat officijs. De De cõsec. dist. 1. consecra. dist. 1. cap. Episcopus ex quarto Carthaginensi Concilio. Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire uerbum Dei, siue Gentilem, siue Iudæum, siue hæreticum, usque ad missam cathecumenorum, hoc est usque ad eorum licentiam. De ista etiam cathecumenorum missione, siue missa mentionem facit D. Augustinus sermone 237. de tempore Augusl. dicens. Ecce post sermonem fit missa cathecumenis, manebunt fideles, uenietur ad locum orationis. En quomodo & Augustinus missam pro licentia sumit. Idem apud Concil. Valentin. Concil. Valent. Hispan. cap. 1. habetur. ubi sic legitur. Inter cetera hoc esse censuimus obseruandum, ut sacrosancta Euãgelia ante munerum

rum illationem, in miſſa catechumenorum (hoc eſt in ipſorum dimiſsione) in ordine lectionum, poſt Apoſtolum legantur. Deinde idem mos in fine ſacrificij, erga fideles, eſt obſeruatus, ut cōpleto cœnæ myſterio, per Diaconū pariter pronunciaretur. Ite, miſſa eſt. quod idem eſt, ac ſi diceretur, Ite, dimiſſio, uel abſolutio eſt, aut ire licet, ſiue licentiam eundi habetis. Vnde Rabanus de inſtitutione Clericorum lib. 1. cap. 33. Poſt communionem ergo, & poſt eiuſdem nominis canticum, data benedictione à ſacerdote ad plebem, Diaconus prædicat, Miſſæ officium eſſe peractum, dans licentiam abeundi. Et iſto propemodum licentiandi modo, Conſul Romanus utebatur, quanda Senatum dimittere uolebat. Raban.

Hinc demum ita Miſſæ nomen populi auribus inſonuit, atq; inhæſit, ut ab ea ſolemni dimiſsione ipſum cœnæ myſterium, non aliter quàm Miſſam, nominare conſueuerit: ita quòd & docti propter uulgi cōſuetudinem, ipſum ſacrificium coacti fuere Miſſam nuncupare, uti pulcherrimè in de Miſſa fidelium deſcribit Chryſoſt. dicens. Qui ſacroſanctæ communionis futuri participes in templo remanebant: nam in ſingulis ſacrificijs proclamante Diacono, qui primùm cathecumenos, deinde fideles ipſos dimittebat dicens. Ite, miſſa eſt. Ita Miſſæ uocabulum auribus populi inſonuit, & inheſit, ut ab ea ſolemni dimiſſione liturgiam ipſam, non aliter quàm miſſam dictitare conſueuerit. Et uulgo quidem id temporis receptam ſacrificij nomencleaturam etiam docti coacti ſunt uſurpare, & tota poſteritas. Et hoc ex diuerſis catholicæ Eccleſiæ Doctoribus pariter oſtendi poteſt. Ambroſius. 33. epiſtola. lib. 5. Poſt lectiones, atque tractatum dimiſsis (inquit ipſe) cathecumenis ſymbolum aliquibus competentibus in baptiſterijs tradebant baſilicæ. Illic nuntiatum eſt mihi comperto, quòd ad Portianem baſilicam de palatio decanos miſiſſent, & uela ſuſpenderent, populi partem eò pergere. Ego tamen manſi in munere, Miſſam facere cœpi, id eſt ſacrificium celebrare. Tali pariter nomine ipſum Miſſę ſacrificium, ſiue ipſius celebrationem nuncuparunt quàm plurimi alij. Nam apud Gratianum Gelaſius Pontifex Romanus hoc nomine uſus eſt, dicens. Et Miſſas eum facere nullo modo permittat. Item Epiphanius in trip. hiſto. lib. 4. cap. 13. Permittens ergo eum (Macedonium intelligit) Miſſas facere in Eccleſia, in qua fuerat ordinatus. Item lib. 6. cap. 23. Miletij ſequaces

Chryſoſt. Ambroſ. Gelaſ. Pa. Epiphan.

quaces Missas facientes seorsum. Quandoque uerò pro facere utebantur celebrare, ita quòd pro eodem facere, & celebrare habebant, atque obseruabant. Epiphanius lib. 3. ca. 11. Et propterea facile inter se conueniētes Missas celebrabant. Item lib. 7 cap. 31. Et apud seipsos Missarum celebrare solennia. Item Ignatius in epistola ad Smyrnenses. Non licet sine Episcopo, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque Missas celebrare. Sic itaque nomine Missæ cœnæ mysterium uolunt intelligere. Et hoc non absque spiritus sancti factum est operatione. Nam dictio missa cum aspirationis additamēto in ultimo, ut legatur Missah, est Hebræum nomen, quod est Grece Liturgia, Latine uero sacrum ministerium, siue sacrificium, quo nomine, uel simili antea missam aliqui uocabant. Hilarius in psal. 65. Quod iam olim dicimus missas facere, ueteres quoque dixerunt diuina mysteriorum Sacramenta celebrare. Item Cyprianus sermone quinto de lapsis. Sacrificare quoque, & sacrificium celebrare, &c. Item Epiphanius, trip. hist. lib. 6. cap. 23. Milesius autem extra ciuitatis portas solemnia celebrabat. Et Ambrosius ad Gratianum, de fide. Sacri conuiuij celebrare mysteria, &c. Item Augustinus in epistola. 118. ad Ianuarium. Offerendi uerbum de tota Sacramenti huius celebratione, & administratione dicebatur. Quandoque uero & nomine collectæ, sancti Patres missam nuncuparunt. Hieronymus in epitaphio Paulæ matris ad Eustochium. Post Alleluia cantatum, quo signo uocabantur ad collectam, nulli residere licitum erat. Item Epiphanius, trip. hist. lib. 6. cap. 23. Inueniesque seorsum celebrare collectas socios suos. Item lib. 7. cap. 32. In qua propter loci reuerentiam, collectæ sæpius celebrantur. Item lib. 9. cap. 38. Circa celebrationem collectarum, & paulo post, Collectas agunt. Item in Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymorum, (interprete B. Hieronymo) cū celebraretur collecta uillæ, quæ est iuxta monasterium nostrum. Item Augustinus in breuiculo collationum cum Donatistis, collatione tertij Diei. Sicut ipsis gestis martyrum monstrabatur, qui confitebantur in passionibus suis, se collectam & Dominicum egisse. Dominicum autem agere, siue (ut est apud Cyprianum) Dominicum celebrare, id esse uidetur, quod Tertullianus uocat Dominica solennia celebrare, idest, ut alibi habetur, conuiuium Dominicum. quod nil aliud est, quàm consecratio, oblatio, & com-

munio

Epiphan.

Ignat.

Missah cū aspirati: nomē Hebreū idē significās.

Hilar.

Cyprian.

Epiphan.

Ambros.

August.

Missa quādoque collecta appellata.

Hieron.

Epiphan.

August.

munio corporis, & ſanguinis Ieſu Chriſti, in memoriam paſ-
ſionis ipſius ſanctiſsimæ. Et hæc ſunt, quæ in Miſſę exprimun-
tur nomine, & à Sacerdotibus in ipſius Miſſæ fiunt celebratio-
ne: quæ non hominum commentum, nec mendacium ſunt im-
proborum: cum hæc illa à Chriſto Domino noſtro fuerint inſti
tuta, ab Apoſtolis uſitata, & ab ipſis per ſanctorum patrum ſuc-
ceſsionem nobis tradita. Omnia Dominicæ cœnę, Euãgeliſtis,
& Apoſtolo Paulo conſona, & non illis contraria, uti nox diei,
& Belial Chriſto, quemadmodum temerarie nobis impingit
Burgenſis, ſed omnino illis correſpondentia, arridentiaq;. Vn-
de Cyprianus ſcribens fratri ſuo Cecilio ait. Admonitos autẽ Cyprian.
nos ſcias, ut in calice offerendo, Dominica traditio ſeruetur,
neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus
prior fecit, ut calix, qui in commemorationem eius offertur,
miſtus uino offeratur. Hæc eadem uerba protulit Auguſtinus Auguſt.
lib. 4. de doctrina Chriſtiana. Item contra aduerſarios legis, &
Prophetarum, lib. 2. cap. 19. Eccleſia à temporibus Apoſtolorũ,
per Epiſcoporum ſucceſsiones certiſsimas uſq; ad noſtra, & de
inceps tempora perſeuerat, & immolat Deo in corpore Chriſti
ſacrificium laudis, ex quo Deus Deorũ locutus uocauit terram
à Solis ortu uſque ad occaſum. Item Iræneus lib. 4. ca. 32. ait. Irenæus.
Eum, qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens,
Hoc eſt corpus meum. Et calicẽ ſimiliter, qui eſt ex ea creatura
ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui Teſtamen
ti, nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis ac-
cipiens, in uniuerſo mundo offert Deo. Item Rabanus de inſti- Raban.
tutione clericorum, lib. 1. cap. 32. Hunc morem ſacrificij primũ
Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Magiſter inſtituit, quando
commendauit Apoſtolis ſuis corpus, & ſanguinem ſuum, priuſ-
quam traderetur, ſicut legitur in Euangelio. Accepit panem Ie
ſus, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait ſumite. Hoc eſt cor-
pus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt
ex illo omnes, & reliqua. Cum benedictione enim, & gratiarũ
actione, primùm Dominus corporis, & ſanguinis ſui Sacramen-
ta dedicauit, & Apoſtolis tradidit. quod exinde Apoſtoli imi-
tati fecere, & ſucceſſores ſuos facere docuerunt. quod & nunc
per totum orbem terrarum generaliter tota cuſtodit Eccleſia.
Quod etiam ex comparatione inſtitutionis ipſius cœnæ Do-
minicæ ab Euangeliſtis, & ab Apoſtolo Paulo conſcriptæ, cum

sanctissimo Missæ sacrificio, ab omnibus meridie ipsa clarius cognosci potest, quemadmodum pulcherrime lib.4. de Sacramentis cap.5.ostendit Ambrosius dicens. Vis scire, quia uerbis cęlestibus consecratur? accipe quæ sunt uerba. Dicit Sacerdos. Fac nobis hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Qui pridie quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad cælum, ad te Sancte Pater, omnipotens, æternæ Deus, gratias agens benedixit, fregit, fractumque Apostolis suis tradidit dicens. Accipite, & edite ex hoc omnes. Hoc enim est corpus meum, quod pro multis confringetur. Similiter etiam & calicem postquam cœnatum est, pridie quàm pateretur accepit: respexit in cælum, ad te Sancte Pater, omnipotens, æternæ Deus, gratias agens, benedixit, Apostolis, & discipulis suis tradidit dicens. Accipite, & bibite ex eo omnes. Hic est enim sanguis meus. Vide, omnia uerba illa Euangelistæ sunt, usque ad Accipite, siue corpus, siue sanguinem. Inde uerba sunt Christi, Accipite, & bibite ex eo oēs. Hic est enim sanguis meus, &c. Qui pridie, inquit, quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequàm consecretur, panis est, ubi autem uerba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem. Accipite, & edite ex eo. Hoc est enim corpus meum. Et ante uerba, calix est uini, & aquæ plenus, ubi uerba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Denique, cap.6.subinfert. Et sacerdos dicit. Ergo memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cælum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem uitæ æternę: & petimus, & precamur, ut hanc oblationē suscipias in sublimi altari tuo, per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui Abel, & sacrificiū Patriarchæ nostri Abrahę, & quod obtulit summus Sacerdos Melchisedech. Ecce igitur Missam secundum institutionem cœnæ Domini ab Euangelistis, & Apostolo Paulo descriptam, celebrari, in memoriam ueri sacrificij, id est necis, & supplicij Iesu Christi, quemadmodum in cœna Dominica nobis est traditum. Et ab illa, scilicet Missa, ipsa Christi passio nō reijcitur, neque repudiatur, uti falso nobis imponit Burgensis, uerum maxima cum reuerentia illam amplectitur: & hoc in remissionem

Ambros.

nem

nem peccatorum nostrorum, ubi uerum Christi corpus, cum sanguine uero, & non crustulum panis (uti sacrilegus Burgensis, absque Dei timore ausus est dicere) ad adorandum populis eleuatur, & Deo patri offertur: alioquin nulla esset differentia (est autem maxima) inter sacrificium Melchisedech, & hoc per illud figuratum. Vnde Hieronymus ad Marcel. Recurre ad Genesim, & Melchisedech regem Salem, huius principem inuenies ciuitatis, qui iam tunc in typo Christi panem, & uinum obtulit, & mysterium Christianum in Saluatoris sanguine, & corpore dedicauit. Et Eusebius de demõstratione Euangelica, lib. 5. cap. 3. Quemadmodum ille Melchisedech, qui sacerdos gentiũ erat, nusquam uidetur sacrificijs corporalibus functus, sed solo uino, & pane, dum ipsi Abrahæ benedicit; ita sane primus ipse Saluator, ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt, sacerdotes in omnibus gentibus, spirituale secundũ Ecclesiasticas sanctiones sacerdotij munus obeuntes, uino, ac pane & corporis illius, & sanguinis mysteria repręsentant: quę sanè mysteria Melchisedech tanto ante à Spiritu diuino cognouerat, & rerum futurarũ imaginibus usus fuerat. Non est ergo, quod ad adorandum in Missa exhibetur, crustulum panis, sed uerũ Christi corpus cum sanguine ipsius, sicuti etiam superius, cum de ueritate corporis Christi in Eucharistia, sermonem haberemus, satis ostensum est: gratia cuius satisfactionem, luitionem, & remissionem peccatorum, nec non & insimul gratiæ collationem adipiscimur. Vnde Ambr. lib. Officiorum. 1. cap. 48. Vmbra in lege, imago in Euangelio, ueritas in cælestibus. Ante Agnus offerebatur, offerebatur uitulus: nũc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem: & offert seipsum, quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat: hic in imagine, ibi in ueritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Et hoc haudquaquam ipsius Christi effuso in cruce sanguini, derogare potest, quemadmodum Annas phrenesi inductus affirmat: cum unus sit Christi sanguis, una ipsius uirtus, unus Christus, qui in cruce uisibiliter semel est immolatus, & in Sacramẽto quotidie inuisibiliter immolatur. Quod etiam ostendit. D. Augustinus ad Bonifacium epistola. 23. & recitatur de consecratione distinctione secunda cap. Semel. Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in Sacramento non solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die immolatur?

Hierony.

Euseb.

Ambros.

August. De cons. dist. 2. ca. Semel.

Nec utique mentitur, qui interrogatus, responderit, eum immolari. Immolatio autem Christi in cruce in nostrorum fuit remissionem peccatorum. Ideo & in hoc Sacramento eiusdē immolatio in nostrorum erit remissam delictorum. De eodem enim passionis Christi sanguine Apostoli biberunt, & nos: uerum ipsi ante, nos uero post necem Christi: sed omnes ad nostrā salutem, dicente Domino, Hoc facite in meam commemorationem, id est necis, & mortis meę: quod est mortem ipsius (uti ait Apostolus) annuntiare: quod absque peccatorum remissione, non potest esse. Ideo ait Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 6. Quotiescunq; accipis, quid tibi dicit Apostolus? Quotiescunq; accipimus, mortē domini annūtiamus. Si mortem annuntiamus; annuntiamus remissionem peccatorum. Si quotiescunq; effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur; debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco; semper debeo habere medicinam. Item lib. 2. de pœnitentia, cap. 3. Sicut semel pro omnibus immolatus est Christus; ita quotiescūq; peccata donātur, corporis eius Sacramentum sumimus: ut per sanguinem eius fiat peccatorum remissio. Et Paschasius Papa, de consecr. dist. 3. cap. Iteratur, ait. Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus in carne, per unam, eandemq; mortis passionem semel saluauerit mundum: quia quotidie peccamus, saltē peccatis, sine quibus mortalis infirmitas uiuere non potest. Et ideo, quia quotidie labimur, quotidie Christus mystice pro nobis immolatur, & passio Christi in mysterio traditur: ut qui semel moriendo mortem uicerat, quotidie recidiua delictorum per hæc Sacramenta corporis, & sanguinis peccata relaxet. Nec cuipiam hoc mirum uideatur. Si enim in lege ueteri sacrificia hoc istud (teste Paulo Hebræ. 10. & Colos. 2.) præfigurantia, à sacerdotibus Deo pro peccatis offerebantur, uti habetur Leuit. 4. quanto magis hoc ipsum figuratum, à sacerdotibus noui Testamenti Deo Patri oblatum, ad remissionem erit peccatorum? Ideo Apostolus ad Hebræ. 5. ait. Omnis nanque Pontifex ex omnibus assumptus, pro omnibus constituitur in his, quę sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circundatus est infirmitate. & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre

Ambros. — Paschas. Pap. — Hebr. 10. & Col. 2. — Leuit. 4.

pro peccatis. Quapropter cum adueniente corpore, cessare debeat omnis umbra; omnia antiquorum sacrificia Deo oblata, huic uni per illa antea figurato cesserunt. Vnde Augustinus de Ciuitate Dei, libro decimo cap. decimo. Huius ueri sacrificij multiplicia, uariaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum: cum hoc unum per multa figuraretur, tanquam uerbis multis res una diceretur: ut sine fastidio multum commendaretur. Huic summo, ueroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt. Item lib. decimoseptimo, cap. uigesimo. Non est bonum, inquit, homini, nisi quòd manducabit, & bibet. Ecclesiast. tertio. Quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem mensæ huius pertinet, quam & sacerdos ipse mediator Testamenti noui exhibet secundum ordinem Melchisedech, de corpore, & sanguine suo? Id enim sacrificium succeßit omnibus illis sacrificijs ueteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. propter quod etiam uocem illam in psalm. 39. eiusdem mediatoris per Prophetam loquentis, Diuo exponente Paulo, ad Hebræos decimo agnoscimus. Sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi: quia pro illis omnibus sacrificijs, & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur. Item Irenæus aduersus hæreses Valenti. lib. 4. Cap. 32. Christus suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens, Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam dedit oblationem: quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert Deo, ei, qui alimenta nobis prestat, primitias suorum munerum in nouo Testamento. de quo in 12. Prophetis Malachias sic præsignificauit. Non est mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu uestra. Ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Manifestè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo: omni autem loco sacrificiũ offertur ei, & hoc purum. nomen autem eius glorificabitur in gentibus.

August.

Irenæ.

Malach. 1

Opposi-tio. His autem aduersarius, se opponet dicens. Omnia nempe ista, quæ ipsum Christum figurabant, in Christo impleta fuere. Ipse enim pro nobis omnibus hoc sacrificium uerum, & purũ Deo Patri obtulit: & suo corpore, & sanguine discipulos quidem communicauit. Sed hanc potestatem corpus, & sanguinẽ ipsius conficiendi tradidit nemini, &c. Quomodo audes hęc illa asserere? cum Christus non solum Apostolis, eorumq; successoribus suum porrexerit corpus; uerum & potestatem similiter faciendi tradiderit dicens. Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. hoc facite in meam commemorationẽ. Quid sibi uult hoc dicere, Hoc facite. &c. nisi ipsis potestatem tradere? sicuti cum dedit eis potestatem baptizandi, dicebat. Ite, & prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos, &c. Quomodo ista facere potuissent, nisi potestatem à Christo habuissent? Vnde Cyprianus epist. 3. lib. 2. Nam si Iesus Christus Dominus, & Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit; utique ille sacerdos uice Christi uere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur: & sacrificium uerum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quòd ipsum Christum uideat obtulisse. Et Ambrosius in Missa cœnæ Dominicæ. Quid desperare de tua misericordia possumus? qui tantum munus accepimus, ut talem tibi hostiam offerre mereamur, corpus scilicet, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, qui se pro mundi redẽptione piæ illi, ac uenerãdæ tradidit passioni, qui formã sacrificij salutis perennis instituens, hostiã se primus obtulit, & primus docuit offerri. Et hoc sacrificiũ Deo per sacerdotes oblatũ, non dicimus aliud esse à sacrificio per Christũ Patri oblato, sed illudmet esse. Nam illam ipsam oblationem, & hostiam, quam Christus Patri tradidit, & à nobis similiter ipsi Deo offerri affirmamus. Quod cõfirmat Apostolus ad Hebr. 10. ostendens differentiam inter sacrificia ueteris legis, & noui Testamenti, cum ait. Hic autem (scilicet Christus) unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei. &c. Item. Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos, &c. Et ista est oblatio, quam sacerdotes Deo offerunt, & non alia ab ea, quàm obtulit Christus, nisi ꝙ hæc in illius cõmemorationẽ iteratur: hoc eo ipso præcipiente.

Respõsio. Potestas celebrandi sacrificiũ Missę.

Matt. 28.

Cyprian.

Ambros.

Hebr.

Vnde Chryſoſtomus in cap. 10. Hebr. Homil. 17. Nonne per ſin- Chryſoſt.
gulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordatio-
nem facientes mortis eius. Et una eſt hoſtia, non multæ. Quo
modo una eſt, & non multæ? Quia ſemel oblata eſt, oblata eſt
in ſancta ſanctorum. Hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius,
idipſum ſemper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum,
craſtina alium, ſed ſemper eundem ipſum. Proinde unum eſt
hoc ſacrificium. Item Ambro. in epiſtola ad Hebræos, quod Ambro.
& recitatur de conſec. d. 2. c. In Chriſto. In Chriſto ſemel ob-
lata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos,
nonne per ſingulos dies offerimus? Sed ad recordationem mor
tis eius: & una eſt hoſtia, non multæ. Quomodo eſt una, & nõ
multæ? Quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificiũ
exemplum eſt illius: idipſum, & ſemper idipſum. proinde hoc
idem eſt ſacrificium. Et paulo poſt. Ipſam offerimus etiã nunc,
quæ tunc oblata eſt: conſumi non poteſt. quod nos facimus, in
commemorationem fit eius, quod factum eſt. Hoc enim faci-
te, ait, in meam commemorationem. Item B. Martialis ad
Burdegalenſes ait. Sacrificium enim Deo creatori offertur in Martial.
ara, non homini, neq; Angelo: nec ſolũ in ara ſanctificata, ſed
ubiq; offertur Deo oblatio munda, ſicut ipſe teſtatus eſt, cuius
corpus, & ſanguinem, in uitam æternam offerimus, dicentes,
Spiritus eſt Deus. Et eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & ueri-
tate oportet adorare. Ipſe enim corpus habens immaculatum,
& ſine peccato, quia conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex
Maria Virgine, in ara crucis ipſum permiſit immolari. Quod
autem Iudæi per inuidiam immolauerunt, putantes ſe nomen
eius à terra abolere; nos cauſa ſalutis noſtræ in ara ſanctifica-
ta proponimus: ſcientes hoc ſolo remedio nobis uitam præ-
ſtandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipſe Dominus no
ſter iuſsit nos agere in ſui commemorationem. Et Auguſtinus
de ciuitate Dei, lib. 10. c. 20. Verus ille mediator, inquantũ for Auguſt
mam ſerui accipiens, mediator effectus eſt Dei, & hominũ, ho-
mo Chriſtus Ieſus, cum in forma Dei ſacrificium cum Patre ſu-
mat, cum quo & unus Deus eſt, tamen in forma ſerui ſacrifi-
cium maluit eſſe, quàm ſumere: ne uel hac occaſione quiſquã
exiſtimaret, cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. Per hoc &
ſacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cuius rei Sacramen
tum quotidianum eſſe uoluit Eccleſiæ ſacrificium: cum ipſius
corporis

corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tàm ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri. Non aliam igitur sacerdotes Deo Patri offerunt quotidie hostiam, quàm illam per filium in ara crucis oblatam, quæ est secundum ordinẽ Melchisedech. quamobrem hæc oblatio illius dicitur recordatiua: non ꝙ Christus realiter, & ueraciter non offeratur (ut nonnulli hæreticorum asserunt) sed quia sub sacramento inuisibiliter, & recordatiue in memoriam prioris oblationis, suo iussu, suaq; institutione offertur. Quæ quidem oblatio per iuge sacrificium significatur, quo quotidie immolabatur agnus, unus mane, & alter uesperi, iuxta illud Numeri 28. Vnde & Chrysostomus, in 2. Timo. 1. Homil. 2. Siue illã Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadẽ est, quã dedit Christus ipse discipulis, quamq; sacerdotes modo quoq; conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa minus. Non igitur impossibile est Missam (quã Burgensis Papisticam uocat) esse sanctam Domini cœnã, neq; illã Christo contrariam, sed ab ipso, & non ex mero hominum commento institutam. in qua uerum Christi corpus cum pretiosissimo ipsius sanguine, & non panis crustulum (uti ille ait) inuisibiliter sub his creaturarũ speciebus immolatur, à fidelibus adoratur, & Deo Patri offertur, in memoriam illius primæ uisibilis oblationis in ara crucis factæ, in remissionem peccatorũ nostrorum. Quod quidem mysteriũ, ob rationes superius assignatas, Missa à fidelibus nuncupatur.

Num. 28.
Chrysost.

Fuerunt autem nonnulli, qui hoc Missæ nomen, ad significandum corporis, & sanguinis Christi sacrificium proprie impositum, ad alia quoq; significanda, ampliare uoluerunt, quasuis orationes (quas collectas uulgo dicimus) missas appellando. Inter quos sunt Benedictini, qui in illorum regula sic habent. Explicato ordine primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, uespertinæ synaxis, & completorii, deinde. Et sint, seu fiant missæ, id est orationes, & benedictiones, quibus præsens cœtus dimittitur. Id etiam Honorius presb. secutus, sermonem de collecta faciens ait. Hæc scilicet collecta missa dicitur, quia in ea oratio populi per sacerdotem ad Dominum mittitur. Horũ uerò opinionem, & si bono hoc fecerint zelo, attamen ex toto laudare non audeo; cũ multis propterea ansam errandi præbeant: quod à nobis omnino est uitandum. In explicandis enim fidei nostræ mysteriis propriis, & non communibus uti debemus

Missæ nomen improprie significat orationes q̃ collectę dicuntur.
Ex regula Sancti Benedicti.
Honorius Presbyter.

nominibus:

nominibus: ne (quemadmodum in ſuperioribus oſtenſum eſt) idiota unum pro alio intelligat, & ſeipſum decipiat: quod in huiuſmodi accidit de facili. Quapropter hoc ipſum expoſitor ordinis Romani, Bea. Gregorius etiã conſiderans, talium improbat opinionem dicens. Has orationes nimis impropriè miſſas appellari, cum Miſſa propriè tempore ſacrificii ſit. Gregor.

Alii uerò hoc Miſſæ ſanctiſsimo nomine abutendo, nundinas, atq; mercatus, miſſas appellarunt. Conſuetudo enim eſt in pleriſq; Chriſtianitatis partibus, in particularium Eccleſiarum dedicationibus, atq; patrociniis maximum uirorũ, mulierumq;. deuotionis cauſa, ad audienda illius diei ſacra, fieri concurſum. Sed in temporis ſucceſſu, diabolo operante, talis conſuetudo ſancta in abuſum, in illiusq; ſolennitatis dedecus eſt conuerſa: cum eò, non ſacra audiendi gratia, ſed aliquem conueniendi, uel merces emendi, aut alias uendendi, ueniant, accedantq;. Et quod peius eſt, in quibuſdam pariter locis, in ædibus Deo ſacratis, abſq; Dei timore, ſua peragunt cõmercia, præceptum Domini, qui omnes uendentes, & ementes in templo, eiecit, & menſas nummulariorum, & cathedras uendentium columbas euertit, & dixit eis. Scriptum eſt. Domus mea domus orationis uocabitur. uos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum nihili facientes. Quapropter hinc ortum eſt, ut à Gallis præcipue, & à Germanis Miſſæ uocabulum (proh dolor) huiuſcemodi nundinis, ac mercatibus tribuatur. Vocant enim Miſſam Lugdunẽſem, Franskfordienſem, Antuerpienſem, ubi merces in talibus Eccleſiarũ feſtiuitatibus, ſolenni negociatorũ cõuentu diſtrahuntur. Qua de re non mirũ, ſi Miſſæ ſacrificium in minima ſit apud populos deuotione. Quapropter ſi debita huiuſcemodi abuſibus, atq; incõuenientibus fieret prouiſio; dignũ, ſanctumq; fore iudicarem.

Miſſæ nominis abuſio.

Matth. 21. & Mar. 11. & Luc. 19. & Ioã. 2.

Inſtare autem quiſpiam poſſet dicens. Si ſacrum Miſſæ nomen ad cœnæ dominicæ myſterium ſignificandũ tantummodo eſt impoſitum; ergo reliqua, quæ ſub nomine ipſius Miſſæ, hoc eſt ante, & poſt ſacrificii conſecrationem dicuntur, ueluti Kirieeleiſon, Gloria in excelſis, Lectiones, Euangelium, Credo, Offertorium, Pater noſter, & reliqua, erunt ſuperflua, & ad ipſam Miſſam non ſpectantia. Ad hoc eſt dicendum, in Miſſæ celebratione duas principales eſſe partes, unam eſſentialem, alteram uerò accidentalem. Eſſentialem dico ipſum ſacrificii

Inſtãtia.

Reſpon. Miſſę pars altera eſſentialis, altera accidẽtalis.

ficij myſterium à Chriſto inſtitutum. Accidentalem uerò reliqua, quæ ibidem dicuntur, & fiunt omnia: ſine quibus poſſet (ſi Eccleſiæ contemptus abeſſet) hoc celebrari ſacrificium, quemadmodum poſt Chriſtum ex ipſius traditione obſeruarunt Apoſtoli.

Amalharius. Quomodo in primit. Eccl. celebrabatur Miſſa.

Ad cuius confirmationem ait Amalharius lib. 3. de diuinis officijs in præfat. Satis eſſet ſine cantoribus, & lectoribus, & ceteris, quæ ibi aguntur, ſola benedictio Epiſcoporum, aut Presbyterorum, ad benedicendum panem, & uinum, quo reficeretur populus, ad animarum ſalutem, ſicut primæuis temporibus fiebat apud Apoſtolos. Quod autem Apoſtoli primò ſimpliciter hoc altaris myſterium celebrarent, aperte

1. Cor. 11.

Apoſtolus. 1. Corinth. 11. inſinuat dicens. Ego accepi à Domino, quod & tradidi uobis, quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, &c. Vnde

Durant. Miſſa à Chriſto primò inſtituta.

Guilhelmus Durantus in rationali diuin. lib. 4. cap. 1. Hoc officium ipſe Chriſtus inſtituit, cum nouum condidit Teſtamentum, diſponens hæredibus ſuis regnum, ſicut Pater ſuus ſibi diſpoſuit, ut ſuper menſam eius edant, & bibant in regno, quod Eccleſia conſecrauit. Cœnantibus enim illis, accepit Ieſus panem, & gratias agens benedixit, ac fregit: deditq́; diſcipulis ſuis dicens. Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur. hoc facite in meam commemorationem. Hac igitur inſtitutione formati, cœperunt Apoſtoli ſacroſanctum frequentare myſterium propter cauſam, quam Chriſtus expreſſerat, & formam ſeruantes in uerbis, & materiam tenentes in rebus, ſicut Apoſtolus Corinthijs proteſtatur dicens. Ego accepi à Domino, quod & tradidi uobis, quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, &c. Deinde ſubintulit. Miſſam inſtituit Dominus Ieſus ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, quando panem, & uinum in corpus, & ſanguinem ſuum tranſmutauit dicens. Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus: ſubiungens, hoc facite in meam commemorationem.

Miſſæ orationē Dominicam Apoſtoli addiderūt

Poſt aliquod uerò temporis, Apoſtoli totum noſtrę ſalutis myſterium hoc in Sacramento comprehendi conſiderantes, hoc ipſum præ ceteris, maiori cum ſolennitate celebrandum fore ſtatuerunt, uerbis conſecrationis à Chriſto traditis, orationē Dominicam, id eſt Pater noſter apponendo. Quod ſupradi-

Durant.

ctus Durantus, loco ut ſupra, oſtendit, dicens. Apoſtoli autem hanc Miſſam adauxerunt dicentes in Miſſa, non ſolum uerba

præmiſſa

præmiſſa, uerum etiam Dominicam orationem ſuperaddentes. Item lib.6.cap.de Paraſceue, idem confirmat dicens. Quo facto,mox incipit. Oremus præceptis ſalutaribus,&c. perficiens Dominicam orationem, & illam, Libera nos quæſumus, &c. In quo repręſentatur antiqua Apoſtolorum celebrandi Miſſam conſuetudo. Prius enim lectione præmiſſa, dicebantur ſolummodo uerba illa, Hoc eſt corpus meum, &c. Hic eſt ſanguis meus, &c. Sed ipſi poſtmodum Dominicam orationem addiderunt. Quis uerò Apoſtolorum Miſſæ celebrationis auctor fuerit primus; Egeſippus apud Euſebium indicat, dicens, Iacobum ab Apoſtolis primum conſtitutum fuiſſe Epiſcopum, & Liturgum, id eſt rerum diuinarum adminiſtratorem, &c. Vnde nonnulli hinc aſſumpſerunt,ipſum Apoſtolum Iacobum Miſſæ ritum inſtituiſſe. quod confirmatur per id, quod habetur de conſ. diſt.1.cap. Iacobus. Et apud 6. Synodum can.32. ubi ſic legitur. Iacobus frater Domini ſecundum carnem, cui primũ credita eſt Hieroſolymitana Eccleſia, & Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus, cuius claritas per totum orbem refulſit in ſcripturis addiderunt nobis Miſſæ celebrationem. Alij uerò uolunt, Petrum Apoſtolorum Principem primò Miſſam celebraſſe: cuius opinionis extat ferè Guilhelmus Durantus Minatenſis Epiſcopus, qui in ſuo ration.diuin.offic.lib.4.cap. de Miſſa,ſic ait. Beatus Petrus ſic Miſſam primus dicitur celebraſſe in partibus Orientalibus, ubi poſt Domini paſsionem, quatuor annis cathedram tenuit ſacerdotalem. deinde uerò accepit cathedram Antiochiæ, ubi tres orationes ad Miſſam adiecit. Verum ne canonibus Eccleſiaſticis, Iacobum primum fuiſſe affirmantibus, is Guilhelmus aduerſari uideretur; hanc ipſam ſuam ex parte reuocauit ſententiam, primatum & ipſe circa celebrationem Miſſæ Iacobo Apoſtolo tandem tribuendo. In canone legitur, inquit ipſe, quòd Iacobus frater Domini, Epiſcopus Hieroſolymytanus, & Baſilius Cæſarienſis addiderunt nobis in ſcripturis ordinem celebrandi Miſſam. Item iſte Iacobus Alphei dicitur primus inter Apoſtolos Miſſam celebraſſe. Nam propter excellentiam ſanctitatis eius, Apoſtoli hunc ſibi fecerunt honorem, ut poſt aſcenſionem, primus inter eos Miſſam Hieroſolymis celebraret, etiam prius quàm eſſet in Epiſcopum ordinatus. Vel fortè ideo dicitur primus celebraſſe, quia primus in Pontificalibus eam dixiſſe perhibetur. Sic & Petrus

Quis Apoſto. prim. Miſſã celebrarit. Egeſip.

De conſ. d.1.ca. Iacobus. Concil.6.

Durant.

Missa à Romanis Pōt. perpolita, atque ornata.

postmodum primus in Antiochia Missam celebrauit, & Marcus in Alexandria. Deinde Romani Pontifices Petri successores à Spiritu sancto edocti, paulatim in successu temporis, deuotas etiam orationes addentes, totius Missæ secretum, in trecentis ferè primis Ecclesiæ annis ornarunt, atque perpolierunt. Non tamen propterea hoc sacrificium sanctius nunc esse dicimus, quàm fuerit prius, quando ad sola Domini uerba, uel cum additione consecrabatur Apostolica, sed eiusdem tunc uirtutis fuisse, qualis nunc ipsum Sacramentum esse confitemur: hoc tamen cum discrimine, quòd nunc maiori perficitur solennitate: quod tunc, uarias ob rationes (præcipue in publico) fieri non decuit: quia tunc temporis Christianorum fides ualde erat rudis. quapropter iuxta illorum capacitatem, Missam ipsam celebrare debebat Ecclesia: quemadmodum & in ueteri Testamento, circa Hebræorum sacrificium, legimus fuisse obseruatum. Nam primò rudiori illud celebrabant modo, atque offerebant Deo: tandem temporis successu per diuersos, Dauidem, Salomonemq; præcipue, maximis cæremoniis, cantilenis, & aliis huiusmodi diuersis, in illorum sacrificij celebratione uti, est ordinatum. Vnde Rupertus libro secundo, capit. 21. Olim non tanto exterioris apparatu decoris Missarum solennia celebrabantur, nec ab uno quolibet hæc omnis religiosi obsequij gloria consummata, & perpolita est. Et sicut traditum per Moysen à Domino sacrificij ueteris ordinem, præcipue Dauid, & Salomon, Sacerdotum, & Leuitarum ministerio, cantorum multiplici numero, psalmorum diuinorum tripudio, templi, uel altaris illustri gloria, sacrorumque multitudine uasorum splendidius amplificauerunt; sic traditum à Domino mirabilem noui sacrificij ritum, per primos Apostolos sancta Romana Ecclesia suscipiens, religiosa fide amplexata, fideli cura conseruauit, diligenti apparatu exornauit. Credibile tamen est, Apostolos, loco Lectionum, Epistolarum, Euangeliorum, atque aliorum, quæ in Missa nunc dicuntur, alias simpliciter celebrasse orationes, ut in Missa, totus uitæ Domini nostri Iesu Christi, quemadmodum nunc fit, exprimeretur decursus. Cuius rei fidem facit, quòd quotiescunque in actis Apostolicis fit mentio de communione panis, semper & oratio tangitur. Nam secundo capite sic habetur. Erant autem perseuerantes in do-

Ruper.

Act. 2.

ctrina

ctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis, & oratione. Item Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, &c. Ad cuius corroborationem ait Vualafridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis, capit. 22. Quod nunc agimus multiplici orationum, lectionum, cantilenarum, & conſecrationum officio; totum hoc Apoſtoli, & poſt ipſos proximi (ut creditur) orationibus, & commemoratione paſsionis Dominicæ, ſicut ipſe præcepit, agebant ſimpliciter. Vnde circa domos, ſecundum ſuperius commemorata teſtimonia, frangebant panem. Quod etiam alia ſententia Lucas declarat dicens. Vna autem ſabbati, cum conueniſſemus ad frangendum panem, & reliqua. Et relatio maiorum eſt, ita primis temporibus Miſſas fieri ſolitas, ſicut modo in Paraſceue Paſchæ (in quo die apud Romanos Miſſæ non aguntur) communicationem facere ſolemus, id eſt præmiſſa oratione Dominica, & ſicut ipſe Dominus noſter præcepit, commemoratione paſſionis eius adhibita, eos corpori Dominico communicaſſe, & ſanguini, quos ratio permittebat. Sic itaque hoc noui Teſtamenti ſacrificium paulatim in ſucceſſu temporis à diuerſis fuit auctum, atque exornatum. Primò enim huic Sacramento, ad cordę fideliũ ad ſanctam ipſius communionem præparanda, lectiones Euangelicæ, & Apoſtolicæ fuerunt prępoſitæ. Qui uero fuerit horum primus auctor, uti refert Vualafridus, nemo pro certo ſcire poteſt. Ait enim, lectiones Apoſtolicas, uel Euangelicas, quis ante celebrationem ſacrificij primum ſtatuerit, non ſatis certum eſt. Creditur tamen à primis ſucceſſoribus Apoſtolorum, eandem diſpenſationem factã, ea præcipue cauſa, quia in Euangelijs eadem ſacrificia celebrare, & in Apoſtolo qualiter celebrari debeant, docetur. Et ut ante ſanctiſsimæ actionis myſterium, ex Euangelio ſalutis, & fidei ſuę recognoſcerẽt fundamentũ, ex Apoſtolo eiuſdem fidei, & morum Deo placentium, caperent inſtrumentũ. Anteponitur autem in ordine, quod inferius eſt dignitate, ut ex minoribus animus audientium ad maiora ſentienda proficiat, & gradatim ab imis ad ſumma conſcendat. Petrus autẽ Ciruelus Doracenſis in expoſitione libri Miſſalis, in epiſtola nuncupatoria ſic ait. Tempore Damaſi Papę Hiſpani, hoc eſt circa annos Domini 400, præter ſecretum Miſſæ canonem, ſolum Euangelium publice legebatur in tẽplo Dei fideli populo, quaſi ſermo qui-

Strabo. Act. 20. Vuala-frid. Petrus Ciruel.

dam præparatorius ante consecrationem, & sumptionem. Deinde. Legimus, inquit, circa annos Christianæ salutis 500. ferè iam institutas epistolas in officio Missali, &c. Honorius uerò lib. 1. cap. 88. Epistolam, & Euangelium Alexander Papa legi ad Missam constituit. Hieronymus autem Presbyter, Lectionum, & Euangeliorum seriem, ut hodie habet Ecclesia, collegit. Sed Damasus Papa, ut nunc moris est, legi censuit. Verum sit quomodocunque, hoc unum certum est, hæc ipsa tanquam præparatoria ad sanctissimum altaris sacrificium celebrandum fuisse ordinata. In cuius signum per multum temporis de corpore Missæ hæc illa non habebantur, quo nomine sacrificij mysterium tantummodo nuncupabatur, quemadmodum superius dictum est, ad quod confirmandum, præ ceteris D. Ambrosium adducebant, qui aiebat. Post lectiones, atque tractatum, dimissis cathecumenis, &c. Missam facere cepi. Per lectiones enim epistolam, & Euangelium intelligit: cuius tempore hæc ipsa ante sacrificium legebantur. Per tractatum autem, concionem ad populum uult intelligere, ut in eadem epistola ipsemet explicat dicens. Dum hæc tracto, suggestum est mihi, &c. Sic & Cyprianus in epistola ad Antonianum. Ego prius legeram, & Episcopo tractante cognoueram. Et Augustinus homilias suas in Ioann. tractatus uocat. Ait itaque Ambrosius. Peractis lectionibus, Paulinis, uel Propheticis uidelicet, Euangelicisque, atque concione, Missam facere cœpi. ergo Missa ab illis aliud erat. Quod etiam confirmare uidetur Guilhelmus Durantus Minatensis Episcopus in suo rationali diuinorum officiorum lib. quarto, cap. primo, dicens. In primordio nascentis Ecclesiæ Missa aliter dicebatur, quàm modo, &c. Sequenti uerò tempore epistola tantum, & Euangelio recitatis, Missa celebrabatur. Deinde reliquis alijs, quæ nunc in Missa dicuntur, ad honorem, & maiestatem sanctissimi huius sacrificij, per diuersos Pontifices, præcipue Gelasium, atque Cælestinum, ipsius celebrationi additis, & per B. Gregorium expolitis, atque ornatis, omnia ista in unum fuerunt reducta. quod & à parte illa tãquam nobiliori (gratia cuius reliqua sunt apposita) nomen Missæ traxit, ut partis nomine totum nuncuparetur. Sic itaque nunc totalis celebratio, quæ ante, & post huius sacrificij mysterium dicitur, una cum eodem sacrificij mysterio, Missa communiori modo,

Marginalia: Honori⁹. — Ambr. — Cyprian. — Ambr. — Guilhel. Minaten. Episcop⁹.

quàm ante appellatur: quamuis proprie, & ex prima ſui impoſitione hoc Miſſæ nomen, eidem ſacrificij myſterio tantummodo conueniat, quod eſt ab offertorio uſque ad communionem, uti inferius, cum de partibus ipſius mentionem faciemus, dicetur. Vnde Gabriel Biel, in canone, lect. 15. Secunda pars Miſſæ, quæ proprie Miſſa appellatur, hæc quatuor habet diſtinctiones. Prima dicitur ſecreta, ſecunda præfatio, tertia canon, quarta Dominica oratio cum ſua præfatione. Et Guilhelmus Durantus in rationali diuinorum, lib. 4. cap. 1. Miſſa fidelium eſt ab offertorio uſque ad communionem, &c. Quandoq; (quod uſitatius eſt) dicitur totum officium ab introitu uſque, Ite miſſa eſt. Quamobrem differentiam ſacri Doctores faciunt non paruam inter ipſum cœnæ myſterium, quod proprie Miſſa nuncupatur, & cetera eidem myſterio ad ipſius reuerentiam addita: ordinem, quem ad ipſum ſacrificij myſterium habent, aſſignando. Dictum nempe eſt ſuperius, in primitiua Eccleſia fideles, antequam huic ſancto ſacrificij intereſſent myſterio, primò ſe ipſos diſpoſuiſſe, atque præparaſſe: & hoc eſt, quod in prima parte ipſius Miſſæ habetur. Oſtenſum etiam eſt, hoc ipſum ſacrificium, uno nomine Euchariſtia dici, hoc eſt gratiarum actio: quòd in hoc ſacrificio grata quadam recordatione proſequimur tum omnia à Chriſto nobis collata bona, tum præſertim immẽſum illud redemptionis noſtrę beneficium. Vel, ut ait Origenes, bona gratia nuncupatur, ut argumentum nobis ſit, quemadmodum gratias Deo agamus. & hoc eſt quod in tertia parte eiuſdem Miſſæ agitur. In ſecunda uero nil aliud, quàm ipſius ſacrificij myſterium celebratur. In tres itaque partes, miſſa ſecatur, in partem preparatoriam, in ſacrificij myſteriũ, & in gratiarum actionem. Prima pars, preparatoria uidelicet, eſt à principio uſque ad offertorium excluſiue, quæ pars cathechumenorum dici non poſſet, uti ait etiam Biel in can. lect. 15. pro eo quòd maior eius pars antea admittebat cathecumenos. Idem approbat Durantus in rationali diuinorum, lib. 4. cap. 1. Miſſa cathecumenorum eſt ab introitu uſque ad offertorium. quæ Miſſa ab emittendo dicitur: quoniam quando ſacerdos incipit conſecrare Euchariſtiam, cathecumeni foras de Eccleſia mittuntur. Et hac in parte duo obſeruantur, Præparatio, atque inſtructio. Deinde ſequitur ipſum ſacrificij myſterium, ab ipſo offertorio uſque ad communionem excluſiue, in qua quidẽ parte

Gabr. Biel

Guilhel. Durant.

Miſſa ſecatur in 3. partes prĩcipales

Prima eſt ꝑparatoria à principio, uſq; ad offert.

Biel.

Durãtus.

Secunda circa sacrificij myster. ab offerto. usq; ad coionẽ. Tertia est gratiarum actio, à cõmunione, usque ad finem. Præparatio sequẽtes comprehẽdit partic. Ecclesiastes. 4. Ecclesiastici. 18. De ĩtroit. psal. 49. Dionys. Areopag. Rupertus Tuitiẽsis. Hugo de san. Vict. Honorius Durãtus.

parte tria celebrantur, oblatio, consecratio, atque ipsius perceptio. Vltimate tandem gratiarũ actione Missa perficitur, à communionis lectione ad finem usque. Et ut maiorem, clarioremq;, unusquisq; magis distincte, atq; particulariter, horum omniũ habere posit notitiam, hęc illa, una ex parte ex doctrina D. Thomę Aquinatis, q. 83. artic. 4. in cap. partis tertiæ excerpta, describere dignum duxi.

Ante celebrationem enim huius mysterij, primò præmittitur pręparatio quædam, atq; instructio ad digne peragenda, quę sequuntur. Quod non absque consideratione, factum esse censetur. Scriptum est Ecclesiastes. 4. Custodi pedem tuum ingrediẽs domum Domini. Et Ecclesiastic. 18. Ante orationẽ prępara animam tuam. Ideo huius mysterij celebrationi primò præponitur ipsa præparatio: cuius præparationis pars prima est laus diuina, quæ fit in introitu, secundum illud psalm. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostẽdam illi salutare Dei. Et hoc sumitur ut pluries de psalmis, uel saltem cũ psalmis cantatur: quia ut Dionysius dicit. 3. cap. Eccle. Hierach. Psalmi cõprehendunt per modum laudis quicquid in sacra scriptura continetur. Quapropter Cęlestinus Papa, uti testatur Rupertus Tuitiensis lib. 2. de diuinis offic. cap. 21. Et Hugo de sancto Victore lib. 2. part. 9. cap. 9. Et Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 87 & Durantus in ration. diuin. offic. lib. 4. cap. de introitu Missę, constituit, ut omnes psalmi Dauidici (150 uidelicet) ante consecrationem canerentur, quod introitum dicimus, eo quòd sacerdote ad altare introeunte à choro canitur: quæ quidem psalmos cantandi consuetudo, ad D. Gregorij Pontificatum usque perdurauit. Qui deinde ex ipsis antiphonas ad Missæ introitum modulando composuit, uti testatur Honorius loco ut supra dicens. Cælestinus Papa psalmos ad Missam cantari instituit, de quibus Gregorius postea antiphonas ad introitum Missæ modulando composuit. Vnde adhuc primus uersus eius psalmi, ad introitum cantatur: qui olim totus ad introitum cantabatur. Quod & Durantus, loco superius citato, approbat dicens. Gregorius enim introitum Missæ cum cantu ordinauit, & unum uersum de illo psalmo, qui cantabatur, retinuit: in quibusdam tamen sanctorum solennitatibus, ob maiorem illorum festiuitatis explicationem, speciales habentur introitus. His deinde, Gloria patri, &c.

Honor.

Durãtus.

additur,

additur, ut laus una toti Trinitati in unitate æqualiter aſcribatur: quia licet ſolus Filius carnem ſuſceperit in proprietate, attamen Pater, & Spiritus ſanctus non defuerunt maieſtate. Nonne muſicus, ut melos dulcibus reddat ſonis, tribus indiget, manu, arte, & corda? Aliud enim agit ars, aliud manus, aliud corda. Ars dictat, manus pulſat, & corda reſonat. Tria pariter operantur, ſed ſola corda auditur, ſola corda ſonum excutit: at operatio in tribus conſiſtit. Sic itaque & Filius ſolus eſt manifeſtatus in carne, quòd Pater, & Spiritus ſanctus interfuerunt maieſtate, propterea ipſis gloria tribuitur æqualis. In defunctorum tamen Miſsis omittitur: quia illi in ſtatu non ſunt gloriæ, ſed pœnæ.

Secunda particula ad præſentis miſeriæ commemorationem pertinet, dum miſericordia petitur dicendo, Kyrie eleiſon, ter quidem pro perſona Patris: ter autem pro perſona Filij, cum dicitur Chriſte eleiſon, & ter pro perſona Spiritus ſancti, cum ſubditur Kyrie eleiſon, contra triplicem hominis miſeriam, fragilitatem uidelicet, & ignorantiam, atque malitiam. Vel ad omnes tres perſonas in ſeinuicem eſſe ſignificandas. Et pars iſta à ſancto Gregorio eſt inſtituta, à Græcis tamen per Silueſtrum deſumpta, ſed non eodem modo obſeruata. Durantus libro 4. cap. de Kyrie eleiſon. Beatus Gregorius inſtituit Kyrie eleiſon nouies, & à clero tantum, publice in Miſſa cantari: quod prius apud Græcos ſimul à clero, & populo cantabatur. Silueſter uero Papa illud de Græcis aſſumpſit. Et Rupertus loco ut ſupra pariter ait. Idem Gregorius Kyrie eleiſon à clero ad Miſſas cantari præcepit. quod apud Græcos ab omni populo cantabatur. Et Gregorius ipſe ad Ioannem Epiſcopum Syracuſanum, libro ſeptimo, epiſtola. 63. Kyrie eleiſon autem nos, neque dicimus, ſicut à Græcis dicitur: quia in Gręcis ſimul omnes dicunt, apud nos autem à clericis dicitur, à populo reſpondetur, & totidem uicibus Chriſte eleiſon dicitur. quod apud Græcos nullo modo dicitur. Et Vualafridus cap. 22. Lætaniæ, quę ſequuntur, id eſt Kyrie eleiſon, & Chriſte eleiſon, à Gręcorum uſu ſumptæ creduntur: quia Græca ſunt uerba: & ea ipſi Græci ſæpe in ſuis iterant Miſsis.

De kyrie-eleiſon. *Durãtus.* *Rupertus* *Gregor.* *Vualafri.*

Tertia particula cæleſtem commemorat gloriam, ad quam tendimus poſt præſentem uitam, & miſeriam dicendo, Gloria in ex-

De Gloria in excel.

in excelsis Deo, uidelicet, quæ in festis cantatur, quando & Te Deum laudamus dicitur: in quibus cælestis gloria commemoratur. Intermittitur autem non solum in officijs luctuosis, quæ ad miseriæ commemorationem pertinent, uerum etiam in aduentu, & in septuagesima, ac quadragesima, & in festo Innocentum, nisi dies Dominicam fuerit: & hoc ob speciales eorum rationes. Nam in festo Innocentum non dicitur, quia non in gloriam, sed in Christi uituperium fuerunt occisi. Si-
Prou. 13. militer neque in aduentu: quia cum letitiæ hoc sit canticum, & sancti patres non in re, sed in spe hanc obtinuerint gloriam (nam aduentus in illius sanctorum patrum desiderij commemorationem celebratur) spes autem, quæ differtur, affligit animam. Pari modo neque in septuagesima, nec in quadragesima, in qua ob primi parentis lapsum requiritur flebilis cantus. Vnde etiam ob nouem chororum Angelorum consortij priuationem, nouem tacetur hebdomadis. Dicitur tamen in Sabbato sancto: quia illa Missa quodammodo sequentis est diei, scilicet resurrectionis Christi. Et hæc primo
Thelesphorũ Pa. per Thelesphorum Papam est instituta, qui (ut habetur in sua decretali) in nocte natiuitatis Domini Missas celebrari, & ipsum Angelicum hymnum in eis solenniter decantari statuit: quoniam ea nocte pastoribus ab Angelo Saluator est nuntiatus.
Sym. Pa. Hugo de S. Victo. Hugo. Deinde Symmachus Papa (ut testatur Hugo de S. Victore) illũ ipsum diebus Dominicis, & in Martyrũ natalitijs, in Ecclesia, ad Missę officium decantari decreuit: quod etiam in ipsius habetur decretis. Et cum multa huic hymno fuerint addita, ait Hugo de sancto Victore, à B. Hilario Pictauiensi Episcopo, hunc ipsum hymnum, sicut nunc canitur, auctum, atque consummatum fuisse.

De collecta, siue oration. Quarta uerò particula orationem, quæ & collecta dicitur, continet: quam sacerdos pro populo facit, ut digni tantis mysterijs omnes habeantur. Cui tamen Dominus uobiscum præponitur (uti inferius post communionem dicetur) & populus ad orandum prius admonetur, sacerdote dicente. Oremus illud significante quod Christus suis dixerat discipulis. Orate, ne intretis in tentationem, Vel quod petitur facilius impetretur: quia multiplicatis intercessoribus facilius petitum obtinetur. Deinde collecta dicitur immediate, in qua omnes fidelium concluduntur petitiones. Vnde Micrologus de Ecclesiasticis obser-

obſeruationibus. Sequitur oratio, quam collectam dicunt, eo quòd ſacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones, ea oratione colligat, atque concludat. Ille autem orationes ſpecialius collectæ uocari uidentur, quæ apud Romanos ſupra collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una Eccleſia in aliam, ad ſtationem faciendam. Eandem ferè ſententiam refert Innocentius lib. 2. cap. 26. Has autem orationes, ſicut collectas (uti teſtatur Hugo de ſancto Victore) diuerſi Pontifices, Gelaſius præcipue, & Gregorius, compoſuerunt. Et quia nomen collectæ his magis proprie conuenit, quę in ſtationibus dicuntur, ſicuti & ſuperius affirmauit Micrologus, ideo nonnulli inter orationem, & collectam faciunt differentinm: orationem eam, quæ in Miſſa dicitur, appellantes: collectam autem illam, quæ in proceſſionibus legitur, uocantes. Vnde Honorius cap. 94. Collecta ideo dicitur, quia ſub ea populus in unum colligitur. hæc eſt autem differentia inter orationem, & collectam, quòd hæc oratio uocatur, quæ ad Miſſam dicitur, hæc autem collecta, quæ ad proceſsionem in ſtatione ſuper populum legitur. Huius etiam ſententię eſt Ioannes Billet de diui. offic. ubi ſic ait. Collecta dicitur proprie in proceſsione, cum populus, & clerus de una in aliam procedit Eccleſiam, & tunc ſacerdos, ſiue Epiſcopus collecta omniũ multitudine, ſolebat dicere orationẽ ſuper populum. Illa proprie dicitur collecta. Alij uero tũ in Miſſis, tum in ſtationibus, nomine collectæ, & orationis indifferenter utuntur: cui ſententiæ Albertus in de officio Miſſæ, ſe ſubſcribit dicens. Collectæ ratio nominis eſt, uel quia colligit petita populi, quæ ſacerdos conſcius ſecretorum offert Domino, uel quia tales fiebant pro populo, dum colligeretur ad cõmunionem Domini celebrandam.

Inno. Pa.
Hugo.
Honor.
Ioan. Bil.
Albert.

Secundum aliquos autem hæc oratio collectæ nomen etiam obtinuit propter eleemoſynas, quæ tunc ex fidelium oblatione colligebantur in templo. Et hæc ad præparationem. Deinde præmittitur fidelis populi inſtructio: quia hoc Sacramentum (ut ſupra habitum eſt) fidei eſt myſterium: quæ quidem inſtructio per Prophetarum, & Apoſtolorum doctrinam, à lectoribus, & ſubdiaconibus, in Eccleſia legendam, diſpoſitiue efficitur. Quis autem Pontificum iſta cum Euangelio inſtituerit eſſe celebranda, ſuperius dictum eſt. Circa hoc autem unum

De inſtructione.
De lectionibus, epiſtolisque.

Vualafri. est notandũ, quòd fortaßis (sicuti notat pariter Vualafridus) in primis tantũ Apostoli Pauli lectiones eo loco legebantur: postea uero omnibus latius augmentatis, reliquæ lectiones non tãtũ de nouo, uerũ etiam & de ueteri (prout festorũ ratio postulabat) desumptæ sunt Testamẽto. Post lectionẽ aũt Propheticam, siue Paulinã, à choro graduale cantatur, quod profectũ uitæ significat, & Alleluia, quod spiritualẽ exultationẽ indicat, deinde in solennitatibus, sequentia, quæ propterea aliàs iubilatio dicebatur, uel tractatus loco Alleluia, in officijs luctuosis, qui spiritualẽ significat gemitum, dicitur. Hæc.n. in populo ex prædicta doctrina consequi debent. Quis uero hæc ipsa instituerit, asignat Honor. lib. 1. cap. 88. dicens. Graduale, & Alleluia Ambrosius cõposuit, sed Gregorius Papa ad Missam cantari instituit: qui etiam in festiuis diebus Neumam, hoc est iubilũ, iubilare statuit. Et Abbas Nokkerus de Santo Gallo, sequentias pro Neumis cõposuit, quas Nicolaus Papa, ad Missam cantari concessit. Vocant aũt Graduale responsorium ipsum, quod ante Alleluia canitur. Cuius rei expositor ordinis Rom. Gregorius causam asignat dicẽs. Responsoriũ, quod ad Missam dicitur, pro distinctione aliorũ responsoriorũ graduale uocatur: quia hoc psallitur in gradibus, cetera uero ubicunq; uoluerit clericus. Insuper instruitur populus, quod perfecte fit per Christi doctrinã in Euãgelio contentam, quæ à summis.s. diaconibus, legitur ministris.

De gradual. De Allel. De Sequ. De Tractatu.

Honor.

Nokker. Ab.

Greg.

De Euangelio.

Et quia Christo tanquã diuinæ ueritati credimus, secundum illud Ioan. 8. Si ueritatẽ dico uobis, quare non creditis mihi? lecto Euangelio, fidei Symbolũ cantatur: in quo populus se per fidem doctrinæ Christi assentire ostendit. Cantatur aũt in oibus festis Domini nostri Iesu Christi, & B. Virginis, & Apostolorũ, atq; quatuor Ecclesię Doctorũ, qui hãc fidẽ publicarunt. Ipsum uero Symbolũ Synodus prima Constantinopolitana, can. 7. tẽpore Damasi Pape celebrata, composuit: & Damasus ipse, ut refert Honorius, postea ad Missam cantari instituit. Hæc quo ad instructionem, & primam partem ipsius Missæ sufficiant.

De credo: idest Symbolo Apostolico. Ioan. 8.

Conc. Const. Hono.

Sic itaq; populo præparato, & instructo, consequenter ad secundã ipsius Missæ partẽ, hoc est ad mysterij celebrationẽ, accedítur, quod quidẽ.s. mysteriũ, & offertur, ut sacrificiũ, & consecratur, & sumitur, ut sacramentũ. Quapropter circa hoc, tria dicimus esse obseruanda. Primò oblationem, secundò materiæ oblatæ consecrationẽ, ultimò eiusdẽ perceptionem. Oblatio.n. duobus

De secunda parte principali quæ propriè Missa dicitur: circa quã

duobus cōpletur, laude populi, in cantu offertorij, per quod offerentiū lætitia ſignificatur, & oratione ſacerdotis, qui ut oblatio populi Deo ſit accepta, Deo ſupplicat, iuxta illud Prophetæ Dauid. 1. Paral. cap. 29. Ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli uniuerſa hæc, & populū tuū, qui hic repertus eſt, uidi cum ingenti gaudio, tibi offerre donaria. Et poſtea orat dicens. Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael patrum noſtrorū, cuſtodi in æternum hanc uoluntatē cordis eorū, & ſemper in ueneratione tui mens iſta permaneat. Offertorium aūt ſimiliter, & communionem, ille addidit, qui & Introitū, atq; Graduale ad Miſſam cantari inſtituit, Beatus uidelicet Gregorius teſte Honorio cū alijs duobus ſupra citatis, &c quamuis Vualafridus ſuper hoc dubitauerit dicens. Offertoriū, quod inter offerendū cantatur, quāuis à prioris populi conſuetudine in uſum Chriſtianorū ueniſſe dicatur; tamen quis ſpecialiter addiderit officijs noſtris, aperte non legimus. Sicut & de Antiphona, quæ ad cōmunionē dicitur, poſſumus fateri: cum uere credamus priſcis tēporibus, patres ſanctos ſilētio obtuliſſe, uel cōmunicaſſe: quod etiā hactenus in Sabbato ſancto Paſchę obſeruamus. Traditur deniq; B. Grego. ſicut ordinationē Miſſarū, & conſecutionē, ita etiā cantilenę diſciplinam, maxima ex parte in eam, quę hactenus quaſi decentiſsima obſeruatur, diſpoſitionem perduxiſſe.

tria obſeruantur, oblatio, cōſecratio, & perceptio.

De oblatione.

De offertorij cātu.

De oratione poſt offertoriū.

1. Parali. cap 29.

Vualafridus.

Orationē uero poſt offertoriū ordinarunt hi, qui aliàs ante lectiones, & poſt cōmunionem (de quibus ſuperius loco ſuo dictū eſt) inſtituerunt. Inter oblationē aūt, & ſacerdotis orationē ſacerdos (uti etiā notat Guilel. Dur.) lauat manus, ut mūdę ſint à terreno pane, iā in populi oblatione recepto, uel à terreno deſiderio, iuxta illud Eſa. 1. Lauamini: mundi eſtote, auferte malū cogitationū ueſtrarū ab oculis meis. In quibuſdā tamen Eccleſijs, ueluti hic Salisburgę, inter ꝑfationē, & actionē, hoc eſt canonē, hæc manuū obſeruatur lotio. Deinde ſequitur Cōſecratio: quę ſupernaturali uirtute agitur: circa quam primò populus in præfatione ad deuotionē excitatur. Præfatio aūt hæc oratio dicitur: quia (ut ait & Guil. in ration. diui. lib. 4. c. de pręfatione) præcedit ſacrificiū principale. Eſt. n. quaſi prælocutio, id eſt ad myſteriū præparatio, ꝓlocutio uidelicet totius orationis ſecuturę à Te igitur, uſq; ad Agnus Dei. In hac. n. ꝓloquit ſacerdos grates, & laudes Deo, ut melius ad conſecrandū corpus Chriſti ualeat ꝑuenire. Vocatur ēt ꝑparatio: quia ꝑparat fideliū mētes

De lotione.

Durantus.

Eſa. 1.

De præfatione.

Durantus

ad futuræ reuerentiam consecrationis. Dicitur etiam hymnus Angelicus: quia Angelicis laudibus est plenus. Initium autem habet à Per omnia secula seculorum: quod est & finis præcedentis orationis. per quod insinuatur, Christum esse lapidē illum angularem, qui fecit utraque unum, Iudęos uidelicet,& Gentiles, ut sit unum ouile, & unus pastor. Deinde salutatur populus à sacerdote dicente, Dominus uobiscum, optante populum talem existere, qualem Dominus ad secum manendum inuenire desiderat. Et populus respondet dicens. Et cum spiritu tuo: ita quòd mutuo sacerdos, & populus pro se orant. Nam & in ueteri Testamento omnes sacerdotes orabant, dum consumaretur sacrificium, Ionatha inchoante, & ceteris respondentibus. Postea statim à sacerdote populus ipse sursum corda habere monetur. quod credo ex Hierem. cap.3. Thren. desumptum esse: ubi sic legitur. Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos. Vnde & Augustin. serm. de temp.44. Corda fidelium cælum sunt, quia in cælum quotidie eriguntur, dicente sacerdote Sursum corda, securi respondent. Habemus ad Dominum. Item Cyprian. Pap. de oratio. Dominica Sacerdos ante orationem (hoc est consecrationem) præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo Sursum corda, ut dum respondet plebs, Habemus ad Dominū, admoneatur, nihil aliud se, quàm Dominum cogitare debere. Et hi, qui Dominum semper cogitant, in cęlum corda ipsorum eleuando, gratias Deo agere non cessant. Ideo à populo fideli, sua sursum habere corda prolato, Sacerdos omnium uice gratias agit Deo. Vnde August. super illud Mat.11. Cōfiteor tibi pater cæli,& terrę ait. Norunt fideles, ubi,& quando dicatur, Gratias agamus Domino Deo nostro. Quis autē gratias agit Deo, nisi qui sursum cor habet ad Dominum? Item de sancta uiduitate ait. Nemo est donis Dei beatus, qui donanti existit ingratus. Quia & illud, quod inter sacra mysteria, corda habere sursum iubemur, ipso adiuuante, id ualeamus, quo iubente admonemur. Et ideo sequitur, ut de hoc tanto bono leuati cordis, non nobis gloriā, quasi nostrarū uiriū tribuamus, sed Domino Deo nostro gratias agamus. hoc enim continue admonemur: quia hoc dignum est, hoc iustum est. Et ideo finita præfatione, populus deuote laudat diuinitatem Christi cum Angelis dicens. Sanctus, Sanctus, Sanctus: & humanitatem, cum pueris

De Per omnia.

De Dominus uobiscum.

De Sursum corda.

Hiere.3. Thren.

August.

Habemus ad Dominum.

Cyprian. Pap.

De gratias agamus.

August.

De Sanctus.

pueris dicens Benedictus, qui uenit in nomine Domini. De Benedictus.

Præfationem autē ipſam (ut uult Rupertus Tuitienſis) dicta uit Gelaſius: qui & tractatus, & hymnos cōpoſuit. Alij uero, ut habetur ex quodam uetuſtiſsimo lib. de officio Miſſæ, aſſerūt. Gelaſius Papa ex ſcolaſtico effectus in ordine. 48. fecit tractatus, & hymnos. Sicut B. Ambr. pręfationē quoq;, id eſt exhortationem, quæ ſit ad populum ante ſacrificium, & obſecrationem, & conſecrationem principalem, & codicem de Miſſarum ſolenniis cauto, & elimato ſermone compoſuit. Quem poſtea B. Grego. ſicuti in lib. 2. de uita ipſius legitur, multa ſubtrahēs, pauca conuertens, nonnulla uerò ſuper adiiciens, unius libri uolumine, coarctauit, & Gelaſianum codicem appellauit. Rupert. Tuiti.

Vualafridus autem ait. Præfationem actionis, qua populi affectus ad gratiarum actiones incitatur, ac denique humanæ uocis ſupplicatio cæleſtium uirtutum laudibus admitti depoſcitur, uel ipſam actionem, qua conficitur ſacroſanctum corporis, & ſanguinis Dominici myſterium, quam quoque Romani canonem appellant, quis primus ordinauerit, nobis ignotum eſt: auctam tamen fuiſſe non ſemel, ſed ſæpius ex partibus additis intelligimus. Vualafridus.

Sanctus uero, teſte Ruperto Tuitien. Xyſtus primus cantari inſtituit. quod etiam habetur in ipſius decretis, cap. 2. ubi ſic legitur. Conſtituit etiam, ut ſacerdote incipiente actionem Miſſarum, à populo cantaretur. Sanctus, Sanctus, Sanctus. Actio autem dicitur ipſe canon. quia in eo Sacramenta conficiuntur Dominica. Canon uerò eadem actio nominatur: quia ea eſt legitima, & regularis Sacramentorum confectio. Hinc orta eſt inter nonnullos diſceptatio. Aliqui uolunt uerba conſecrantia tantum, nomine canonis dici poſſe. Vnde Panormitanus de celebratione Miſſæ cum Martæ ait. Nota ibi in canone Miſſæ, quòd non, quicquid dicitur in ſecreto Miſſæ, dicitur canon, ſed tantum illa uerba, quibus fit tranſubſtantiatio. Hinc dicit Oſtienſis. Quidam ſimplices ſacerdotes appellant canonem quicquid eſt in ſecreto. Et ſcias, ꝙ ſunt pauca uerba, in quibus fit tranſubſtantiatio in corpus, & ſanguinem Chriſti: ſtatim illis uerbis prolatis, & non ante, eſt ibi corpus Chriſti, & ſanguis. Ea uerò, quæ præcedunt in Miſſa, & ſequuntur, non ſunt de ſubſtantia conſecrationis: ſed ſacerdos orat pro populo, & refert gratias Deo. Alij uerò non ſolum conſecrationis uerba

Quid ſub noīe canonis cōprehēdatur. Panormi. Oſtienſ.

uerba, sed totalem actionem, hoc est ab hymno Sanctus, usque

Durant. ad orationis Dominicæ præfationem, canonem uocant. Durantus in rationali diuinorum. Secunda pars Missæ in offertorio, siue in Dominus uobiscum incipit: quæ in quatuor subdiuiditur particulas. Prima dicitur secretella, secunda præfatio, tertia canon, quarta oratio Dominica cum sua præfatione. Idem

Biel. superius affirmabat Biel, cum dicebat. Secunda pars Missæ, quæ proprie Missa appellatur, hęc quatuor habet distinctiones. Prima dicitur secreta, secunda præfatio, tertia canon, quarta Dominica oratio cum sua præfatione. Cuius opinionis & alij fuerunt non pauci: quorum aliqui inferius, cum de ipsius canonis auctore fiet sermo, describentur. Vt autem utriusq; partis sententiam in unum reconciliare ualeamus, id quod de Missæ nomine dictum est, circa hoc etiam affirmare erit necesse, uidelicet canonis nomen bifariam esse intelligēdum. Vno modo proprie, alio uerò modo communiter. Proprie enim canonem uocamus uerba solummodo illa, quibus ipsa fit transubstantiatio: latiori uerò modo, & reliqua, quæ ante, & post ipsam consecrationem, immediate secretò à sacerdote dicuntur, sub canonis nomine intelligi posse affirmamus. & hoc propter ipsorum ad consecrationis uerba connexionem: quę omnia ad ipsum sacrificij mysterium diriguntur: uti de singulis nunc ratio assignabitur. Nam post hymnum sanctus sacerdos omnes, pro quibus hoc sacrificium offertur, secreto commemorat. Et

Te igitur clemēt. s. primò uniuersalem Ecclesiam, ubi Te igitur clementissime Pater, &c. Et illos, qui in sublimitate sunt constituti, iuxta illud

1. Tim. 2. Apostoli 1. Timoth. 2. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam, & tranquillam uitam aga-

Vna cum famu. tuo Papa, &c. mus in omni pietate, & castitate. Et hoc ibi cum dicitur, Vna cum famulo tuo Papa nostro, & Antistite nostro, atq; Imperatore, uel Rege nostro, &c. Deinde circunstantes, eos specialiter, ad instantiā quorum in particulari tale celebratur sacrificium,

Memēto. ibi. Memento Domine famulorum, famularumq; tuarum. N. & omnium circumastantium, &c. Secundò sanctos, quorum pa-

Cōmunicantes. trocinia implorat, ꝙ prędictis commemorat dicens. Communicantes, & memoriam uenerantes, in primis gloriosæ, semperq; uirginis Mariæ, &c. Tertiò petitionem concludit, cum

dicit.

dicit. Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, &c. Hanc igit oblat.

Deinde iſtis omnibus habitis, ad ipſam ſacerdos accedit cõſecrationem: cuius gratia quinque obſeruat. Primò, conſecrationis petit effectum, cum dicit. Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus, &c. Secundò, ipſam per uerba Saluatoris conſecrationem peragit, ibi. Qui pridie quàm pateretur, accepit in ſanctas, &c. Tertiò, de præſumptione, per obedientiam ad Christi mandatum, ſe excuſat dicens. Vnde & memores Domine nos ſerui tui, &c. Quartò, hoc ſacrificium peractum petit Deo eſſe acceptum: illiq; propterea ſupplicat, ibi cum dicit, Supra quæ propitio, ac ſereno uultu reſpicere digneris, &c. Quintò, & ultimò triplici modo huius ſacrificij, atque Sacramenti petit effectum. Primò, quantum ad ipſos ſumentes, cum dicit. Supplices te rogamus omnipotens Deus, &c. Secundò, quantũ ad mortuos, qui iam ſumere non poſſunt, ibi. Memento etiam Domine famulorum, famularumq; tuarum .N. qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & Dormiunt in ſomno pacis, &c. Tertiò ſpecialiter, quantum ad ipſos ſacerdotes offerentes, cum dicit. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, &c. De cõſec. circa quã quinq; obſeruãtur. Quã oblationem. Qui pridie quàm. Vnde & memores Supra q̃ propitio. Supplices te rogam. Meméto etiã Dñe. Nob. quoque peccatoribus.

Quis uerò hæc ipſa, canonem uidelicet, ſiue actionem ipſam ordinauerit primus; ſuperius cum de præfatione ſermonem haberemus, dicebat Vualafridus, hoc nobis ignotum eſſe: illam tamen, ſcilicet actionem, non ſemel, ſed ſæpius (uti ex partibus additis intelligi poteſt) auctam fuiſſe. Hugo autem de Sancto Victore ſic ait. Te igitur clementiſsime Pater, &c. Et in primis glorioſæ, ſemperq; Virginis Mariæ, &c. Hanc oblationem, & conſecrationem, &c. Gelaſius Papa ex parte compoſuit. Beatus autem Gregorius addidit, Dieſq; noſtros in tua pace diſponas, &c. Qui pridie quàm pateretur, uſq; In memoriam facietis. Quod & Apoſtoli in uſu habueruut: & in his uerbis, corporis Christi Sacramentum celebrauerunt. Alij Alexandrum Papam hæc addidiſſe ferunt: Leonemq; Papã inſtituiſſe, infra actionem dicere, Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam. Polydorus Virgilius uerò de inuent. rerum, lib. 5. ca. 10. ſic dicit. Canonis partem, Te igitur clementiſsime Pater, &c. quæ deinde initium eſſe cœpit, Gelaſius dedit: ſicuti ante eum, Syricius, Communicantes, & memoriam uenerantes, &c. quod nunc tertiò loco ponitur. Ex quo apparet, ipſum canonem neque ab uno, neq; in eam formam digeſtum, quo modo conſtat. Vualafridus. Hugo. Polydor. Virgil.

Cuius

Cuius rei uel fidem facit, quòd Alexander primus, qui Gelasium, & Syricium longo temporis interuallo præcessit, ob memoriam passionis Christi posuit, Qui pridie q̃ pateretur, usq; ad illa uerba, Hoc est corpus meum. Quo circa satis liquet, illud tantum canonis fuisse principiũ: quando, sicut diximus, Gelasius circiter 360. & eo amplius annos post Alexandrum sedit. Leo deinde adiecit. Hanc igitur oblationem, usque Placatus accipias. Gregorius tres subiunxit postulationes, Diesq; nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Eiusdẽ quoque primi Leonis est, Sanctum sacrificium, immaculatã hostiam. Sic alij alia addiderunt. Hæc ille. His igitur peractis, de tertia particula huius mysterij celebrationis est agendum: quæ est ipsius Sacramenti perceptio, quemadmodum superius in ipsius diuisione tactum est: circa quam duo obseruantur. Primò populus ad ipsum percipiendum præparatur: & hoc dupliciter. Prius per communem totius populi orationem à Christo traditam, & ab Apostolis post consecrationem dicendam, ordinatam: quæ oratio dicitur Dominica, in qua præmissa prius præfatiuncula, Præceptis salutaribus, &c. Panem nostrum quotidianum nobis dari petimus. Deinde per priuatam, quam sacerdos specialiter pro populo offert cum dicit. Libera nos quæsumus Domine. Hanc autem Dominicam orationem, post consecrationem, siue actionem ipsam esse celebrandam, ab Apostolis (quemadmodum superius ostensum est) fuit institutum. Illam autem eo in loco cantari, quo canitur, à B. Gregor. fuit ordinatum. Ioannes Diaconus in uita Gregorij, de ipso Gregorio loquens ait. Orationem Dominicam mox post canonem super hostiam censuit recitari: & hoc à solo sacerdote. Vnde & ipse lib. 9. reg. ad Ioannem Syracusanum. Dominica oratio apud Græcos, ab omni populo, apud nos uerò à solo sacerdote cantatur. Similiter etiam orationi huic Dominicæ præfationem suam, & subsequentẽ hoc est, Libera nos quæsumus Domine &c. addidit orationem, teste Honorio dicente. Hic etiam (Gregorium intelligit) præcedens capitulum, Oremus, Præceptis salutaribus, &c. & sequens, Libera nos Domine, &c. addidit.

De perceptione huius Sacr. circa quã duo obseruantur.

De orõne Dñica cũ sua præfatiuncula.

De libera nos, &c.

Ioann. Diac.

Grego:

Honor.

De pace.

Secundò præparatur populus per pacem, quæ à sacerdote omnibus pronuntiatur dicente, Pax Domini sit semper uobiscum.

Deinde

Deinde cum ait, Pax tibi, datur miniſtris, Agnus Dei cantantibus: quo interim etiam, data tamen pace, corpus Chriſti ſumitur: eſt enim hoc Sacramentum unitatis, & pacis uinculum. In Miſsis tamen defunctorum, in quibus ſacrificium offertur, non pro pace præſenti, ſed pro mortuorum requie, Pax intermittitur: pro quibus tamen ipſi Chriſto ſupplicamus, ut eis donet requiem. Meritò autem (ut ait & Guilhelmus in ration. diu. lib. 4. cap. de Agnus Dei) dum corpus, & ſanguis Domini ſumitur; Agnus Dei cantatur: ut omnes credamus, quia ipſius Agni corpus, & ſanguis tunc ſumitur, qui peccata mundi moriendo tulit, & uitam ęternam nobis reſurgendo donauit Ieſus Chriſtus Dominus noſter: & ut oremus ipſum nunquam deſiſtere miſereri nobis, qui in paſsione miſertus eſt noſtri. Quis uerò Agnus Dei inſtituerit, & pacẽ dari ordinauerit; manifeſtat Vualafridus dicens. Pacem ante communionem dari Innocentius Papa inſtituit: ſcilicet ut, quod in oratione ſancta ſub ſponſione remiſsionis præmittimus, pacatos nos ipſo opere demonſtremus. Agnus Dei in cõfractione corporis Dominici à clero, & populo decantari Sergius Romanorum Antiſtes conſtituit.

Agn' Dei.

Durant.

Vualafridus.

Ipſum autem corporis Chriſti Sacramentum primò à ſacerdote percipitur dicendo corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat me in uitam æternam: quia (ut Dionyſ. dicit 3. cap. Eccleſ. Hierarch.) ille, qui alijs diuina tradit, primò debet ipſe particeps eſſe. Deinde, ſi neceſſe fuerit, alijs datur.

Dionyſ.

Vltimò tandem tota Miſſę celebratio (quæ eſt pars ipſius tertia) in gratiarum actione terminatur: populo exultante pro tãti Sacramenti ſumptione. quod ſignificat cantus, ſiue antiphona poſt communionem ex inſtitutione (uti ſuperius dictũ eſt) D. Gregorij celebrata, & ſacerdote per orationem à D. Gregorio pariter ordinatam, gratias offerente, ſicut & Chriſtus, celebrata cœna cum diſcipulis hymnum (ut habetur Matth. 26.) habuit, ſiue dixit. Vt autem populi deuotio in his, & alijs prioribus orationibus excitetur, ſemper ipſis à ſacerdote Dominus uobiſcum præponitur, præterquam orationi, quæ poſt offertorium dicitur: quæ ſingulariter à ſacerdote debet proferri: cui propterea, Domine exaudi orationem meam, præmittit: loco cuius & populus ſingulares habere debet orationes, ut corãm diuina maieſtate hoc noſtrum fiat acceptum ſacrificium. Et ut id fiat; ſacerdos omnes altiori uoce hortatur dicens.

3. pars prĩcipalis, q̃ eſt gratiarum actio.

Matth. 26.

De Dñs uobiſcũ.

De Orate fratres. Durant.

Orate fratres, &c. Hac itaque excepta, Dominus uobiscum, alijs semper præponitur orationibus. Vnde Durantus. Sacerdos orationibus præmittit, Dominus uobiscum, ut populum reddat attentum, ut mens eius ad Deum dirigatur, & ei per intentionem sedulam coniungatur. Vnde autem hæc desumpta fuerit salutatio. Hugo de S. Victore ostendit dicens. Dominus uobiscum ab antiquo usu assumptum est, Beoz messores suos salutans, hac usus est salutatione. Et propheta Azarias in lib. Paralip. Asa Regem Iuda salutat dicens. Dominus uobiscum. Episcopus uerò loco primi Dominus uobiscum, ait. Pax uobis, siue Pax uobiscum. Causam autem huius differentiæ assignat. Honorius dicens. Presbyter cum salutatione ueteris Testamenti, & Episcopus cum salutatione noui Testamenti salutat populum: quia dignius est nouum, quàm uetus Testamentum. Quibus tamen uno, & eodem semper modo, populus respondet. Et cum spiritu tuo. Et hoc (ut Honorius pariter docet) ut cum spiritu, & mente, loco omnium orare admoneat. Ideo non Oro, sed Oremus dicit: quia totius Ecclesiæ uocem exprimit. Et hęc quidem responsio est desumpta (uti ait & Durantus) ex secunda epistola ad Timoth. ultimò, ubi dicitur. Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Huius.n. mutuę salutationes indicãt, atque manifestant, ꝙ sacerdotis, & populi unus debet esse affectus. Ex his etiam uerbis obseruare, atque notare possumus (quemadmodum ait & Micrologus cap. 2.) semper respondentes esse debere plures, & unum salutantem: alioquin sicuti inepte responderetur, Et cum spiritu tuo, si plures adessent salutantes; sic incongrue salutatur per Dominus uobiscum, cum unus tantum adsit, uel nullus, &c. Ideo à Sothero Papa (ut recitatur de consecratione distin. 1. cap. Hoc quoque) statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibiq; respondentibus, & ipse tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus uobiscum, & illud in secretis, Orate pro me, apertissime conuenit, ut ipsius respondeatur salutationi. Ipsum uerò Dominus uobiscum, nedum ipsis præponitur orationibus, uerum & in alijs pluries profertur partibus: ita quòd septies in Missa dicitur. Primò, ante primam orationem. Secundò, ante Euangelium. Tertiò, ante offertorium. Quartò, in principio præfationis. Quintò, ante Agnus Dei, mutata tamen dictione

Hugo de S. Vict. Ruth. 2. 2. Paralip. 15.

Honori.

De Et cũ spũ tuo. Honor.

Durant. 2. Tim. 4.

Microl.

De conf. d. 1. cap. Hoc quoque.

Dominus,

Dominus, in Pax Domini. Sextò, poſt communionem. Septimò, in fine Miſſæ. Quibus ſemper, Et cum ſpiritu tuo, reſpondetur. Et hoc ad ſignificandum, quòd Dominus eſt nobiſcum, quādo ſeptiformem Spiritus ſancti habemus gratiam. His itaque omnibus completis, à Diacono eundi licentia datur populo: eo Ite, miſſa eſt, acclamante. Qui modus ab eo eſt deſumptus, quo cathecumeni licentiabantur, quemadmodum ſatis ſuperius eſt oſtenſum. Vnum autem circa hoc eſt animaduertendum, quòd non in qualibet Miſſa, Ite, miſſa eſt, ſit dicendum. Tunc enim ſolum, Ite, miſſa eſt, canitur, quando & Gloria in excelſis celebratur. In aliis uerò omnibus, præterquam in defunctorum Miſsis, in quibus Requieſcant in pace, dicitur, ſemper Benedicamus Domino, cantatur. Quod & deſumptum eſt, ex Iudith 7. ubi ſic legitur. Melius eſt, ut captiui Benedicamus Dominum. In quo idem inſinuatur, quod & per Ite, miſſa eſt, ſignificatur. Nam per Ite, miſſa eſt, nil aliud Eccleſia uult inſinuare (quemadmodum ſuperius eſt dictum) quàm populo eundi licentiam dare. Vnde Ioannes Billet ait. Ite, miſſa eſt, idem ſignificare, quod Ite ad propria: quia Miſſa eſt conſummata. Et hoc ut primò de tanto ſacrificio gratias agant Deo: quod & peragitur, cum à populo Deo gratias profertur. quod gratiarum actio nuncupatur, quod & per Benedicamus Domino indicatur. Nam populus à Diacono admonetur benedicere Domino de completo tanti ſacrificij miniſterio, ut peractis gratijs Deo, poſsit diſcedere ab officio. Cui ſimiliter ab ipſo populo propterea Deo gratias reſpondetur. Simili modo & in defunctorum Miſsis, Requieſcant in pace, canitur, ut illius ſacrificij finis omnibus indicetur. Nam finis Miſſæ, eſt ipſis defunctis requiem æternam optare, quod per Requieſcant in pace inſinuatur: cui à populo reſpondetur. Amen .i. fiat. Si quis uerò horum rationem cuperet intelligere Durant. rationale cap. de oratione nouiſsima, & de Ite, miſſa eſt, non dedignetur legere. Deinde populus fidelis immediate ab Epiſcopo, ſi quis adfuerit, ſin autē à ſacerdote benedicitur: ad quam benedictionem uſq; tenetur quilibet catholicus aſtās perſeuerare, ſi Miſſæ ſolennia perfecte uoluerit participare. Vti q̄ optime docet can. 22. Concilium 3. Aurelianenſe. quod & recitatur de conſe. diſt. 1. cap. Cum ad celebrandas. ubi ſic legitur. Cum ad celebrandas Miſſas in Dei nomine conuenitur,

De Ite, miſſa eſt.

De Benedicamus Domino.

De Requieſcāt in pace.

De Benedictione. De oblig. Miſſ. aud. Conci. 3. Aurelian. De conſ. di. 1. c. cū ad celebr.

populus non ante discedat, quàm Missę solennitas compleatur: & ubi Episcopus non fuerit, benedictionē à sacerdote accipiat. Et hoc in die festiuo, præcipue Dominico, quilibet Christianus exequutioni mandare astringitur, uti eodem in loco ex Concilio Agathensi habetur, cap. tamen præcedenti, ubi ita censetur. Missas die Dominico secularibus totas audire speciali, ordine præcipimus: ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. quod si fecerint, ab Episcopo publice confundantur. Item cap. adhuc præcedenti. Omnes fideles, qui conueniunt in solennitatibus sacris ad Ecclesiā, & scripturas Apostolorum, & Euangelium audiant. Qui autem non perseuerant in oratione usq; dum Missa peragatur, nec sanctam cō munionem percipiunt, uelut inquietudines Ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari. Sunt autem nonnulli, qui hanc benedictionem asserunt esse dandam ante populi licētiaturam, uti in diuersis obseruatur Ecclesiis. Quarum consuetudo rationi magis arridere uidetur: quam & Raba. lib. 1. cap. 33. de Institut. cleri. expresse approbat dicens. Post cōmunionem, & eiusdem nominis canticum, data benedictione à sacerdote ad plebem, Diaconus prędicat Missæ officium esse peractū, dans licentiam abeundi. Vnum adhuc circa hoc sacrificij mysterium est notandum, ut ei tandem finem imponamus. Tribus enim linguis Hebraica uidelicet, Græca, atque Latina celebratur. Kyrie eleison Græce, Osanna, Sabaoth, Hebraice, & reliqua Latine, ut Christi crucis titulus his linguis inscriptus fuisse insinuatur. Hæc pro Missa sufficiant.

De conf. dist. 1. ca. Missus.

De conf. dist. 1. cap. omnes fideles.

Raba.

Haberem & circa communionem sub utraq; specie Burgensi satisfacere, qui illam cuilibet indifferenter dandam esse iudicauit dicens. *Idemq;, scilicet corpus Christi, cui uis hominum generi sub utraque specie impertiendum esse, quemadmodum Christus, cuius instituto aduersari non licet, præscripsit.* At cum specialem super his excogitauerim edere tractatum, hanc ipsam materiam uolui in præsentiarum relinquere intactam.

De

De Clauibus Ecclesię. Art. XXIII.

HIs nefandissimis Annas Burgensis non contentus erroribus, aliam perniciosissimam, atq; execrandam contra Ecclesiæ claues suscitauit hæresim, iam diu diuersimode à plerisq; tactam, à Luthero renouatam, & ab Ecclesia damnatam. Fuerunt nanque nonnulli, inter quos extiterunt Cataphrygij, & Pepusiani, qui dixerũt, & mulieres sacros suscipere posse ordines. Alij uero ueluti Arriani, Marsilius Paduanus, & Ioannes Vuicleffus omnes sacerdotes absq; descrimine pares esse affirmarunt. Pauperes autem de Lugduno, qui & Vualdenses nominantur, omnes illius sectæ, tàm mulieres, quàm uiros sacerdotes uocabant. Quam hæresim Lutherus, atq; Illyricus apprehendẽtes, ualde illam ampliauerunt, docentes Martinus in lib. de captiuitate Babyl. & Illyricus in sua Apologia contra Iustum Menium, uiris, & mulieribus, laicisq; omnibus in Ecclesia Dei uerbum (quod est contra Apostoli doctrinam) prędicare licere, sacramenta administrare, soluere, & ligare: docentes, omnes homines ęqualiter esse sacerdotes, & sacros ordines esse fabulam, & humanum commentum. Hanc opinionem hac nostra ętate non pauci sunt secuti: qui ideo & sacerdotes nuncupantur. Inter quos fuit Burgensis iste, qui Martini, Illyricique doctrina imbutus, hæc nefandissima protulit uerba. *Credo, potestatem uinciendi, & soluendi, id est excommunicandi, & absoluendi (quæ uulgo claues Ecclesiæ appellantur) à Deo datam esse, non uni alicui homini, uel duobus, uel proprie, ac peculiariter, quibusdam certis hominibus, sed Ecclesiæ uniuersæ, id est omnibus fidelibus, & in Christum credentibus.* O execrandam hominis huius temeritatem. Quo uultu ò Anna, hæc etiam audes affirmare? cum oppositum tum in ueteri, tum in nouo habeamus Testamento. Exod. enim 28. habetur. Dominum Moysi hæc protulisse uerba. Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cũ filijs suis de medio filiorũ Israel, ut sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nadab, & Abihu, Eleazar, & Ithamar, filij Aaron. Faciesque uestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem. Ecce Aaron, & filij eius, ex Domini præcepto, segregati sunt à reliquo populo Israelitico, ut sacerdotij fungerentur officio, quibus talis inerat potestas. Et Leuit. 4. Si omnis turba filiornm Israel ignorauerit, & per imperitiam

[Margin notes: 1. Cor. 14 & 1. Ti. 2. — Exod. 28. — Leuit. 4.]

peritiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, &c. offeret pro peccato suo uitulum. &c. Deinde ait. Inferet sacerdos qui unctus est. &c. & post paululum rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus. Similiter. Si peccauerit Princeps, offeret hostiam Domino hircum. &c. Et sacerdos tinget digitum in sanguine hostiæ pro peccato. &c. Deinde. Rogabit pro eo sacerdos, & pro peccato suo, & dimittetur ei. Pari modo, si ex populo terræ quis peccauerit, offeret capram immaculatam, &c. & sacerdos tollet de sanguine in digito suo, rogabitque pro eo, & dimittetur ei. Item Leuit. 2. Anima cum obtulerit oblationem sacrificij Domino. &c. deferet ad filios Aaron sacerdotes. Idem &. 3. habetur. Ecce populus Israeliticus non tantum sacrificij oblationem, sine Aaron filijs, peculiariter in sacerdotes unctis, Domino Deo offerre non quibat, uerum nec suorum ueniam peccatorum, absque ipsorum sacerdotum, precibus, obtinere ualebat. Item Leuit. 13. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron dicens. Homo, in cuius cute, & carne ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, uel ad unum quenlibet filiorum eius. Qui cum uiderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, &c. ad arbitrium eius separabitur. &c. Nam si Aaron filijs, ut Dei Altissimi sacerdotibus, data non fuisset peculiaris potestas; Deus nō mādasset, omnes leprosos ad Aaron, & filios eius adduci, & ad ipsorum arbitrium iudicari. Et quia talis peculiariter ipsis data erat auctoritas; ideo omnes leprosi ad illorum iudicium ducebantur: quod legis nouæ sacerdotes figurabat, quibus peculiaris à Christo talis data est potestas. Quapropter & Christus ueteris legis sacerdotes tanquam nostros figurantes multi faciebat: quibus ipse Dominus leprosum sanatum ad uidendum transmisit. Et apud Lucam decem leprosos, quibus dixit. Ite, ostendite uos sacerdotibus. Quod non fecisset, nisi peculiari dignitate, ab alijs distincta, fuissent insigniti. Vnde Dionysius in lib. de Eccles. Hierarch. cap. 5. par. prima ait. Ne ipse quidem sacerdos erit, nisi Pontificalibus officijs ad hoc fuerit promotus. Sicut enim solis sacerdotibus data erat potestas iudicandi inter lepram, & non lepram; ita mundatos à lepra Saluator misit ad solos sacerdotes, & Lazarum resuscitatum per solos discipulos iussit solui. Insuper, si tempore umbræ, & figuræ talis

[Margin notes: Leuit. 2. &. 3. — Leuit. 13. — Mat. 8. — Luc. 17. — Dionys.]

lis, ac tanta non omnibus, ſed peculiaribus hominibus data erat poteſtas; quanto magis tempore ueritatis eandem, & maiorem, atque prſtantiorem particularibus hominibus a Deo uocatis datam eſſe, credibile eſt? Non enim dignitas noſtra ſacerdotalis abiectior, uiliorque eſt legali, quæ ſoli Aaron familiæ delegata fuerat. Dedecus etenim fuiſſet, ſi ſacerdotij dignitas abſque diſcrimine omnibus promiſcue fuiſſet concredita. Euangelica itaque ſacerdotalis poteſtas non cuilibet, ſed quibus committitur, conuenit. quod etiam ex diuerſis nouarum ſcripturarum locis expreſſe oſtendi poteſt. Ait enim Apoſtolus, Hebr.5. Nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui uocatur à Deo, quemadmodum Aaron. Quid ad hæc dicet Burgenſis? ſi nulli, niſi uocato, quemadmodum Aaron, ſumere ſibi licet honorem, ergo non omnibus fidelibus, clauium Eccleſiæ poteſtas (quæ maxima eſt) conuenire poteſt: ſed his ſolummodo, qui ad hoc à Deo ſunt uocati. Neque omnes, qui à Deo ad ſui ſeruitutem eliguntur, ad omnia officia peragenda uocantur. Nam quoſdam, inquit Apoſtolus, poſuit Deus in Eccleſia primò Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertio Doctores, deinde uirtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Quòd ſi unicuique omnia hæc crederentur, fruſtra diſtribuiſſet Apoſtolus tot officia. Ideo ibidem meritò ſubintulit dicens. Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? Ecce iuxta Apoſtoli doctrinam, non omnes Apoſtoli, non omnes Prophetæ, non omnes Doctores, ex conſequenti non omnes erunt clauium Eccleſiæ poteſtatem habentes, quos nos ſacerdotes uocamus. Quod apertius ipſemet Apoſtolus ad Ephe.4. oſtendit dicens. Quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios uerò Euangeliſtas, alios autem paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. &c. Quid his clarius? Quid euidentius? Alij enim fuerunt Apoſtoli, alij Euangeliſtæ, alij ſunt paſtores. Quid enim paſtoris officium eſt, niſi poteſtatem habere ſuper oues? non tantum doctrina, ad paſcendum, uerum etiam ſi opus ſit, ad illas corrigendũ. quod manifeſtat Apoſtolus dicens. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorẽ, &c. amplectentẽ eũ, qui ſecundũ doctrinã eſt, fidelẽ

Hebre.5. 1. Cor.12. Eph.4. Tit.1.

ſermonem

sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Quod itidem Apostolus mandauerat
Tit. 1. Tito, ut faceret: cum ibidem diceret. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & cõstituas per ciuitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. Si itaque omnes in Christũ credentes essent sacerdotes, clauium Ecclesiæ potestatem habẽtes; necessarium profectò non erat, peculiares Christum eligere pastores, & Paulum Cretæ, ad corrigendos delinquentes, ad constituendosque per ciuitates præsbyteros, Titũ relinquere, qui similiter Christi gregi præessent ad hoc per, Titum à Spiritu san
Act. 20. cto uocati. Vnde & Act. 20. Attendite uobis, & cuncto gregi, in quo uos Spiritus sanctus posuit Episcopos, ad regendam Eccle-
1. Pet. 5. siam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et Petrus in sua prima canonica. 5. cap. huiuscemodi pariter admonet dicens. Pascite, qui in uobis est, gregem Dei. Sed ad quid in istis tam diu morari? Ad pastorum principem Christum Iesum Dominum nostrum accedamus: & conijcere poterimus, quibus ipse hanc tradiderit potestatem, an omnibus in se credentibus, atque baptizatis, uel peculiariter quibusdam. Nullibi nempe apud Euangelistas, Christum hanc omnibus hominibus, in se credentibus, atque baptizatis, dedisse potestatem reperiemus, nisi discipulis
Mat. 18. suis: & hoc non in baptismate, sed postea alio tẽpore. Matt. 18. Quæcunque alligaueritis (inquit Christus ad discipulos) super terram; erunt ligata & in cælo: & quæcunq; solueritis super ter-
Ioan. 20. ram, erunt soluta & in cælo. Et apud Io. 20. Dixit ergo eis iterũ .s. Iesus, Pax uobis: sicut misit me pater, & ego mitto uos. Hæc cum dixisset, insufflauit: & dicit eis. Accipite Spiritum sanctũ: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Si ergo omnes in Christo baptizati, eandem absque differentia soluendi, uinciendique haberent potestatem; frustra Christus, Spiritum sanctum ad dimittenda, & retinenda peccata, suis tunc tradidisse discipulis: cum ante tum in baptismate, tum in cœna, Spiritus sancti recepissent gratiã. Non igitur omnibus in eum credentibus, hanc tradidit potestatem, uerum peculiariter quibusdam: ad quorum differentiam particulariter etiam super hoc eis Spiritũ sanctum insufflauit.
Gregor. Vnde Gregorius super ijsdem uerbis. Sciendum uero est, quòd hi, qui prius Spiritum sanctum habuerunt, ut ipsi innocentes uiuerent, & in prædicatione quibusdam prodessent; idcirco hũc

post

poſt reſurrectionem Domini patenter acceperunt, ut prodeſſe non paucis, ſed pluribus poſſent. Licet ergo intueri, illi diſcipuli ad tanta onera humilitatis uocati, ad quantum culmen gloriæ ſint producti. Ecce non ſolum de ſe ipſis ſecuri ſunt, ſed etiam principatum ſuperni iudicij ſortiuntur: ut uice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam uerò relaxent. Horum nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent: & ſoluendi, ac ligandi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Grandis honor, ſed graue pondus iſtius eſt honoris. Durum quippe eſt, ut qui neſcit tenere moderamina uitę ſuę, iudex fiat uitę alienæ. Item ſuper iſtismet uerbis Gloſſa ordinaria. Habet omnis Eccleſia in Presbyteris, & Epiſcopis poteſtatem ligandi, atque ſoluendi. Et ut hanc Apoſtolis traditam poteſtatem, & nunc omnibus ſacerdotibus, unam eſſe cognoſceremus, atque in uno ipſius Chriſti locum tenente, totaliter conſiſtere, & in alios ab ipſo emanare; magis peculiariter hanc ipſam arctauit poteſtatem uni tantum, Petro uidelicet, illam conferendo, cui ſpecialiter apud Matth. 16. illam tradidit cum dixit. Tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Vnde Gloſſa. Specialiter etiam eam Petro conceſsit, ut ad unitatem nos inuitaret. Ideo enim eũ principem Apoſtolorum conſtituit, ut Eccleſia unum principalem Chriſti haberet Vicarium: ad quem diuerſa membra Eccleſiæ recurrerent, ſi forte inter ſe diſſentirent. quòd ſi diuerſa capita eſſent in Eccleſia, unitatis uinculum rumperetur. Vel ut ait Rabanus ſuper hismet uerbis. Hæc ligandi, atque ſoluendi poteſtas, quamuis ſoli Petro data uideatur à Domino, tamen & ceteris Apoſtolis datur: necnon etiam nunc in Epiſcopis, ac Preſbyteris omni Eccleſię. Sed ideo Petrus ſpecialiter claues regni cælorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant: quia quicunque ab unitate fidei, uel ſocietatis illius quolibet modo ſemetipſos ſegregant; tales nec uinculis peccatorum abſolui, nec ianuã poſſunt regni cęlorum ingredi. Item & Chryſoſt. ſuper eodem dicebat. Vide qualiter Chriſtus reducit Petrum ad excelſam de ipſo intelligentiam: hæc enim ſe promittit daturum, quæ ſunt propria Dei ſolius, ſcilicet peccata ſoluere. Hac autem dignitate Petrus præ ceteris Apoſtolis peculiariter à Domino fuit inſignitus,

Gloſ.

Mat. 16.

Gloſ.

Rab.

chryſoſt.

quia fide reliquos præcellebat, quemadmodum superius dictũ
Rab. est. Vnde etiam Rabanus, loco ut supra, ait. Qui enim regem cę
lorum maiori præ ceteris deuotione confessus est, meritò præ
ceteris ipse collatis clauibus regni cælestis donatus est: ut constaret omnibus, quia absque ea confessione, ac fide, regnum cælorum nullus posset intrare. Claues autem regni cælorum ipsam discretionem, & potentiam nominat: potentiam, qua liget, & soluat: discretionem, qua dignos, uel indignos discernat. Ecce igitur claues Ecclesię, non omnibus, sed solis Apostolis, peculiariter, atque illorum locum tenentibus, hoc est Episcopis, atque sacerdotibus à Christo collatas esse.
Ambros. Quod pariter confirmat Ambrosius in libro de pœnitentia, cap. secundo dicens. Ius ligandi, atque soluendi, solis sacerdotibus permissum est. Insaniunt ergo omnes cum Burgensi dicentes, clauium potestatem, non uni alicui homini, nec quibusdam peculiariter certis hominibus, sed omnibus fidelibus, & in Christum credentibus datam esse. Quorum etiam demen
Tertul. tiam admirans Tertullianus, qui ante mille, & trecentos annos floruit, illórum temeritatem redarguendo, dicebat in lib. de præscript. hæret. Quorundam hæreticorũ inordinationes sunt temerariæ, leues, inconstantes. Nunc Neophytos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia ueritate nõ posſunt. Nusquam facilius proficiscitur, quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse, illic promereri est. Itaque hodie alius Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis sacerdotalia numera iniungunt. Caueant autẽ omnes, qui ad hanc dignitatẽ à Deo nõ sunt uocati, neque uncti, sibi illã usurpare, ne Dominus tales, sicuti Dathan, Chore, & Abiron, uiuos in in
Num. 16. fernum conijciat, uel ab igne consumi faciat. Habetur enim Num. 16. quòd dirupta est terra sub pedibus eorum, id est Dathan, Chore, & Abiron, & aperiens os suum, deuorauit illos, cum tabernaculis suis, & uniuersa substantia eorum. Descenderuntq́ue uiui in infernũ, operti humo, & perierunt de medio multitudinis. ex eo quòd sacerdotale officium sibi usurpare fuerant ausi. Et ducenti quinquaginta uiri eis cõsentientes, ab
2. Par. 26. igne à Domino egresso, sunt cõsumpti. Item Ozias Rex Iuda, quẽadmodũ legitur. 2. Para. 26. cũ opus sacerdotale usurpare, in censum scilicet super altare Thymiamatis adolere pręsumeret, increpa-

increpatusque ab Azaria, & reliquis ſacerdotibus Domini, nō deſiſteret; lepra in fronte à Domino percuſſus eſt: manſitque leproſus in ultimum uſq; diē uitæ ſuæ. Et unde hoc? quia à Deo non uocati, neq; electi, ſibi indigne uſurparunt, quod ipſis non conueniebat: quemadmodum non pauci faciunt moderni hęretici ſimiles Burgenſis, de quibus per Hieremiam dicebat Dominus. 23. Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Si ſtetiſſent in conſilio meo, & nota feciſſent uerba mea populo meo; auertiſsē utiq; eos à uia ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſsimis. Idem apud Oſeā. 8. affirmabat dicēs. Ipſi regnauerunt, & nō ex me. Et apud Mat. 7. Chriſtus ipſe dicebat. Multi dicent mihi in illa die. Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis. Quia nunquam noui uos: diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Ecce quòd Dominus eos non cognoſcit, qui ab eo non ſunt miſsi, aut uocati. Ne autem aliquis in hanc Dei incideret indignationem, ſibi hanc præ ceteris nobiliorem ſacerdotij dignitatem, uel ex malitia, uel ex ignorantia, uſurpando; ſancta Lateranenſis Synodus ſecūda, ſub Innocētio huius nominis tertio, anno Domini. 1215. celebrata, præſentibus Hieroſolymitano, & Conſtantinopolitano, Patriarchis, necnon & multis alijs Epiſcopis, Abbatibus, Græcis, atq; Latinis, omniumq; Principum Chriſtianorū Oratoribus, circa finem. 1. capituli, ita ſanciuit, quòd hoc Sacramentum, Euchariſtiæ uidelicet, nemo poſsit conficere, niſi ſacerdos fuerit, ritè ordinatus, ſecundum claues Eccleſiæ, quas ipſe conceſsit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Ieſus Chriſtus. Deinde, ne propter tactum ſimiliter laici à Deo percutiantur, quemadmodum in lege ueteri, ad tactum rerum ſacrarum moriebantur, cuius rei fidem facit, id quod habetur Numeri quarto, ubi ſic legimus, Dominum iuſsiſſe, quòd quando mouenda eſſent caſtra, filij Caath portarent uaſa Sanctuarij, inuoluta ab Aaron, & filijs eius, & non tangerent ea, ne morerentur. Et. 2. Reg. 6. Quoniam Aſa ultra ſuæ ſortis conditionem, manum archæ Dei, ne caderet, appoſuerat; ſubita morte, ibi iuxta archam Domini, à Deo ſuper temeritate ſua fuit percuſſus. Et apud Daniel. 5. Balthaſar Rex temulentus, bibēs ex uaſis aureis, & argēteis, quæ Nabuchodonoſor pater eius

Hiere. 23. Oſe. 8. Mat. 7. Conc. Later. 2. Num. 4. 2. reg. 6. Dan. 5.

abstulerat de templo Dei, quod erat in Hierusalem, uidit manum scribentem in pariete. Mane, Techel, pharesi; eadem nocte est interfectus, & Darius Medus in regnum succeſsit. Ideo iustiſsime, ac sanctiſsime laicis est prohibitum, non solum hostiam consecratam, & sanguinem; uerum & calicem, corporale, & id genus alia sacra, manibus attrectare. In Concilio enim Remensi, cum de sanctiſsimo Eucharistiæ sacramento fieret mentio, interdicta est laicis, & mulieribus, ne dum corporis consecratio, uerum & contactus est illis prohibitus. Idem de consecra. dist. 2. cap. Peruenit. De aliarum uero rerum sacrarũ tactu, habetur de consecra. dist. 1. cap. In sancta Apostolica Sede. Vbi sic legitur. Statutũ est, ut sacra uasa non ab alijs, quàm à sacratis, Dominoque dicatis hominibus contrectentur, ne pro talibus præsumptionibus Dominus iratus plagas imponat populo suo: & hi etiam, qui non peccauerunt, pereant: & perit iustus sæpiſsime pro impio. Item in sequenti cap. Vestimenta Ecclesiæ. &c. nec ab alĳs debent contingi, aut offerri, nisi à sacratis hominibus, ne ultio, quæ Balthasar Regem percuſsit, super hoc transgrediẽtes ueniat, & corruere eos faciat ad ima. Et hoc desumptum est ex epistola prima beatiſsimi martyris Stephani Pontificis Maximi, huius nominis primi, ad Hilariũ Episcopum scripta. Ecce quanti fit, & tenetur, quicunque ad hanc sacerdotalem à Deo uocatus, unctusq; est dignitatem: qui solus res sacras, non solum attrectandi, uerum & conficiendi, habet potestatem: qua quicquid ligauerit, & soluerit in terra, erit ligatum, & solutum in cælis. Hæc enim potestas illam consequitur: ut ex supra dictis etiam patere potest. Ceterum cum ex uno inconuenienti affirmato, alia sequantur infinita; sic euenit Burgensi, qui ex prolato errore, superius immediate aſsignato, alium fateri fuit coactus. Dicebat enim uinciendi, atq; soluendi, non uni alicui homini, aut duobus, uel propriè, ac peculiariter quibusdam certis hominibus, sed Ecclesiæ uniuersę, id est omnibus fidelibus, & in Christum credentibus, datam esse potestatem. Quod si uerum esse diceremus; fateri pariter esset necesse, nemini illa clauium potestate, nisi per consensum omnium, uel maioris partis fidelium, uti licere: quia quod est omnium commune, nullus singularis potest sibi usurpare. Et hoc est, quod Burgensis secundo loco affirmat, qui non solum asserit, neminem absque fidelium consensu illa uti posse;

Concil. Remens.

De Consecra. d. 2. ca. peruenit.

De cons. d. 1. ca. In Santa Apostolica.

uerum

uerum neque illam exerceri ualere, niſi ex uniuerſo fidelium inſimul congregatorum conſenſu, dicens. *Ob eamq; cauſam profiteor, excommunicationem, aut abſolutionem, neque debere, neque poſſe exerceri ad arbitrium, ac uoluntatem certorum hominum, ſed ex uniuerſæ Eccleſiæ conſenſu, aut certe maioris, ac melioris partis, quæ precibus adhibitis in nomine Ieſu Chriſti coacta, & congregata ſit.* O magnā huius hominis dementiam, Si nulla fieri deberet excommunicatio, neque abſolutio, niſi ex uniuerſæ, aut maioris, ac melioris partis uniuerſalis Eccleſię conſenſu, nullus unquam profectò excommunicaretur, nullus abſolueretur: ita quòd totus Chriſti populus in ruinam caderet. Magnum quid, & inauditum nempe eſt, omnes Chriſti fideles, aut maiorem ipſorum partem, ac meliorem, ad aliquem excōmmunicandum, aut abſoluendum, ſemper congregari debere. quod equidem eſſet impoſsibile, tum ex parte fidelium, qui uix in unum congregari poſſent, nec quacunque occaſione per quenlibet nacta, congregari uellent; tum ex parte excommunicandorum, aut abſoluendorum: qui antequam uniuerſalis congregata eſſet Eccleſia, excommunicandi interim abſque ſuorum delictorū punitione in peiores incidere poſſent errores: & abſoluendi, interim morte præuenti, abſque ſuorum uenia peccatorum è uita diſcederent: quod non paruum in Eccleſia Dei eſſet incōueniens. Ad quod euitandum, non omnibus fidelibus in Chriſtum credentibus, ſed quibuſdam perſonis ad hoc aſſumptis, atq; uocatis, hanc poteſtatem Dominus noſter Ieſus Chriſtus tradidit, communicauitq;.

De conuentione utriuſque poteſtatis ſpiritualis, & temporalis. Art. XXIIII.

QVANTVM phreneſis patiatur is, qui ſuperiora ſuis naturaliter inferioribus ſubiici poſſe affirmat, quilibet ſani iudicij compos iudicabit. Talis nempe eſt Burgenſis, qui habita primò duorum gladiorum, ſpiritualis uidelicet & temporalis, diſcuſsione, inferre tandem non eſt ueritus, temporalem ſpirituali poſſe dominari, dicens. *Credo magiſtratus officium non tantum ad res Politicas pertinere, ſed etiam ad res Eccleſiaſticas, &c.* O phreneticum hominem, qui naturæ ſtatum conatur ſubuertere, atque mutare. Quis tam rationis eſt expers, ut

ut non cognoscat, uideatq;, potestatem temporalem spirituali, & non è conuerso, in Ecclesia Christi naturaliter esse subiectam? Quemadmodum enim partes corporis naturalis se habent inter se, eundem non continentes actum; ita & corporis
Rom. 12. Christi mystici, iuxta illud Apostoli. Rom. 12. Sicut in uno corpore, multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra. Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes. Siue prophetiam, secundum rationem fidei. Siue ministerium, in ministrādo. Siue qui docet in doctrina. Qui exhortatur in exhortando. Qui tribuit in simplicitate. Qui præest in solicitudine, &c. Sed in corpore naturali, quod materiale, & temporale est, uirtutem, & operationem omnem habet à spirituali, & perpe-
Aristot. tuo, corpus uidelicet ab anima: per quam (uti docet & Aristoteles in 2. de Anima, tex. 24.) uiuimus, sentimus, intelligimus, & mouemur: qua separata nihil est amplius nostrum corpus, nisi cadauer. Sic etiam est in corpore Christi mystico (cuius nos omnes Christi fideles membra sumus, iuxta illud etiā Apo
1. Cor. 10. stoli. 1. Cor. 10. Vnus panis, unum corpus, multi sumus. Omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus. Et secundæ
2. Cor. 12. Corin. 12. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro, &c.) temporalis potestas uirtutem, roburq; habet à spirituali, & perpetua, qua temporalis ipsa regitur, & gubernatur.
Thom. Aquinas. Vnde D. Thomas Aquinas, de reg. prin. libro 3. cap. 10. sic ait: Sicut corpus per animam habet esse, uirtutem, & operationem, ut ex uerbis Philosophi, & Augustini de immortalitate animæ patet; ita & temporalis iurisdictio principum per spiritualem Petri, & successorum eius. Si quis autem Aquinatis sentētiam, ueram esse dubitaret, & temporalem potestatem corporis Christi mystici partem esse respueret; ea, quæ sequuntur, legere non dedignetur. Nullus sanę mentis hoc reprobare poterit, potestatem omnē, nō solum spiritualem, uerum & temporalem à Deo semper emanasse: cuius rei testimonium perhibet magnus ille Persarum Rex Cyrus, qui per publicū confessus est edictum (uti
Esdr. 1. in principio libri Esdræ habetur) omnia sua regna à Deo obtinuisse, dicens. Hæc dicit Cyrus Rex Persarum. Omnia regna
Daniel 4. mundi dedit mihi Dñs Deus cæli. Et Daniel 4. Dominabitur Excelsus in regno hominum: & cuicunq; uoluerit, dabit illud.

Et

Et Chriſtus ad Pilatum . Ioan. 19. Non haberes poteſtatem aduerſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper . Item Apoſtolus ad Rom. 13. confirmat dicens . Non enim eſt poteſtas niſi à Deo . Hæc autem poteſtas data eſt Chriſto. De qua ipſius poteſtate dicebat Propheta in pſal. 21. Ipſe dominabitur gentium. Et in pſal. 46. Regnabit ſuper gentes. Et in pſal. 102. Et regnum ipſius omnibus dominabitur. Itē Eſaias 9. Paruulus.n.natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis . Et factus eſt principatus ſuper humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis . Multiplicabitur eius Imperium, & pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia, &c. Item apud Matth. 2. Cum natus eſſet Ieſus in diebus Herodis Regis . Ecce Magi uenerunt ab Oriente Hieroſolymam dicentes. Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & uenimus adorare eum . Ne quiſpiam autem ab ipſius poteſtate uniuerſali temporalem excludat; ipſemet Chriſtus utranque in cælo, & in terra in ſe continere apud Matth. 28. oſtendit dicens. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Et apud Ioan. 5. Pater non iudicat quenquam: ſed omne iudicium dedit Filio . Item quando accuſatus fuit, quòd ſe Regem faceret; non uidetur negaſſe: uti habetur Matth. 27. Lucæ 23. & Ioan. 18. Nec propterea mentiebatur: cum uerus omnium principum eſſet Dominus . Ideo quàm optime aiebat Ioann. in Apocal. 18. Ipſe eſt Rex regum, & Dominus dominantium. Et Apoſtolus ad Timotheum . Dominus noſter Ieſus Chriſtus, beatus, & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantium: qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inaceſsibilem: quem nullus hominum uidit, ſed nec uidere poteſt: cui honor, & imperium ſempiternum. Amen. Hanc autem poteſtatem ex parte Chriſtum in terra reliquiſſe, non eſt ambigendum: cum utraque nonnullos fungi perſpiciamus . Cui uerò, uel quibus hanc temporalem expreſſe, expliciteq; in particulari tradiderit poteſtatem; apud ſacras ſcripturas nullibi porrò inuenitur: in quibus tamen, Chriſtum ſuā indifferenter ſuper homines poteſtatem, (illa excellentię excepta, quam ſibi reſeruauit) ſuis tradidiſſe diſcipulis, eorumq; ſucceſſoribus reperimus, iuxta illud Matthęi 18. Quęcūq; ligaueritis ſuper terram,

Ioan. 19. Rom. 13. Pſal. 21. Pſal. 46. Pſal. 102. Eſaiæ. 9. Matth. 2. Matth. 28. Ioan. 5. Matt. 27. & Luc. 23. & Ioā 18. Apoc. 19. 1. Tim. 6. Matth. 18

rā, erunt ligata & in cælo: & quęcunq; solueritis super terram,
Matth. 16. erunt soluta & in cælo. Et 16. Erga Petrum in particulari, ad ostendendam huius potestatis unitatem. Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, &c. Ex quibus uerbis affirmare possemus, Christum utranq; suam, hoc est, tàm temporalem, quàm spiritualem potestatem (eodem tamen modo, ut inferius ostendetur) discipulis suis, eorumq́; successoribus tradidisse: alioquin esset dicendum, Christum unam communicasse, & aliam retinuisse. quod est absurdum asserere: cum utranque à Christo (cui omnis potestas absolute data est) uideamus communicatam esse. Nullibi enim legetur, Christum in speciali mentionem fecisse de temporali. Quapropter asserendum esset, sub potestate Apostolis tradita & temporalem cōtineri: quod non ab re peractum esse uideretur, sed ut ex utriusque potestatis coordinatione corporis Christi mystici unitas ostenderetur. Nam quæ ad unitatem tendunt; coordinata esse debent: aliàs non unitatem, sed disturbium generarent. Vtraque autem potestas sic homini est tradita, ut ipsum corpus Christi unum respiceret, atque ita omnia essent subordi-
Rom. 13. nata, iuxta illud Apostoli. Rom. 13. Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. Propterea ergo concludendum est, utranque potestatem, tàm temporalem, q̃ spiritualem, à Christo suis Apostolis, eorumq́; successoribus,
Ioan. 20. fuisse communicatam. Quod manifeste apud Ioan. 20. confirmare uidetur dicens. Sicut misit me Pater, & ego mitto uos. sed Christus cum utraq; potestate missus est, ergo etiam discipuli, cum utraq; potestate, per duos gladios significata, missi
Bonifac. Papa 8 in extrau. ca. Vnam sanct. sunt, & ex consequenti illorum successores. Vnde Bonifacius 8. in extrauaganti, ca. Vnam sanctam, De maioritate, & obed. In hac, eiusq́; (scilicet Romani Pontificis) potestate, duos esse gladios, spiritualem uidelicet, & temporalem, euangelicis dictis instruimur. Nam dicētibus Apostolis, Ecce gladij duo hic, in Ecclesia scilicet, Dominus non respondit, nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri, temporalem gladium esse negat, male uerbum attendit Domini proferentis, Conuerte gladium tuum in uaginam. Vterq; ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille uerò ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu Regum, & militum. sed ad nutum, & patientiam sacerdotis.

Oportet

Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubiici poteſtati. Nam cum dicat Apoſtolus, Non eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt; non autem ordinata eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio, & tanquam inferior reduceretur in ſuprema. Nam ſecundum beatum Dionyſium, Lex diuinitatis eſt, infima per media in ſuprema reduci. Non ergo ſecundum ordinem uniuerſi, omnia æque, ac immediate, ſed infima per media, & inferiora per ſuperiora ad ordinem reducuntur, &c. Nec mirum cuiquã hoc uideatur: quia, ut ſuperius, præcipue ex Paulo, oſtenſum eſt, Chriſti Eccleſia, corpus unum eſt. Non enim ex Republica ciuili, & ſpirituali, duo fiunt corpora, ſed unum tantummodo, cuius caput eſt ipſe Chriſtus: alioquin corpus Chriſti myſticum, maximum eſſet monſtrum. Monſtruoſum nempe eſſet unum caput, duo habere corpora, uel unum corpus ſine capite exiſtere: cum in unoquolibet corpore perfecto omnia ſint inuicem connexa, atque ſubordinata: & partes ignobiliores ſint propter nobiliores. Ergo etiam in Republica Chriſtiana, membra omnia deberent eſſe connexa, & ſubordinata, nec non & fines, poteſtatesq;, & officia. Ideo Bonifacius.8.in extrau.cap. ut ſupra, Eccleſiæ unius, & unicæ unum corpus, unum caput, non duo capita, quaſi monſtrum, Chriſtus uidelicet, & Chriſti Vicarius Petrus, Petriq; ſucceſſor. Nec dicendum, quemadmodum Burgenſis uolebat innuere, temporalem ſpirituali præeſſe in temporalibus poſſe: cum (ut quàm optime eo in loco ait Bonif.) ſpiritualem & dignitate, & nobilitate, terrenam quanlibet præcellere poteſtatem oporteat tantò clarius nos fateri, quantò ſpiritualia, temporalia antecellunt, quibus eſſe dant, & omnem conferunt operationem. Non enim ſpiritualia à temporalibus, ſed è contrario temporalia à ſpiritualibus dependent: atque (uti ſuperius oſtenſum, ac comprobatum eſt) omnem ſuam uirtutem, ac poteſtatem habent. Cuius uerò eſt inſtituere, ac condere, eiuſdem pariter eſt condito, atque inſtituto præeſſe, & illud iudicare, & ſi neceſſe fuerit, deſtituere, euellere, deſtruere, atq; diſperdere: iuxta illud primi Hieremię. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, ut euellas, &c. Quod itidem & ratio ipſa docet. Vtrunque autem à poteſtate ſpirituali erga temporalem ſemper obſeruatum fuiſſe, nemo poterit negare: uti ex ſacris literis eſt uidere. Nam primò, ut

Rom. 13.

Bonifa. 8.

Hiere. 1.

habetur ex ueteri lege, sacerdotium à Deo est institutũ: deinde Domino iubente temporalis potestas, & regia per sacerdotium est ordinata, & à sacerdotio pariter (si opus fuerat) iudicata. Si hoc umbræ, quanto magis corpori? Illa enim hanc nostram spiritualem figurabat potestatem. Ideo Bonifacius 8. loco ut supra. Quod, inquit ipse, etiam ex decimarum datione, & benedictione, & sanctificatione, ex ipsius potestatis acceptione, ex ipsarum rerum gubernatione, claris oculis intuemur. Nam ueritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, & iudicare, si bona non fuerit: si de Ecclesia, & Ecclesiastica potestate uerificatur uaticinium Hieremiæ. Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, ut euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes, &c. Quod autem sub Christi lege, hoc exequutioni fuerit mandatum, nos ipsa edocet experientia, atque infinitorum scripta. Et si quis hoc cuperet legere; uideat cap. Venerabilem. De electione, & electi potestate, ubi sic legitur. Verum illis Principibus ius, & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promouendum, recognoscimus, ut debemus, ad quos de iure, ac antiqua consuetudine noscitur pertinere: præsertim cum ad eos ius, & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenerit, quæ Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli, à Græcis transtulit in Germanos. Sed & Principes recognoscere debent, & utique recognoscunt, sicut idem in nostra recognouerunt præsentia, quòd ius, & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendam ad Imperium, ad nos spectat, qui etiam inungimus, consecramus, & coronamus. Etenim regulariter, & generaliter obseruatum, ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quam impositio manus spectat. Hoc idem ferè describit & Innoc. 3. cap. Per uenerabilem. Qui filij sint legitimi. Hoc idem & diuersi alij, inferius diuersis in locis ex parte descripti. Ecce itaque potestatem temporalem sub spirituali uirtute, ac potestate contineri, atq; comprehendi. Hoc tamen sciendum est, claues Ecclesiæ temporalem sub se potestatem habere, bifariã intelligi posse. Vno modo iurisdictionis, atque auctoritatis. Alio modo possessionis, & dominij. Christus iurisdictionis, auctoritatisq; omnem profectò super regna omnia habuit potestatem: quemadmodum superius ostensum est, & nemo intel-

Bonif. 8.

De electione, & elec. potes. c. Venerab.

cap. Per venerab. Qui filij sint leg t.

lectus ſani hoc cenſebit ambiguum. Poſſeſsiue uerò talem temporalem poteſtatem Chriſtum habuiſſe, non affirmamus: hoc eſt ipſum regno temporali præfuiſſe, quemadmodum præſunt ceteri reges, regno ipſorum dominando, poteſtatemque ſuper ipſum exercendo. Quod ipſe Chriſtus apud Ioann. 28. oſtendit dicens. Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum; miniſtri mei utique certarent, ut non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non eſt hinc. Super quibus uerbis ait Chryſoſtomus. Hoc dicit, quoniam non tenet regnum, ut hic reges terreni tenent, quaſi dicat. Rex quidem eſt mundi, ſed non quemadmodum reges terreni, qui ſub ipſius poteſtate ſunt poſiti. Quod Theophilactus oſtendit dicens. Chriſtus non dicit, Regnũ meum non eſt hic, ſed non eſt hinc: nam regnat in mundo, & utitur illius prouiſione, & iuxta uotum, cuncta diſponit. Non eſt autem ab infimis conſtitutum regnum eius, ſed cælitus, & ante ſecula. Potuiſſet tamen, ſi uoluiſſet Chriſtus & poſſeſsiue omnia regna mundi ſuæ poteſtati ſubiicere, ſed noluit: cum propterea in mundum non uenerit, iuxta illud Matth. 20. & Luc. 22. Filius hominis non uenit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Quapropter cum cognouiſſet (ut habetur Ioan. 6.) quia uenturi eſſent (Iudæi uidelicet) ut raperent eum, & facerent eum Regem; fugit iterum in montem ipſe ſolus. Super quibus uerbis ait Auguſtinus. Erat autem Rex, qui timebat fieri Rex: nec talis Rex, qui ab hominibus fieret: ſed talis, qui hominibus regnum daret. ſemper quidem ille cum Patre regnat, ſecundum quòd eſt filius Dei. Prædixerunt autem Prophetæ regnum eius, & ſecundum illud, quòd homo factus eſt Chriſtus, & fecit fideles ſuos Chriſtianos, qui ſunt regnum eius: quod modo colligitur, modo emitur ſanguine Chriſti. Erit autem aliquando manifeſtum regnum eius, quando erit aperta claritas Sanctorum eius, poſt iudicium ab eo factum. Diſcipuli autem, & turbæ credentes in eum putauerunt illum ſic ueniſſe, ut iam regnaret, hoc eſt uelle rapere, & facere eum regem. Tali nempe modo Chriſtus temporalem habuit poteſtatem, quam ſuis tradidit diſcipulis, illorumque ſucceſſoribus, uerum non totalem. In Chriſto enim talis iuriſdictionis duplex fuit auctoritas. Vna, quæ ei conuenit,

Ioan. 28.

Chryſoſt.

Theophilactus.

Matth. 20. & Luc. 22.

Ioan. 6.

Auguſt.

Aquinas. 4. d. 48. q. 1. 1.

inquantum est Deus, quæ ei naturalis est, atque æterna.
3.p.q.64. art. 4. Alia, inquantum homo factus est. Vel (ut in potestatis moremur nomine) Christus duplicem habuit potestatem, auctoritatis, & excellentiæ: illam, inquantum Deus, istam, inquantum homo: illam, sicuti & naturam diuinam, incommunicabilem, hanc uerò communicabilem: quam suis communicauit discipulis, & suis successoribus. Ita tamen eam communicauit, quòd non totaliter ipsis illam contulit. Ideo sacri doctores quandam potestatem Christo attribuunt, quam Petrus non habuit, nec sui successores, & ipsam excellentem nuncupant: ita quòd potestas Petri, & successorum eius, Christi potestati adęquari non potest. Potuit enim Christus circa dominium spirituale, ununquenque absque Sacramentis saluare, eo quòd uirtutem suam Sacramentis non alligauerit: quorum formam, & materiam etiam mutare potuit, quæ Petrus facere nō ualuit. Sic itaque Christus circa dominium temporale talem, ac tantam temporalem auctoritatis, & iurisdictionis habuit potestatem, quòd absque alicuius iniuria, omnia suæ ditioni, atque dominio subiicere potuisset regna: quod Petrus facere non potuit, eo quòd Christus tantam ei non communicauerat potestatem, uti nunc ostendetur. Quod non inconsultò, sed diuersas ob rationes à Christo est peractum: præcipue, ne Petri successores in perniciem Ecclesiæ illa abuterētur: sicut etiam doctores alterius sententiæ fatentur, non expedire, summum uidelicet Pontificem illam exercere potestatem. Ideo dicebat Christus apud Matth. 20. & Luc. 22. Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatē exercent inter eos. Non ita erit inter uos. Vel, Vos autem non sic. Vnde uolens Petrus Apostolus ostendere, nullam huiuscemodi temporalem dominij, siue possessionis se potestatem habere, dicebat claudo ad portam templi iacenti, atque eleemosynam petenti. Argentum, & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Super quibus uerbis ait D. Bernardus ad Eugenium Papam libro 2. Quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? Quod habeo, inquit, hoc tibi do. Quid illud? Vnum scio, non est aurum, neque argentum: cum ipse dicat. Argentum, & aurum non est mihi. Si habere contingat; utere nō pro libitu, sed pro tempore. Sic eris utens illis quasi non utens. Ipsa quidem

(quod

Marginal notes: De reg. Princ. lib. 3. cap. 10. — Matth. 20. & Luc. 22 — Act. 3. — Bernard.

(quod ad animi ſpectat bonum) nec bona ſunt, nec mala. Vſus tamen horum bonus, abuſio mala, ſollicitudo peior, quæſtus turpior. Eſto, ut alia quacunque ratione hæc tibi uendices, ſed non Apoſtolico iure. Nec enim tibi ille dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem, ut dixi, ſuper Eccleſias. Nunquid dominationem? Audi ipſum. Non dominantes, ait, in clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam ueritate; uox Domini eſt. Reges gētium dominantur eorum: & qui poteſtatem habēt ſuper eos, benefici uocantur. Et infra. Vos autem non ſic. Planum eſt, ꝙ Apoſtolis interdicitur dominatus. Quomodo ergo tu & tibi uſurpare audes, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolis dominatum? Planè ab alterutro prohiberis. Si utrunque ſimiliter habere uoles; perdes utrunque: alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus ſic. Ipſi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui eos. Iam ſi regnare ſine Deo iuuat, habent gloriam, ſed non apud Deum. At ſi interdictum tenemus, audiamus edictum. Qui maior eſt ueſtrum, ait, fiat ſicut iunior: & qui præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat. Forma Apoſtolica hęc eſt, dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio. &c. Præterea, ſi poteſtas ſpiritualis à Chriſto ſuper tēporalem poteſtatē hoc haberet dominium; aut hoc eſſet ſuper membra corporis Chriſti tantùm, hoc eſt ſuper fideles, aut ſuper omnes, hoc eſt & infideles, quod nullo modo dici poteſt, dicente Apoſtolo ad Cor. 5. primę. Quid enim mihi de his, qui foris ſunt, id eſt infidelibus, iudicare? Nonne de his, qui intus ſunt, uos iudicatis? Nam eos, qui foris ſunt, Deus iudicabit: auferte malum ex uobis ipſis. Super quibus uerbis ait. D. Thomas. Prælati enim Eccleſiarum accipiunt ſpiritualem poteſtatem ſuper eos tantum, qui ſe fidei ſubdiderunt. Si igitur Prælati Eccleſiarum nullam ſuper tales habent iuriſdictionem ſpiritualem, ex conſequenti nec ipſius gratia temporalem: quia hanc per illam habent iuriſdictionem. Si uerò dicatur, Dominij, poſſeſsioniſque iuriſdictionem Prælatos ipſos in corpore Chriſti tantùm habere exercendam; hoc etiam dici non poteſt: quod tum ex parte Dominatorum, tum ex parte dominantium comprobatur. Nam qui potentatui ſubiiciuntur temporali, à tali ſeruitute per claues Eccleſiæ non liberantur: ſicuti quidam fidelium in primitiua Eccleſia credebant, dicē-
te

Luc. 22.
Oſeæ. 8.
Luc. 22.
1. Cor. 5.
Aquinas.

Ioan. 8. te Domino. Ioan. 8. Si filius uos liberauerit, uerè liberi eritis.
Tho. sup 13. Rom. Libertas enim nobis per Christum concessa est, libertas spiritus, qua liberamur à peccato, & morte. Vnde Apostolus ad Ro
Rom. 8. ma. 8. Lex enim spiritus uitę in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis. Caro autem seruituti adhuc remanet obnoxia. Et hoc quousque Christus Dominus noster, uti habetur
1. Cor. 15 Cor. 15. primæ, tradiderit regnum Deo Patri, & euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & uirtutem. Interim autẽ dum corruptibilem carnẽ gerimus, oportet nos Dominis car-
Eph. 6. nalibus subiacere, iuxta illud ad Eph. 6. Serui obedite Domi-
1. Pet. 2. nis carnalibus cum timore, & tremore, &c. Et Apostolus Petrus in prima canonica sua. cap. 2. Subiecti igitur estote omni humanę creaturę propter Deum: siue Regi, quasi pręcellenti: siue ducibus tanquam ab eo missis, ad uindictam malefactorum, laudem uerò bonorum, &c. Deinde. Omnes honoratate. Fraternitatem diligite. Deum timete. Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, &
Rom. 13. modestis, sed etiam discolis. Et Paulus Rom. 13. omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quod autem de temporalibus potestatibus, ipsius sit sermo, ipsemet infra ostendit di-
Rom. 13. cens. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris; time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: uindex in iram ei, qui malum agit. Super
Thomas. quibus uerbis ait Aquinas. Loquitur autem secundum consuetudinem Principum, qui quasi in figura suæ potestatis deferebant instrumenta puniendi: puta fasces uirgarum ad uer-
Iob. 19. berandum, & secures, uel gladios ad occidendum. Iob.
causa 23. q. 8. ca. de Episcopis Fugite à facie gladij, quoniam ultor iniquitatum est gladius. Quod spirituali potestati (uti & causa uigesima tertia. q. octaua, cap. de Episcopis, expressè, ac dilucidè manifestatur, atque indicatur) conuenire non potest: dicente Domino, apud Mat-
Matt. 16. th. Petro in persona omnium spiritualium. Conuerte gladium tuum in uaginam. Qui autem ex temeritate huiuscemodi principes, & Dominos temporales spernere uellent dicentes,
Ioan. 8. quemadmodum & Iudæi Christo, apud Ioan. 8. dicebant, Semen Abrahę sumus, & nemini seruiuimus unquam; audiant Apostoli sententiam ad Rom. 13. Non est enim potestas nisi à

Deo:

Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et quasi cõcludendo inferius ait. Ideoque necesßitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Verum tamen est, fideles infidelibus subiectos, per sententiam, uel ordinationē Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis, ab illorum dominio (ut docet D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 10. in c.) posse liberari, & ius Domini ipsorum super fideles tolli: quia (ut eo in loco ait Aquinas) infideles merito infidelitatis suæ, super fideles, qui in filios Dei translati sunt, potestaté merētur amittere. Sed hoc quidē Ecclesia facit quandoq;, quandoque autem non. In illis enim infidelibus, qui & ipsi in temporalibus membris Ecclesiæ subijciuntur, hoc ius statuit Ecclesia, ut Iudæorum uernaculus, id est in seruitute natus, uel infidelis ad seruitium emptus, nullo precio dato liberetur, quàm primum factus fuerit Christianus. Si autem ad mercationem fuerit emptus, ut infra trium mensium spacium ad uendendum exponatur. Nec alicui circa hoc iniuriam facit Ecclesia: quia sicut Principes seculares multas, diuersasque leges circa subditos suos in libertatis fauorem decernere possunt, atque ediderunt; ita Ecclesia in fauorem libertatis Ecclesiasticæ de rebus Iudæorum ipsius membris in temporalibus subditorum, disponere potest. In illis uerò infidelibus, qui temporaliter Ecclesiæ, uel membris eius non subiacent, neque subijciuntur, ius prædictum Ecclesia, licet de iure posset instituere, hactenus non statuit: & hoc ad euitandum scandalum, quod nos omnes Christo fideles, ipsius exemplo, uitare debemus: qui cum à tributo se excusare potuisset, ex eo quòd filij sunt liberi; tamen ne quispiam propterea scandalizaretur, tributum solui mandauit. Nam apud Matth. decimo septimo ad Petrum aiebat. Quid tibi uidetur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, uel censum? à filijs suis, an ab alienis? Et Petro respondente, Ab alienis, dixit illi Iesus. Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, uade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui prius ascenderit, tolle: & aperto ore, inuenies staterem: illum sumēs, da eis pro me, & te. Sic itaque & Dominis infidelibus est obediendum: quia si huiuscemodi infideles Domini subditos suos intuitu fidei rebelles sentirent, nomen Christi damnarent, &

Rom. 13.
Aquinas.
Matt. 17.

noſtram doctrinam blaſphemaret: quod non paruum eſſet ſcandalum. Quod manifeſte & Apoſtolus ad Timo. 6. primæ oſtendit dicens. Quicunque ſunt ſub iugo ſerui, Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur: ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur. Hic enim de infidelibus Dominis loquitur Apoſtolus, uti uerba ſequentia manifeſtant, cum ait. Qui autem fideles habent Dominos, &c. Hoc autem ita fieri debet, quòd abſque ueritatis detrimento fiat: quia tunc magis Deo, quàm hominibus eſt obediendum. Quod conſiderans Gregorius ſuper Ezechielem ait. Conſiderandum enim eſt, quia inquantum ſine peccato poſſumus, uitare proximorum ſcandalũ debemus. Si autem de ueritate ſcandalum ſumitur; utilius permittitur naſci ſcandalum, quàm ueritas relinquatur. Et Chryſoſtomus ſuper illis uerbis Chriſti apud Matth. 22. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, ait. Tu aũt, cũ audieris, Redde, quæ ſunt Cæſaris, Cęſari, illa ſcilicet eũ dicere ſolũ nõ dubita, quæ in nullo pietati nocent: quia ſi aliquid tale fuerit; non adhuc Cæſaris eſt, ſed Diaboli tributum. Ita fecit Daniel, qui nolens iniquo, & nefandiſsimo principum Regis Darij decreto obedire, in lacum Leonum fuit miſſus. Et tres pueri Sydrach Myſach, & Abdenago, aliud illorum principum, ſatraparumque contra Dei honorem decretum contemnentes, in fornacem ignis ardentis miſsi ſunt: à qua tamen, quemadmodum & Daniel à lacu Leonum, Dei gratia, illæſi liberati fuerunt. Eſt igitur Dominis temporalibus, etiam infidelibus, ne Chriſti nomen uituperetur, à fidelibus obediendum: & ex conſequenti à poteſtatis ſpiritualis ſeruitute in temporalibus ipſi erunt alieni. Hoc etiam ex parte dominantiũ ſimiliter oſtendi poteſt. Ait enim D. Aquinas. 2. ſecundæ. q. 10. art. 10. in c. Ius diuinum, quod eſt ex gratia, non tollit ius humanum, quod eſt ex naturali ratione: ſed temporalis dominij iuriſdictionẽ, poſſeſsionemq; habere eſt ius humanum, poteſtas uerò ſpiritualis eſt ius diuinum, ergo poteſtas ſpiritualis talem temporalem à membris Eccleſiæ auferre non poteſt. Quod & diuerſis rationibus cõprobari poteſt. Domini enim, ſiue principes illi, ſupra ſe ſuperiorem in ſpiritualibus habentes, ſi huiuſmodi poteſtatem ſpiritualem ſuper poſseſsionibus ipſorum iuriſdictionem habere cognoſcerent, aut in tali Dominio illi cederent, aut eam feudo, & tributo, omni anno recognoſcerent, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 13. Reddite ergo

Margin notes: 1. Timo. 6; Actu. 5.; Grego.; Chryſoſtomus.; Daniel. 6.; Daniel. 3.; Aquinas.; Rom. 13.

go omnibus debita, cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorē, timorem: cui honorem, honorem. Sed Domini, & Principes temporales quamuis Chriſtiani, non propterea ius ſuum poteſtati ſpirituali in tēporalibus cedunt: alioquin quot quot Reges ſunt, & principes, nō ueri eſſent Domini, ſed Tyranni: & contra cōſcientiam tale dominium retinerent: quod non eſt dicendum. aut ſaltem poteſtatem ſpiritualem feudo, & tributo de tali tēporali Dominio recognoſcerent. quod etiam nō faciunt. neq; illos propterea contra cōſcientiam, facere eſt aſſerēdum: cum tot Chriſtianiſsimi Imperatores, Reges, & Principes fuerint, qui in omnibus poteſtati ſpūali, in quibus tenebantur, fuerunt obſequioſiſsimi, & obediētiſsimi. Huiuſmodi uero feudis, & tributis ſolūmodo recognoſcūtur Imperatores in imperiò, Reges in ſuis regnis, & ceteri Principes in ſuis dominijs, ad quos feudi ſpectāt. quod confirmat Inno. 3. in. c. Nouit, de iudicijs. Non enim intendimus, inquit ipſe, iudicare de feudo, cuius ſcilicet ad ipſum regem ſpectat iudicium. Hoc etiam Chriſtus apud Matth. 22. uolens Phariſæorum fallaci interrogationi ſatisfacere, oſtendit dicens. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Super quibus uerbis ait Hilarius. Deo etiam, quæ eius ſunt, reddere nos oportet, id eſt Corpus, & animam, & uoluntatem. Numiſma enim Cæſaris in auro eſt, in quo eſt eius imago depicta. Dei autem numiſma homo eſt, in quo eſt Dei imago figurata. Ideo diuitias ueſtras date Cæſari, Deo autē innocētiæ ueſtrę conſcientiam cōſeruate. Et Hiero. Quæ ſunt Dei, Deo, id eſt decimas, primitias, oblationes, & uictimas, ſicut & ipſe Dominus reddidit Cæſari tributa pro ſe, & Petro, & Deo reddidit, quæ Dei ſunt, Patris faciens uoluntatē. Non igitur Principes Chriſtiani ius ſuum in temporalibus, propter Eccleſiæ claues, amittunt: ſed in ipſis propterea magis illud corroboratur. Quod apertè docet Apoſtolus ad Timoth. ſexto primæ, dicens, ſubditos alloquendo. Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres ſunt: ſed magis ſeruiant, quia fideles ſunt, & dilecti, quia beneficij participes ſunt. Hæc doce, & exhortare. Si quis autem aliter docet, &c. ſuperbus eſt, nihil ſciens, &c. Ex his itaque omnibus patere poteſt, ſpiritualem poteſtatem dominij, poſſeſsioniſque iuriſdictionem in temporalibus non habere. Quod apertè comprobat Alexander tertius Papa, in

Inno. 3. lib. b. 2. de Iudicijs cap. nouit

Math. 22.

Hilar.

Hiero.

1. Timo. 6.

Alex. 3.

TT c. cauſam

c. Causam, extra dicens. Nos attendentes, quòd ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de possessionibus iudicare, ne uideamur iuri Anglorũ detrahere, qui ipsarum iudicium ad se asserunt pertinere; fraternitati uestræ mandamus, Regi possessionum iudicium relinquentes, &c. Et dist. 96. c. Cum ad uerum uentum est. Vltra sibi nec Imperator iure Pontificatus arripiat, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpet. Qualem ergo, interrogabit quis, potestas ista spiritualis super tẽporalia habet iurisdictionem? Maximam, omnem aliam excedentem, omniumq; principum terrenorum potestatibus nobiliorẽ, digniorem, atque præstantiorem. Dictum est superius, & ex Apostolo Paulo comprobatum, omnes dignitates, potestates, officia, in Christi Ecclesia, in unum esse connexa, atq; subordinata: alioquin unum Christi corpus non essent, sicuti sunt. In quo potestatem temporalem à spirituali iurisdictionem accipere dicebamus: quemadmodum corpus ab anima uirtutem accipit, & operationem. Eadem etiam ratione, inquantum scilicet unũ Christi corpus sunt, potestas spiritualis, ad conseruandam eiusdem corporis unitatẽ, omnimodam super temporalẽ potestatẽ habet iurisdictionem. Nam quemadmodum anima corpus suũ regit, & gubernat, omnibus, ad totius corporis conseruationem, atque utilitatem, membris dominando; ita spiritualis potestas, hac ratione temporalem regendi, atque gubernandi, omnem super ipsam habet iurisdictionẽ: quæ profectò maxima est, omniumq; Regum, atq; Principum potestatum amplissima: cum illorũ iurisdictio sit tantum circa terræ minima, uti quàm optime ostẽdebat. D. Bernardus ad Eugeniũ lib. 1. dicẽs. Habet hæc infima terrena iudices suos Reges, & Principes terræ. At potestas spiritualis nõ circa infima uersatur, sed suprema: sua enim iurisdictione, pro conseruanda uidelicet ipsius Christi corporis mystici unitate, omnibus Regibus, & Principibus potest mãdare, atque præcipere, bellantes iudicare, delinquentes corrigere, dominijsq; suis (si necesse fuerit) illos priuare, & alios loco ipsorum instituere: imperia diuidere, & pleraq; alia similia facere. quod tùm rationibus, tùm sacrarum scripturarum auctoritatibus, tùm ex antiquissima consuetudine ostendere admodum nõ erit difficile. Sicut enim cum membrum alicuius corporis naturalis aliquam ab ipsius inimicis patitur læsionem; anima præsto est, ceteraque illi sucurrere cogit membra; ita

dist. 96.

Qualẽ potestas spiritualis super tẽpor. habeat iurisdictionem.

Bernar.

cum aliquod huius corporis Chriſti membrum à ſuis inimicis (hoc eſt infidelibus) offenditur, atque moleſtatur, ſpiritualis poteſtas, quæ animæ gerit locum, omnibus alijs principibus, ui cinioribus præcipue magis, ut armis, bonisque temporalibus illi parti ſubueniant, deq; inimicorum manibus ipſam liberet, inquantum poſſunt, & ualent, mandare poteſt, immo debet. Similiter, ſi inter membra huius corporis Chriſti, principalia præcipuè, principes uidelicet, iurgia, & litigia cum unionis corporis Chriſti detrimento orirentur: quod contra omnẽ prorſus eſſet rationem. Sicuti enim abſurdum eſt, atque auditu incredibile, membra unius corporis naturalis inter ſe aduerſari; ita in Chriſti corpore iurgia ſuſcitare erroneum eſt, atque abſurdum. Propterea poteſtas ſpiritualis, ne id fiat, ſimilibus litigantibus, uel bellum ſuſcitantibus, non ſolum illis bellum interdicere debet; ſed (ſi aliter concordari nollent) inter illos, auctoritate propria, uni eorum ius dando, & alterum condemnando, iudicium proferre poteſt: ad cuius ſententiam utraque pars ceſſare, contentariq; debet, ac tenetur, iuxta illud Deut. 17. Si diffi cile, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem; cauſam, & cauſam; lepram, & non leprã; & iudicum intra portas tuas uideris uerba uariari; ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, ueniesq; ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij ueritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui pręſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, iuxta legem eius: ſequerisque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo; ex decreto iudicis morietur homo ille: & auferes malum de Iſrael: cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Si igitur hæc umbræ data eſt poteſtas; quanto magis corpori? Spiritualis enim ueteris legis poteſtas, hanc noui Teſtamenti figurabat, quemadmodum & reliqua alia: de quibus ſatis oſtenſum eſt in ſuperioribus. Et ideo ad huius rei confirmationem in particulari Innocentius huius nominis tertius, capitulo. Per uenerabilem, Qui filij ſint legitimi, hanc tradidit doctrinam dicens. Rationibus igitur his inducti, Regi gratiam fecimus requiſiti, cauſam tam

Deut. 17.

Innocen. Pa. 3. lib. 4 Tit. 17. Qui fi[illegible] ſint legi-

timi.cap. Per uenerabilem.

ex ueteri, quàm ex nouo Teſtamento trahentes: quòd non ſolum in Eccleſiæ patrimonio (ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem) uerumetiam in alijs regionibus, certis cauſis inſpectis temporalem iuriſdictionem caſualiter exercemus: non quòd alieno iuri præiudicare uelimus, ſed quia ſicut in Deut. continetur. Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinẽ, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram & lepram, & iudicium intra portas uideris uariari, uenies ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi iudicij ueritatem: & facies quæcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, ſequerisque eorum ſententiam. Qui autem ſuperbierit uolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo; decreto iudicis morietur. Sanè cum Deuteronomium lex ſecunda interpretetur, ex ui uocabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur, in uo Teſtamento debeat obſeruari. Locus enim, quem elegit Dominus, Apoſtolica Sedes eſſe cognoſcitur. Cum enim Petrus Vrbem fugiens exiuiſſet, uolens eum Dominus ad locum, quẽ elegerat, reuocare, interrogatus ab eo, Domine, quo uadis? reſpondit, Venio Romam, iterum crucifigi. quod intelligens pro ſe dictum, ad locum ipſum protinus eſt reuerſus. Sunt autem ſacerdotes Leuitici generis fratres noſtri, qui nobis iure Leuitico in executione ſacerdotalis officij coadiutores exiſtunt. Is uerò ſuper eos ſacerdos, ſiue iudex exiſtit, cui Dominus, inquit, in Petro. Quodcunque ligaueris ſuper terram; erit ligatum & in cælis. Eius Vicarius, qui eſt ſacerdos in ęternum, ſecundum ordinem Melchiſedech, conſtitutus à Deo iudex uiuorum, & mortuorum, Tria quippe diſtinguit iudicia. Primum inter ſanguinem, & ſanguinẽ, per quod criminale intelligitur, & ciuile. Vltimum inter lepram, & lepram, per quod Eccleſiaſticũ, & criminale notatur. Mediũ inter cauſam, & cauſam, quod ad utrunq; refertur tàm Eccleſiaſticum, quàm ciuile: in quibus cum aliquid fuerit difficile, uel ambiguum; ad iudicium eſt ſedis Apoſtolicæ recurrendum. Cuius ſententiam qui ſuperbiens contempſerit obſeruare; mori præcipitur, id eſt per excommunicationis ſententiam uelut mortuus à communione fidelium ſeparari. Paulus etiam, ut plenitudinem poteſtatis exponeret, ad Corinthios ſcribens ait. Neſcitis, quoniam Angelos iudicabitis,

bitis, quãtò magis ſecularia? Idẽ ferè tradit, breuioribus tamẽ uerbis li.2.c. Licet, De foro copetẽti. Et hac auctoritate uſus eſt præ ceteris Clemens.5. ut habetur in Clementina c. Paſtoralis, De ſententia, & re iudicata, aduerſus diſturbium quoddam inter Imperatorem Henricum, & Robertum Siciliæ Reges ortũ: uti quilibet eo in loco poteſt uidere. Deinde ſicuti in corpore naturali membra non ſana curari per alia procurat anima, & putrida abſcindi, ne totum corpus ſubiiciatur corruptioni; ſic in corpore Chriſti Domini noſtri myſtico poteſtas ſpiritualis, membra non ſana admonitionibus, correctionibusq́; curare ſatagit: putrida uerò, hoc eſt rebelles, atque contumaces, corporis Chriſti unitatem moleſtantes, atque conturbantes, ab ipſo Chriſti corpore euelli, abſcindiq́; procurat, ne corporis unio propterea in confuſionem conuertatur, & corpus totum corrumpatur. Hac itaque de cauſa Principum multi, à ſpirituali poteſtate, poſt unam, atq; alteram admonitionem, omni dominio fuerunt priuati, & illorum loco alij inſtituti. Gregorius enim huius nominis tertius, Leonem 3. Imperatorem Cõſtantinopolitanum Imperio ſimul, & communione priuauit. Item Zacharias Francorum Regem à regno depoſuit, & omnes Barones à iuramento fidelitatis abſoluit, in regnoq́; Pipinum Caroli Magni patrem præfecit, ut teſtatur Gelaſius. 15.q. 6.ca. Alius. Deinde Stephanus, huius nominis ſecundus, Imperium à Græcis, tempore Conſtantini Imperatoris ſexti, in Germanos tranſtulit, & Carolum cognomento Magnum, primum Imperatorem inſtituit, ut teſtatur Innoc.3. libro 1. cap. Venerabilem, de electio. & electi poteſtate. Vbi legitur, ab Apoſtolica ſede Romanum Imperium in perſonam magnifici Caroli à Græcis in Germanos tranſlatum eſſe. Quamuis nonnulli uelint hoc ab Adriano Papa, qui Stephano tertio in Pontificatu immediate ſucceſsit, factum fuiſſe. Cuius etiam opinionis eſt D. Thomas, de regimine Principum, lib.3. cap. 10. Platina uerò hoc Leoni tertio, Adriani immediate ſucceſſori tribuit, qui in eius uita ſic ait. Nam Pontifex (ſcilicet Leo) Carolo optimè de Eccleſia Dei merito, aliquam gratiam relaturus, cum uideret Imperatores Conſtantinopolitanos ægre id nomen tueri, ac ob eam rem, urbem, & Italiam ipſam magnas calamitates paſſam, in baſilica Petri, poſt ſolennia ſacra, populi Romani ſcito, ac precibus, ipſum Carolum magna uoce Imperatorem

De foro compet. ca. Licet. Clement. cap. Paſtoralis. De re iudicata.

Gelaſius, cauſa. 15. q. 6. cap. Alius.

Innoc. 3. cap. venerabilem, de elect. & electi poteſtate.

Aquinas. Platina.

Imperatorem decernit, ac diademate donat, ter acclamante populo Romano. Carolo Auguſto à Deo coronato, Magno, & Pacifico Imperatori uita, & uictoria. Pontifex item hominem inunxit una cum Pipino filio, quem Italiæ Regem ſolenni decreto pronunciat. Item Innoc. 3. Ottoni quarto Imperium abſtulit. Et Honorius pariter tertius Fridericum huius nominis ſecundum Imperio ſimiliter priuauit. Innoc. autem huius nominis 4. Regi Portugaliæ Regni adminiſtrationem interdixit, ut habetur in cap. Grandi. De ſuppl. neglig. Præla. lib. 6. Simili modo ſuper omnes Principes, & Imperatores poteſtas ſpiritualis talem exercere poteſt iuriſdictionem: dummodo huiuſcemodi dominia ad ſe trahere non curet, illa uſurpando: niſi aliqui Principum, uel Imperatorum propria uoluntate eidem ſpirituali poteſtati ſuper Dominium aliquod in temporalibus ſua ceſſerit iura: quemadmodum Magnus ille fecit Conſtantinus Silueſtro, totius ſpiritualis poteſtatis nomine, ſuper partes Occidentales in temporalibus omnia ſua iura cedendo, illumq; dotando. Cuius profecto donatio recitatur diſt. 96. ca. De priuilegio Conſtantini Imperatoris. Quod & plerique Principes alij, precipue in Germania, multis ſimilibus dominijs temporalibus eandem ſpiritualem poteſtatem ornando, fecerunt. Tunc abſque ſubditorum iniuria, poteſtas ſpiritualis dominiis iſtis eidem à diuerſis dono datis frui poteſt, non ratione clauium Eccleſiæ (uti ſuperius dictum eſt) ſed donationis gratia. Vnde Dominus Papa cauſa 12. q. 1. cap. Futuram. aliquarum terrarum dominium dono ab Imperatore ſe recepiſſe fatetur dicens. Vir religioſiſsimus Conſtantinus, primus fidem ueritatis patenter adeptus, dedit licentiam per uniuerſum orbem ſuo de gentibus Imperio, non ſolum fieri Chriſtianos; ſed etiam fabricandi Eccleſias: & prædia conſtituit tribuenda. denique ipſe præfatus Princeps donaria immenſa contulit, & fabricam templi primæ Sedis beati Petri inſtituit, adeo ut beato Petro, ſucceſſoribusq; ſuis profuturam concederet. Hæc eſt poteſtatis ſpiritualis ſuper temporalia iuriſdictio. Vnde & D. Bernar. ad Eugenium, lib. 1. In criminibus, non in poſſeſsionibus poteſtas ueſtra: quoniam propter illa, & non propter has accepiſtis claues regni cælorum. Ad cuius confirmationem, ait D. Thom. lib. 3. de reg. princ. cap. 10. Summos Pontifices in omnibus iſtis, ſuperius uidelicet aſsignatis, ſuas

non

Lib. 6. De ſuppl. neglig. prælator. cap. Grandi.

Diſtin. 96. c. De priuil. Cōſt.

Cau. 12. q. 1. cap. Futuram.

Bernar.

Thom.

non extendiſſe manus, niſi ratione delicti : quia ad hoc ordinatur eorum poteſtas, ut proſint gregi, cuius gratia paſtores uocantur : quibus ad ſubditorum utilitatem, & non propriam, uigilantia incumbit : aliàs non eſſent ueri paſtores, ſed mercenarij, ſeipſos in Dominijs, & bonis temporalibus paſcentes, oues gregis diſsipantes, bona, iuraq; aliorum uſurpando. De quibus aiebat Dominus apud Ezechielem 34. Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini : & quod craſſum erat, occidebatis : gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis : & quod ægrotũ, non ſanaſtis. Quod confractum eſt, non alligaſtis : & quod abiectum eſt, non reduxiſtis : & quod perierat, non quæſiſtis : ſed cũ auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et diſperſę ſunt oues meæ, eo q᷈ non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Et Auguſt. ſuper 21. Ioan. ait. Qui hoc autem animo paſcunt oues Chriſti, ut ſuas uelint eſſe, non Chriſti; ſe conuincuntur amare, non Chriſtum, uel gloriandi, uel dominandi, uel acquirẽdi cupiditate, nõ obediendi, & ſubueniendi, & Deo placendi charitate. Nõ ergo nos, ſed ipſum amemus: & in paſcendis ouibus eius, ea, q̃ ſunt ipſius, non quæ noſtra ſunt, quæramus. Et hæc eſt uera paſtoris auctoritas. Vnde Dñs noſter Ieſus Chriſtus apud Ioannem 21. quadã importuna utitur interrogatione, ter quęrens à ſuo ſucceſſore, & Vicario Petro Apoſtolo, q᷈ ſi ipſum diligeret, gregẽ ſuum paſceret. Petre, inquit, amas me? paſce oues meas. Quaſi in hoc conſiſtat tota paſtoralis cura, profectus uidelicet gregis. Super quib. uerbis ait Alcuin. Paſcere autẽ oues eſt credentes in Chriſto, ne à fide deficiant cõfortare, terrena ſubſidia (ſi neceſſe eſt) ſubditis prouidere, & exempla uirtutũ, cum uerbo pręedicationis impendere : aduerſarijs obſiſtere, errãtes ſubditos corrigere. Hoc ergo ſuppoſito, q᷈ pro utilitate gregis agatur, ſicut intẽdit Chriſtus, poteſtas ſpiritualis tẽporale omne (ut ex ſupradictis patet) ſupergreditur dominiũ. Quamobrem Imperatores ferè omnes à Conſtantino Magno ad Leonem 3. hæreticũ uſq; (Conſtantino Conſtantini filio, & Iuliano Apoſtata exceptis) ſpirituali ſemper obedientes fuerunt poteſtati. Vnde Valentinianus, qui Iouiniano uiro catholico, Iuliani Apoſtatæ fratri immediate ſucceſsit, ſic fertur dixiſſe, ut Eccleſiaſtica hiſtoria refert,

Ezech. 34

Auguſt.

Ioan. 21.

Alcui.

Thom. de reg. prin. lib. 3. cap. 10.

Eccl. hiſt. de reg.

princ. lib. 3. cap. 17. refert, cum Archiepiscopi Mediolanensis instaret electio. Talem (inquit) nobis in Pontificali instituite sede, cui nos, qui gubernamus imperium, sincere nostra capita submittamus: & eius monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessariò ueluti curantis medicamina suscipiamus. Similiter à Carolo Magno usque ad hæc clementissimi Imperatoris nostri moderni Ferdinandi tempora (nonnullis exceptis rebellibus) non tantum Imperatores, uerum & Principes omnes, magna cum obedientia sanctæ Sedi Apostolicæ sua submiserunt genua. Ex his igitur omnibus, ut huic rei finem imponamus, contra Burgensem concludendum est, Ecclesiasticam potestatem super omnem cuiuscunque magistratus iurisdictionem (obseruatis obseruandis) suas extendere posse manus, & non è conuerso: cum (ut & Gelasius Papa Anastasio Imperatori scripsit, quod & recitatur dist. *96.* cap. Duo sunt, quemadmodum & superius ex diuersis aliis ostensum est) Imperatorem, & omnem magistratum, iudicio Papæ dependere constet, & non è contrario. Quod & confirmatur tum uerbis, tum factis Magni Constantini, qui (ut refert Ruffinus lib. 10. Ecclesiasticæ hist. quod & recitatur causa 12. q. 1. cap. Futuram) cum Episcopi, qui conuenerant ad Synodum Nicænam, obtulissent ei libellos, in quibus continebantur causæ, & querelæ nonnullorũ aduersus alios, conuocatis illis omnibus dixit. Deus uos constituit sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoq; iudicandi: & ideo nos à uobis recte iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter uos, exspectate iudicium: & uestra iurgia, quæcunque sunt, ad diuinum reseruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis Dij: & coueniens non est, ut homo iudicet Deos. Ecce apertam magni Imperatoris Constantini confessionem. Item Valentinianus Imperator (uti habetur in trip. hist. lib. 7. cap. 12.) sic ait. Mihi quidem, cum unus de populo sim; fas non est talia perscrutari (de hęreticorum dogmatibus loquitur) uerum sacerdotes, quibus hæc cura est, apud semetipsos congregentur, ubi uoluerint, &c. Et Imperator Iustinianus Augustus Petro gloriosissimo Præfecto Prætorio. cap. 53. (quod & recitatur cau. 11. q. 1. cap. De persona Presbyteri.) Si quis contra aliquẽ clericum, aut monachum, aut diaconissam, aut monastriam, aut asistriam, habeat aliquam actionem; doceat prius sanctissimum

Gelasius, dist. 96. c. Duo.

Ruff. Ex hist. Eccl. Cau. 12. q. 1. ca. Futuram. Constan. 1. Imper.

Valentin. Impera. trip. hist.

Iustinia. Impera. cau. 11. q. 1. cap. De persona Presb.

ctiſsimum Epiſcopum: cui horum unuſquiſque ſubiaceat. Poſſet tamen magiſtratus ſecularis, ſi ex poteſtate ſpirituali aliquis ſua abuteretur auctoritate, Eccleſiam dilaniando, deſtruendo, atque diſsipando, ita ut non Paſtor, ſed Tyrannus, diſsipatorq; Eccleſiaſticæ eſſet auctoritatis, ei in tali caſu reſiſtere: illum admonere, atq; increpare poſſet, iuxta illud Apoſtoli ad Col. ult. Dicite Archippo, Vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas. Etſi à tali ſuo nefandiſſimo non deſiſteret propoſito (quod Deus auertat) in huiuſcemodi abuſibus, & malis ei non eſſet (cum modeſtia tamen) obediendum: ſed omnino à magiſtratu illi cum omni reuerentia opponendum, ueluti ſi Eccleſiam manifeſte diſsiparet, perniciose ei prouidendo, aut ſimoniace beneficia Eccleſiaſtica conferendo: quia poteſtas hæc, non in deſtructionem, ſed ad ædificationem data eſt. Quod tamen à magiſtratu, ſiue à quocunque potentatu auctoritatiue fieri non debet: cum ſuper tales perſonas Eccleſiaſticas nullũ habeat temporalis magiſtratus poteſtatem, uti iam oſtenſum eſt: ſed tantummodo defenſiue. quod cuilibet perſonæ priuatæ contra quencunque tyrannum, furioſum, & oppreſſorem licitum eſt facere: auctoritatiue uerò, ſolum iudici hęc reſeruatur poteſtas. Aliud enim eſt gladium de manu furioſi auferre, tyranno reſiſtere, & oppreſſorem impedire: & aliud hæc ipſa auctoritatiue executioni mandare. Licet equidem cuilibet uim in ſe, & in proximum, cum moderamine inculpatæ tutelæ ui repellere: talem autem uim inferentem iudicare, punireq́; non cuilibet, ſed iudici ſuper ipſum auctoritatem habenti eſt conceſſum. Similiter quãuis quilibet ſe defendendo, Pontificem inuaſorem licite occidere poſſet; nullus tamen propter homicidium, uel aliud ſimile crimen, ipſum morte poteſt punire, neque iudicare: cum nullum ſuper ipſum inter mortales habeat ſuperiorem. Quod comprobatur can. 20. primi Romani Concilii, cui nedum Silueſter cum 284. Epiſcopis, uerum & Magnus ille Conſtantinus cum piiſsima eius matre Helena interfuit, & ſubſcripſit. Vbi ſic legitur. Nemo enim iudicabit primam Sedem, quoniam omnes ſedes à prima Sede iuſtitiam deſiderant temperari. Neque ab Auguſto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur. Et ſubſcripſerunt. 284. Epiſcopi, & 45. Diaconi, & duo ſequentes, Auguſtus Conſtantinus, & ma-

Col. 4.

2 Cor. 10.

Caiet. in tract. de comp. auctor. Pa. & Conc. cap. 27. ad ſecũdam rationẽ. Concil. Rom. 1. can. 20.

ter eius Helena. Et fixit canonem hunc Siluester Episcopus in urbe Roma, & omnibus Episcopis aspersit, & scripsit. Actum in Traianas Thermas. 3. Calen. Iunij. Domino Constantino Augusto 3. & Prisco Consule. Vnde & Platina in li. de uitis Pontif. in uita Leonis 3. narrat, q cũ Carolus cognomẽto Magnus octauo die, postea q̃ urbem ingressus fuisset, in basilica Petri, astante populo, & clero Episcoporum omnium, qui eò ex tota Italia, & Francia conuenerat, sententias de uita, & moribus Pontificis rogasset; ab omnibus una uoce responsum est, Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput à nemine (laico prȩsertim) iudicari debere. Omissa autem, ob tam graue responsum, à Carolo quȩstione, Leo Pontifex, qui id iudicium maxime expetebat; suggestum conscendens, ac Euangelia in manibus retinens, iure iurando affirmauit, se omnium rerum, quæ sibi obiicerentur, insontem esse. Fuit is dies idibus Decẽbris, anno salutis 800. Hoc idem & Bonifac. 8. in extrauag. ca. Vnam sanctam, de maio. & obedientia, confirmat dicens. Si deuiat terrena potestas; à potestate spirituali iudicabitur. Sed si deuiat spiritualis minor; à suo superiori. Si uerò suprema; à solo Deo, non ab homine poterit iudicari, testante Apostolo, Spiritualis homo iudicat omnia: ipse autem à nemine iudicatur. Et Nicolaus Papa huius nominis primus in sua insigni decretali epistola, ad Michaelem Imperatorem scripta, Romana Sedes (inquit ipse) à nemine iudicari potest. Quod inter cetera duobus demonstratur exemplis. Primò Concilij Chalcedonensis (quod & recitatur dist. 21. cap. In tantum) in quo sancti Patres Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cetera idcirco potissimum, & sine ulla restitutione damnauerũt, ut ponens in cælum os suum, lingua eius transeunte super terram, excommunicationem in sanctum Leonem Papã dictauit. Secundò Concilij Romani exemplo, in quo (quemadmodũ & dist. 21. c. Nunc autem. describitur) sic legitur. Vnde factum est, ut in Concilio Episcoporum nullus in Marcellinum Papã, qui tempore Diocletiani, & Maximiani Augg. idolis compulsus sacrificauerat (sed postea insignis martyr effectus est) sententiam proferre ausus fuerit, dum ei sæpissime omnes dicerent. Tuo ore iudica causam tuam, non nostro iudicio. Et iterum. Noli audiri in nostro iudicio: sed collige in sinu tuo causam tuam: quoniam ex te iustificaberis, aut ex ore tuo cõdemnaberis. Et rursus. Prima sedes

Platina.

Bonif. 8. in extrauag. cap. Vnã sanc.

1. Cor. 2.

Nicolaus Pa. 1.

Dist. 21. ca. In tantum.

Dist. 21. cap. Nunc autem.

des nõ iudicatur à quoquam, &c. Idem Nicolaus ad Ludouicũ Impetatorem (uti habetur in ipſius Nicolai reſcriptis, ex Gratiani uolumine in unum collectis, & in uiginti titulos diſpartitis, tit. 14. c. 2. & di. 96. ca. In ſcripturis) uolens oſtendere ſecularem Principem cuiuſcunq; Pontificis, ſeu ſacerdotis facta iudicandi poteſtatem non habere, hæc protulit uerba. In ſcripturis narratur Coſtãtinus Imperator dixiſſe. Vere ſi proprijs oculis uidiſſem ſacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui in monachali habitu circumamicti ſunt peccantem, chlamydem meã expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo uideretur. In quibus igitur deſideratiſsime fili neceſſariò commouemini, ut quemadmodum fide, & religione, ac honoris parilitate ei adæquari uideamini: ita quoq; humilitate, atq; deuotione æquiparari nihilominus anhelitur: ita ut in nullo inferior eo, ſed potior inueniamini poſt illius exempla: qui talem ſe exhibuit ante talia prorſus exempla. Sed hoc quidem diximus cautos uos reddere cupiẽtes, ut ſi de dominis ſacerdotibus, qui iure patres animarum dicuntur, aliquid contigerit uos audire, quod cõfuſionem pijs mentibus ingerat; non infrunitum, ſed pudoratos filios Noe imitantes, patriam de reliquo uerecundiam cõtegatis: ut affluenti, quemadmodũ & illi, benedictione impleri moderãte Domino mereamini. Et Ioannes Papa (ut recitatur .d. ut ſupra ca. Si Imperator) hanc protulit ſententiã. Si Imperator catholicus eſt, quod ſalua pace ipſius dicimus, filius eſt, nõ præſul Eccleſiæ &c. Deinde ſub finem. Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis præſulibus, nõ præferre. Poteſtas igitur ſpiritualis haudquaquam à temporali, ſed temporalis à ſpirituali poteſt, ac debet iudicari. Quod ſi quis cum Burgenſi reſpuere præſumeret, rationabilem naturæ ordinem ſubuertendo; tanquam inſanus (quemadmodum in principio huius articuli animaduertiſſe dignum iudicaui) ab omnibus ratione uigentibus eſt declamandus. Quod & Gregorius in epiſtola decretali ad Hermanum Metenſem Epiſcopũ tranſmiſſa, diſerte, & q̃ pulcherrime deſcribit, atq; indicat dicẽs. Quis dubitet, ſacerdotes Chriſti Regum, & Principum, omniumq́; fidelium, patres, & magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubiicere, à quo credit non ſolum in terra, ſed etiam in cælis ſe

Diſt. 96. ca. In ſcripturis.

Ioan. Pa. diſt. 21. c. Si Imperator.

Gregor. Pa. di. 96. cap. Quis dubitet.

ligari posse, & solui? A quo autē (interrogabit quis) hæc spiritualis potestas, suprema pręcipue, si defecerit, condemnabitur? Si hoc scire cupis, aures erigere non dedigneris. Eam enim omnium iudex Dominus Iesus Christus iudicabit, cui omne iudicium à Patre datum est, quem in tali casu unanimi corde rogare debemus, ut similes sui ipsorum, & non Christi, ouium pastores puniat, iudicetq;: & tunc infallanter exaudiemur, dicente Domino apud Lucam 18. Deus cito faciet uindictam illorum, scilicet electorum suorum, clamantium ad se. Interim uerò omni cum honore, ac reuerentia illi subesse tenetur omnis fidelis persona. Cuius rei, loco ut supra, sub finem Bonifac. 8. rationem asignat dicens. Est autem hæc auctoritas (& si data sit homini, ut exerceatur per hominem) non humana, sed potius diuina, ore diuino Petro data, sibiq;, suisq; successoribus in ipso, quem confessus fuit petra firmata, dicente Domino Petro, Quodcunque ligaueris, &c. Quicunque igitur huic potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit: nisi duo (sicut Manichæus) fingat esse principia. quod falsum, & hæreticum iudicamus: quia testante Moyse, Non in principijs, sed in principio cælum Deus creauit, & terram. Porrò subesse Romano Pontifici (inquit ipse) omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, diffinimus, & pronuntiamus, omnino esse de necesitate salutis.

Luc. 18.

Bonifac. octa.

De uotis. Art. XXV.

NON contentus Annas Burgensis sacerdotum damnasse cælibatum, uoluit & monachorum uota, & id genus alia tolli ab Ecclesia, tanquam imposibilia, & Deo contraria. Huius erroris primi inuentores fuere Lamperiani, à quodā Lamperio (uti refert Damascenus in lib. Centum hæresum) sic appellati: qui insimul uiuere, & in cœnobijs conuersare concedebant quidem, sed omnia uota, quæcunque fuerint prorsus auferebant: dicentes, Non enim ex necesitate facere aliquid Christianum debemus, sed uoluntariè: quoniam scriptū est. Voluntariè sacrificabo tibi. Deinde post multum temporis insurrexerunt Pseudoapostoli: de quibus ait Tertullia. in li. de præscriptionib. hæreticorum. Qui Pseudoapostoli, nisi adulteri Euangelizatores? Hi etenim diuersorū errorū seminatores fuerunt, quemadmodū Guido in lib. hęresum refert: inter quas hæc

Damasc.

Tertull.

Guido.

hæc una erat, quòd uota damnabant omnia: dicentes, opera illa, quæ sine uoto fiunt, esse ad maius præmiū destinata, quàm illa, quę ex uoti necessitate celebrantur. Hanc hæresim secutus Ioan. Vuicleffus dicebat, uti habetur in articulis suis, præcipue. 21. à Concilio Constantiensi damnatis. Si quis ingreditur religionem priuatam qualencunque, redditur ineptior, & inhabilior ad obseruantiam mandatorum Dei. Et 23. Religiosi uiuentes in religionibus priuatis, non sunt de religione Christiana. Martinus uerò Lutherus, quem in hoc tutatus est Brenzius, asserebat, Vota hodie non ualere, nisi ad operum iactantiam, & præsumptionem: quapropter illa uim obligandi non habere affirmabat. Cuius etiam opinionem sequuti sunt. Andreas Carolostadius, & Bucerus dicentes, Post uotum continentiæ, ad nuptias conuerti, peccatum non esse. Et hanc hæresim ultimatè amplexatus est Burgensis dicens. *Illud quod sine uerbo, ac mandato Dei, aut contra eius uerbum præstitum est, cuiusmodi sunt uota tùm monastica, tùm alia generis eiusdem, quæ impossibilia quædam, & uerbo Domini contraria continent, uim obligandi non habere, ac proinde piè, ac religiosè negligi, ac pro nihilo haberi posse. In promissionibus enim turpibus, & uotis ineptis, fideles, & prudentes homines mutare consilium debent.* O linguam impudentissimam, bonum malum asserentem, & malum bonum affirmantem. Qua ratione hæc illa audes concipere, atque proferre, cum oppositum luce clarius elucescat? Quod ex sacris literis ostendere decreui. Et primò illa ipsa tum monastica uota, tum eiusdem generis alia, turpia, & inepta non esse, neque impossibilia, nec Dei uerbo contraria, sed ipsi consona: deinde eadem simul emissa uim obligandi habere, & ex consequenti opere complenda esse: & non ad uniuscuiusque arbitrium, atque beneplacitum auferri posse: ac proinde irreligiosè, impieque, pro nihilo illa haberi, atque negligi. ultimò, opera ex uoto facta in maius ipsius operãtis cedere bonum, quàm si liberè, & absq; uoti necessitate fuissent effecta. Ad primæ autem partis corroborationem, adest ipsius Christi uita: eiusdemque doctrina, adsunt & omnium scripturarum dogmata. Et ut ista magis clarefiant, quid uotum sit, nec non & in quibus uota consistant monastica, prius est describendū. Votum enim nil aliud est, quàm alicuius oblationis promissio, uoluntariè, & determinatè Deo facta. Quod autem sit promissio, ostendit Ecclesiastes. 5. dicens. Si quid uouisti

Quid uotum sit.

Eccle. 5.

uisti Deo; ne moreris reddere. displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. Item, Multoq; melius est non uouere, quàm post uotum promissa non reddere. Et quòd uoluntariè fieri de-
Psal. 41. di stin. 38. beat, docet Propheta in Psal. dicens. Voluntariè sacrificabo ti bi. Vnde & Magister Sententiarum 38. dist. 41. Votum est testificatio quędam promissionis spontaneę, quæ Deo, & de his, quę Dei sunt, propriè fieri debet. Hæ uerò promissiones quandoq; per solam interiorem cogitationem tantum fiunt: quia, ut di-
1. Reg. 16. citur. 1. Regum. 16. Homo uidet ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Quandoq; autem per uerba exprimuntur uocalia, quemadmodum fit & in orationibus. Et hoc ad maiorem
Psal. 65. sui ipsius excitationem, iuxta illud Prophetæ. Reddam tibi uota mea, quę distinxerunt labia mea. Quandoq; demum ita huiusmodi promissiones per uerba exprimuntur externa, quòd non sine testium proferuntur pręsentia, ut non solum quis à fractione uoti ob Dei timorem desistat, sed etiam propter homi
41. dist. 38 num reuerentiam. Vnde Magister sententiarum, loco ut supra, de uotis particularibus loquens ait. Singulare uotum aliud est priuatum, aliud solemne. priuatum in abscondito factum: solemne uerò in conspectu Ecclesiæ factum. Et hoc ultimo modo, uota celebrantur monastica, quæ in contemptus mundi, præcipuè triplicis ipsius concupiscentię, libertatis, carnis, atq; diui-
Chrus tria uota monastica dupliciter nos docuit, facto & uerbo. tiarum, promissione cõsistunt: quorum loco huiusmodi homines uouentes, obedientiam, castitatem, & paupertatem amplectuntur, quoniam hæc uelut quædam antidota salutifera sunt aduersus tria illa, quæ mundus propinat, uenena. Et hoc ad Dominum nostrum Iesum Christum imitandum, qui in hunc ueniens mundum omnia, quę ipsius sunt, contemptui habere; & fa-
Facto. cto, & uerbo, nobis omnibus suis demonstrauit fidelibus. Fa-
August. cto siquidem, quia, ut ait Augustinus in lib. de cathechizandis rudibus, Omnia bona terrena contẽpsit homo factus Dominus Iesus, ut contemnenda monstraret, & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinẽda præcipiebat: ut neq; in illis quæreretur felicitas, neq; in istis infelicitas timeretur, Natus enim de matre (quæ quamuis à uiro intacta ipsum conceperit, semper tamen uirgo permãsit) omnem typũ carnalis fomitis in se prorsus extinxit, Et ubi natus? in ciuitate Betlehem, quę inter omnes Iudæ ciuitatis erat exigua, ut quenlibet de terrenę ciuitatis sublimitate non gloriari doceret. Pauper factus est, cuius sunt omnia

nia, & per quem facta ſunt cuncta, ita quòd cuidam eum ſequi cupienti dicebat. Vulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos: Matth. 8. filius autẽ hominis non habet, ubi caput reclinet. Super quibus uerbis ait Hierony. Quid me propter diuitias, & ſeculi lucra, cupis ſequi, cũ tantæ ſim paupertatis, ut nec hoſpitiolũ quidem Hieron. habeam, & tecto utar non meo? Et hoc, ne quiſquã, cum in eum credere optaret, de terrenis diuitijs auderet extolli. Noluit rex ab hominibus fieri, ut humilitatis oſtenderet uiam. Eſuriuit, Ioan. 6. qui omnes paſcit. Sitiuit, per quẽ omnibus potus creatur. Venit Matth. 11. enim filius hominis manducans, & bibens. Ab itinere defatigatus eſt, qui ſe ipſum nobis uiam præbuit in cælũ. Crucifixus eſt, Ioan. 4. qui cruciatus noſtros finiuit. Nudus mortuus eſt, qui mortuos ſuſcitauit, & illis ueſtem immortalitatis præparauit. Et in alieno ſepulchro eſt tumulatus, qui omnibus alijs loca parauit. Si- Ioan. 14. militer obedientiam ipſe Chriſtus exhibuit, qui humiliauit ſemetipſum, factus obediẽs uſq; ad mortẽ, mortem autem crucis. Philip. 2. In his enim, quæ hominis erãt, nedum matri, ſed & Ioſeph tanquam patri adoptiuo, ſiue educatiuo, uel putatiuo, ſemper parebat. De quo ait Luc. 2. Deſcẽdit, & erat ſubditus illis, ſcilicet pa- Luc. 2. rentibus. In his uerò, quæ Patris cæleſtis erant, ſemper Patri obediens fuit. Ideo apud Lucam. 2. dicebat. Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? & Ioan. 6. Deſcendi de cælo, non ut faciam uoluntatẽ meam, ſed uoluntatẽ eius, Ioan. 6. qui miſit me. Et apud Lucam. 22. Pater, ſi uis, transfer calicem Luc. 22. iſtum à me: ueruntamen non mea uoluntas, ſed tua fiat. Hæc eadem & in uerbis docuit, ut ab ipſo addiſceremus primò facere, deinde docere. Exemplum. n. dedi uobis, inquit ipſe Chriſtus, ut quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis. Nam in ſuæ prædicationis exordio, non aliqua regna terrena, ſicut in ueteri Teſtamento, ſed regnum cælorum pœnitẽtibus eſt pollicitus, & diſcipulis primam beatitudinem in ſpiritus paupertate cõſtituit dicens. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnũ cælorum. Item inueni iter perfectionis quærenti ait. Si uis perfectus eſſe; uade, & uende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & ueni, & ſequere me, & habebis theſaurum in cælo. Item ſub finem. 19. Matthæi, ad diſcipulos ſuos pariter dixit. Omnis, qui reliquerit domum, uel fratres, a ut ſorores, aut patrẽ, aut matrẽ, aut uxorẽ, aut filios, aut agros, propter nomen meũ, centuplum accipiet, & uitam æternam poſsidebit. Et apud

Et uerbo hæc eadẽ docuit, & primo paupertatem. Ioan. 13. Matth. 5. Matth. 19. & Mar. 10 & Luc. 18 Matth. 19

Mar. 10. Marcum. 10. Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Euangeliũ: qui non accipiet centies tantũ nunc in tempore hoc: domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſeculo futuro uitam æternam. Et apud Lucam 18. Nemo eſt, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in futuro ſeculo uitam æternam. Super quibus uerbis ait Cyrillus. Hoc ergo dicimus, quòd omiſsis temporalibus, & carnalibus, multò maiora ſibi aliquis uendicabit: quoniam & Apoſtoli cum pauca dimiſerint, obtinuerunt multiplicia dona chariſmatum, & celebres reputati ſunt ubique. Erimus ergo ſimiles illis. Si domum quis dimittet, recipiet manſiones ſuper nos. Si patrem, habebit cæleſtem. Si à germanis receſſerit, in fratrem hunc recipiet Chriſtus. Cum dimiſerit coniugem, inueniet diuinam ſapientiam, à qua procreabit ſpirituales fructus. Si matrem, inueniet Hieruſalem cæleſtem, quæ eſt mater noſtra. A fratribus etiam, & à ſororibus ſui propoſiti, glutine ſpiritali colligatis, multo in hac uita gratioſiorem recipiet charitatem. Hanc autem rerum temporalium renuntiationem, abdicationemq́;, non præcepit, ſed conſuluit Chriſtus, ne nobis in uia Dei ſint impedimento: quia diues, ut ait Chriſtus, Matth. 19. difficile intrabit in regnũ cælorum. Quam propterea paupertatis uiã, eius diſcipuli ſunt ſecuti, tanquam temporaliter nihil habentes, & ſpirituali uirtute omnia poſsidentes. Solis enim alimentis, & quibus tegebantur, erant contenti: quia (ut ait & Chryſoſtomus, ſuper illis uerbis apud Matth. 4. poſitis, de Petro, & Andrea loquens, At illi relictis retibus, ſecuti ſunt eum,) Nemo poteſt terrena poſsidere, & perfecte ad cæleſtia peruenire. Vnde Petrus omnium Apoſtolorum uice, ſe temporalia omnia reliquiſſe, Chriſto uolens oſtendere, aiebat Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Ieſus autem ait illis. Amen dico uobis, quòd uos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, in regeneratione, cũ ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos, ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Non negamus autem, bonum eſſe facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare, ſed (ut teſtatur Tertul. in defi. Eccleſiaſt. dogm. cap. 71.) melius

Marginalia: Luc. 18. — Cyril. — Matth. 19. — Chryſoſt. — Matth. 19. — Tertullia.

dicimus eſſe pro intentione ſequendi Dominum inſimul donare, & abſolutum ſolicitudine cum Chriſto egere. Quod & Hieronymus par.3.epiſtola.41.ca.19. in reg.Mona.approbat dicens. Quod aſſeris eas melius facere, qui utuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſsionum pauperibus diuidunt, quàm illas, qui poſſeſsionibus uenditis, ſemel omnia largiuntur; non à me, ſed à Domino, reſpondetur, Si uis perfectus eſſe, uade, & uende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Hanc quoque paupertatem laudat & Chryſoſtom. Homil.11.ſuper epiſtolam ad Hebræo. Sſed obedientiam commendauit etiam Chriſtus dicens. Si quis uult uenire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Super quibus uerbis ait Chryſoſtomus. Vide, quòd non coactiuum facit ſermonem: non enim dixit. Si uolueritis, oportet uos hæc pati: ſed ſi quis uult. Hoc autem, dicens magis attrahebat. Qui enim libertati auditorem dimittit, magis attrahit. Qui uerò uiolentiam infert, multoties impedit. Non autem ſolis diſcipulis, ſed & commune hoc dogma orbi terrarum proponit dicens. Si quis uult, id eſt, Si mulier, ſi uir, ſi Rex, ſi ſeruus. Item diſcipulo illi patris ſepulturam Chriſti diſcipulatui præponenti, quid dicebat Chriſtus? Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Super quibus uerbis ait Auguſt. de uerbis Domini. Dominus autem, quando parat homines Euangelio, nullam executionem uult interponi carnalis huius, temporaliſque pietatis: & ideo ſequitur. Ieſus autem dixit ei. Sequere me. &c. Hoc etiam deſcribens Lucas.9. ſic ait. Dixitque ei Ieſus. Sine, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem uade, & annuntia uerbum Dei. Ecce, quomodo apertè Chriſtus fecit illum diſcipulum propriam abnegare uoluntatem. Cupiebat enim bonus ille diſcipulus, primò ex affectu filiali, ſuum ſepelire patrem, ut liberior Chriſti aſſequi poſſet diſcipulatum: ſed hoc facere Chriſtus prohibuit, ut non ſuam diſceret, ſed ſuperiorum facere uoluntatem. Non enim paterni funeris ſepultura prohibetur, ut eo in loco ait Ambroſius; ſed neceſsitudini generis diuinæ religionis pietas antefertur. Hanc pariter obedientiam extollebat & Eccleſiaſticus.3. dicens. Filij ſapientiæ Eccleſia iuſtorum: & natio illorum, obedientia, & dilectio. Item Prouerb. 21. Vir obediens loquetur uictorias. Hanc ſanctam obedientiæ uirtutem ſummopere ample-

Hieron. Chryſoſt Matth 16 obediētia commendatur. Chryſoſt. Matth.8. Auguſt. Luc.9. Ambroſ. Eccleſi.3. Prouer.21

xati sunt Apostoli: cuius gratia omni humana, & carnali uoluntate relicta, ad solam Christi uocem, secuti sunt eum. Nam
Matth 4. Matth. 4. dicente Domino Andreæ, & Petro, Venite post me, & faciam uos fieri piscatores hominum; illi continuò relictis retibus, secuti sunt eum. Similiter & filij Zebedei, Iacobus uidelicet, & Ioan. Quo in loco ait Chryso. in homil. 14. Vocando autem, nihil eis promisit, sicut prioribus. Obedientia. n. eorum,
Chrysost. qui præuenerant, uiam eis præparauerant ad credendum: sed & multa de ipso audierant, scilicet tanquam familiares, & consanguinitate coniuncti. Eodem pari modo secuti sunt Christum & reliqui. Cui in omnibus semper obedientes fuerunt, etiam quando illos misit binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, sicut agnos inter lupos, sine sacculo, & absq; pera, & sine calceamentis. Et hanc in nobis obedientiam quoq; commendarunt. Paulus enim Philippenses propterea laudabat dicens. Itaque charissimi mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu, & tremore uestrã salutẽ operamini. Et hoc ideo dicebat, quia per obedientiã intelligitur omnis uirtus: quia ex hoc est homo iustus, quòd mãdata Dei custodit. Rom. 6. Serui estis eius, cui obedistis, siue peccati ad mortẽ, siue obeditionis ad iustitiam, &c. Item. Omne bonum, quãtuncunq; per se sit bonum, per obedientiam redditur melius: & ratio est, quia obedientia inter alias uirtutes est maxima. Nã offerre de rebus exterioribus est magnum: sed maius, si de corpore: maximum autẽ, si de anima, & uoluntate tua, quòd fit per obedientiã. Ideo dicebat Samuel. 1. Reg. 16. Melior est obediẽtia, quàm uictima. Cuius rei rationẽ assignat ibidẽ Glossa dicẽs. Quia in uictimis aliena caro, in obedientia uoluntas propria mactatur, & offertur.

Luc. 10. Philip. 2. Rom. 6. 1. Reg. 16. Glossa.

De castitate. Matth. 19.

Castitatẽ pariter consuluit Christus superius apud Math. 19. & apud Luc. 18. dicẽs. Omnis, qui reliquerit inter alia uxorẽ, centuplum accipiet, & uitã æternã possidebit. Itẽ ait. Sunt. n. Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hoĩbus: & sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerũt propter regnũ cælorũ. Qui potest capere, capiat. Super quibus uerbis ait Hieron. Triplex ergo genus Eunuchorũ posuit: quorũ duo sunt carnales, & tertij spirituales. Alij. n. sunt, qui de utero matris sic nascuntur, alij quos uel captiuitas facit, uel deliciæ matronales, tertij sunt, qui se ipsos castrauerũt propter regnũ cælorũ: &

Hieron.

qui

qui cũ poſsint eſſe uiri,propter Chriſtũ Eunuchi fiunt; iſtis promittitur præmiũ. Superioribus autem, quibus neceſsitas caſtimonia eſt, non uoluntas; nihil omnino debetur. Et Hilarius. In uno.n.eorũ poſuit naturã,ſcilicet in eo, qui naſcitur. In altero neceſsitatẽ,ſcilicet in eo, qui factus eſt. In tertio uoluntatẽ,qui ſcilicet ſpe regni cęleſtis talis eſſe decreuit. Hi aũt,quia propter regnũ cęleſte Eunuchi fiũt,in duplici ſunt differẽtia, Alij à principio uirginitatẽ ſemper cõſeruando, alij poſt aliquod tẽporis, continentiã profitẽtur. At primio res Chriſtus præ ceteris magis diligit. Quãobrem & beata uirgo Maria,ipſius Chriſti mater fieri digne meruit. Quod & Aug.in li.de ſancta uirginitate c.4.de ipſa loquẽs,oſtẽdit dicẽs. Ipſa quoq; uirginitas eius gratior,& acceptior: quia nõ ea cõceptus Chriſtus uiro uiolaturo, quã cũſeruaret ipſe,pręripuit, ſed priuſquã cõciperetur,iã Deo dicatã,de qua naſceretur,elegit. Hoc indicãt uerba,quæ ſibi fœtum annũciãti Angelo Maria reddidit. Qũo, inquit, fiet iſtud, quoniã uirũ non cognoſco? Quod profecto nõ diceret, niſi Deo uirginitatẽ uouiſſet. Et Ioan. Euang. inter Apoſtolos peculiariter à Chriſto diligebatur. qua de re nõ immerito gloriabatur, cũ dicebat. 19. Cum uidiſſet ergo Ieſus matrẽ, & diſcipulũ ſtantẽ, quẽ diligebat, dixit matri ſuę. Mulier, ecce filius tuus. Deinde aũt dixit diſcipulo, ecce mater tua. Super quibus uerbis ait Chryſoſt. Papè, quãto diſcipulũ honorauit honore, ſed ipſe ſeipſum occultat moderatè ſapiens. Si.n.uellet gloriari,& cauſam utiq; adieciſſet, propter quã amabatur. Etenim conueniens eſt magnã quandã,& mirabilẽ eſſe cauſam. Quæ aũt hæc cauſa fuerit; oſtẽdit Beda ſuper ijſdẽ uerbis dicens. Dilectionis iudicio Euãgeliſta ſuã demõſtrat perſonã, nõ ꝙ exceptis ceteris ſolus, ſed præ cæteris familiarius propter priuilegiũ caſtitatis à Domino amabatur: quoniã uirgo ab eo uocatus; uirgo permãſit. Nã à nuptijs fuerat à Domino (teſte etiã Hieron.) adhuc uirgo, uocatus. Similiter & Paul. qui propterea in uas electionis à Domino meruit eligi, ut nomẽ Domini, corã gẽtibus,& regibus,& filijs Iſrael, prę alijs portaret,& pro ipſius noĩe ſuper alios, multò plura pateretur. quapropter & ipſe merito gloriabatur. 1. cor. 15 dicẽs. Ego.n.ſum minimus apoſtolorũ: qa nõ ſum dignus uocari Apoſt. qm̃ perſecutus ſum Eccleſiã dei. Gr̃a aũt dei ſum id quod ſum: & gr̃a eius in me uacua nõ fuit, ſed abundãtius illis oĩbus laboraui: nõ ego aũt, ſed gratia dei mecũ. q.d. licet ex me ſim

Hilar. August. Ioan. 14. Chryſoſt. Beda. Hieron. Act. 9. 1. Cor. 15.

minimus:tamen ex Dei gratia non sum:quia gratia Dei sum, id quod sum. alios in laboribus, afflictionibusq; propter Christũ superando:cum Apostolorum nullus tot persecutiones, & tribulationes passus fuerit, quemadmodum ipse Apostolus Paulus. 2.
2. Cor. 11 Cor. 11. de se enumerat. Qui & à Hierusalem usq; ad Illyricũ, & etiam usq; Hispaniam prædicauit, & annuntiauit Christum.
Rom. 15. Rom. 15. Qua de re ad Galatas. 2. Gloriabatur quoq; nõ in uanum
Gal. 2. cucurrisse. Et hæc omnia, Dei gratia, quæ superabundauit
1. Tim. 1. in ipso, iuxta illud. 1. Tim. 1. Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus. sed misericordia Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate, superabundauit autem gratia Domini nostri. &c. Et talis fuit in ipso gratia, quòd confi-
Gal. 2. denter diceret ad Galat. 2. Viuo ego, iam non ego: uiuit uerò in me Christus. Et unde hoc, ut tanti se faceret Apostolus apud Christum? nisi quia castitatis priuilegio erat decoratus? quod ostendit. 1. Cor. 7. dicens. Volo autem omnes ho-
1. Cor. 7. mines esse, sicut meipsum. Sed unusquisq; proprium donum habet ex eo: alius quidem sic, alius uero sic. Dico autem non non nuptis, & uiduis, bonum est illis, si sic permanserint, si-
Hieron. cut & ego. Vnde Hieronymus ad Eustochium. Non sunt audiendi, qui Paulum uxorem habuisse confingunt: cum de continentia disserens, & suadens, perpetuam castitatem intulerit. Volo autem omnes homines esse, sicut meipsum. &c. Item
Ambros. Ambrosius in 2. Corin. cap. 11. Omnes Apostoli, exceptis Ioanne, & Paulo uxorem habuerunt. Sunt tamen nonnulli, qui alterius sunt opinionis, dicentes & reliquos Apostolos, Petro
Hieron. excepto, uxores nõ duxisse. Hieron. aduersus Iouin. lib. 1. Quã quàm excepto Apostolo Petro, nõ sit manifestè relatum de alijs Apostolis, quòd uxores habuerint: & cum de uno scriptum sit, ac de ceteris tacitum; intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse. Verùm sit quomodocunque, siue uxores duxerint, uel non, ante Apostolatum, hoc unum certum est, ad Apostola-
1. Cor. 7. tum uocatos, Pauli dicto se conformes effecisse. ubi ait. Qui habent uxores, tanquam non habentes sint: se ab omni uinculo coniugij abstinendo, atque continentiam seruando: alioquin non omnia reliquissent. Nam inter alia, quæ à sequentibus Christum, sunt huic mundo relinquenda, hoc unum est, se ab omni muliere abstinere, uti superius dicebat Christus. Omnis, qui reliquerit, non solum domum, parentes,

agros

agros, uerum & uxorem, propter Christum, uitam consequetur æternam. Quod bifariam fieri potest à libero non nubendo, à ligàto carnalem uxoris affectum relinquendo, iuxta illud Apostoli. Qui habent uxores, tanquam non habentes, sint: hoc est uel ab uxore debitum non exigendo, uel pari affectu continentiam custodiendo. Sic & ceteri Apostoli fecerunt, qui non hoc, uel illud tantum propter Christum, sed uniuersaliter omnia, nō solum diuitias, uerum parentes, & uxores (qui habuerunt) reliquerunt. Quod demonstrat id, quod per os Petri ad Christum est prolatum. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Vnde Hieronymus contra Iouinianum, lib. 1. cap. 14. Apostoli habuerunt quidem uxores, sed quas eo tempore acceperant, quando Euangelium nesciebant. Qui assumpti postea in Apostolatū, relinquunt officium cōiugale. Ex quorum persona ait Petrus. Ecce nos reliquimus omnia. Si omnia reliquerunt, uxores utiq; reliquerunt. Ideo & ipsos secundariò dilexit Christus. Ad quod etiam prosequendum Apostolus Paulus maxima motus charitate, gratia cuius & anathema cupiebat pro fratribus fieri, omnes ad sui imitationem hortatur dicens. Volo autē omnes homines esse sicut meipsum, &c. Dico autem non nuptis & uiduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego. Et in Act. 26. ad Agrippam. Opto apud Deū & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis uinculis his. Item 1. Corin. 4. Rogo ergo uos imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Idem habetur & 11. cap. eiusdem epistolæ. Idem pariter ad Philippenses 3. Hoc autem non per modū præcepti uolebat, sed per modum consilij Apostolus cupiebat. Quod & ad ipsos Corinth. 7. 1. ostendit dicens. De uirginibus autem præceptūm Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instātem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse, &c. Deinde in fine. Qui matrimonio iungit uirginem suam, benefacit: & qui non iungit, melius facit. Mulier est alligata legi, quanto tempore uir eius uiuit. quòd si dormierit uir eius; liberata est: cui autem uult, nubat: tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto autē, quòd & ego Spititum Dei habeam. Non absque ratione ad uirginitatem, uel

Marginalia: Hieron. — Rom. 9. — 1. Cor. 7. — Act. 26. — 1. Cor. 4. & 11. — Philip. 3. — 1. Cor. 7.

uel continentiam conseruandam, consilium dat Apostolus, sed propter melius, quod multipliciter ostenditur. Primò sicut sal omnia illa, quibus apponitur, à corruptione conseruat; ita uirginitas carnis mundiciam conseruat: iuxta illud Apocalypsis 14. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: uirgines.n. sunt. Secundò, quia animam ornat, iuxta illud Sap.4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate. Et Cant.4. Tota pulchra es amica mea. Tertiò, quia ceteris præponderat statibus. Ecclesiastici 26. Non est digna ponderatio animæ continentis. Quartò, quia odorem bonæ famæ spirat. Luc.1. Et nomen Virginis Maria. & Cant.2. Sicut lilium inter spinas; sic amica mea inter filias. Quintò, quia per illam ad æternas inuitamur nuptias. Matth.25. Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. Sextò, quia per ipsam Domino Deo approximamus, & iungimur, iuxta illud Sapien.6. Incorruptio facit proximum Deo. Et Hierem.3. Dux uirginitatis meæ tu es. Et Apocal.14. Hi sequuntur agnum, quocunque ierit. Septimò, quia Angelis Dei assimilatur uirginitas: quemadmodum ait hic & Glossa. Ideo & Christus apud Matth.22. dicebat. In resurrectione neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei. Vnde Tertullian. lib.1. ad uxorem in principio. Et Hieronym. in sermone de assumptione beatæ Virginis Mariæ aiunt. Semper est Angelis cognata uirginitas. Vltimò, quia Christo nos desponsat. 2. Corin.11. Despondi enim uos uni uiro, uirginem castam exhibere Christo. De quo cum Christo sponsalicio, satisq;, superius dictum est, cum de sacerdotum cęlibatu sermo habebatur. Ecce quantum uirginitas, & continentia extollitur, atq; laudatur, & quantum Dei uerbo est similis, & Apostoli consilio uniformis. Ideo & Hieronym. lib.1. contra Iouinianum ca.7. part.1. super illis uerbis Christi, Alij sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum Dei, quis potest capere, capiat, ait. Proponit præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu uirginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamitat. Qui sitit, ueniat ad me, & bibat: qui potest capere, capiat. Non dicit uelitis, nolitis, bibendum est uobis, atq; currendum: sed qui uoluerit, qui potuerit currere, atq; portare, ille uincet, ille satiabitur. Et ideo plus amat uirgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum. Et Origen. in Lucam Homil.17. Bonum est, & primum, si qua potest uirginitatis gratiam

Apoc. 14. Sap. 4. Cant. 4. Ecclesi. 26 Luc. 1. Cant. 2. Matt. 25. Sap. 6. Hiere. 3. Apoc. 14. Matt. 22. Tertul. Hieron. 2. Cor. 11. Hieron. Origen.

tiam poſsidere. Si autem hoc non potuerit, ſed euenerit ei, ut perdat uirum, uidua perſeueret. Quod quidem non ſolum poſt mortem uiri, ſed etiam cum ille uiuit, debet habere in animo, ut etiam ſi non euenerit, uoluntas ipſius, & propoſitum à Domino coronetur, & dicat. Hoc noueo, atq; promitto, ſi mihi humanum aliquid, quod non opto, contigerit; nihil aliud faciam, q̃ incontaminata, uiduaq; perſeuerem. Propter has itaq; rationes, multi Sancti, & Sanctæ Dei, uirginitatis caſtimoniam, ab Apoſtolorum tempore incipiendo, Deo conſecrarunt. Nam primò omnes uiduæ, quæ ab Eccleſia alebantur, caſtitatem profitebantur, uti inferius manifeſtabitur. Ad cuius etiam confirmationem aiunt. Ambr. Chryſoſt. & Theophil. Viduæ de communi ſtipe alitæ uotum caſtitatis emiſerunt: quam fidem quędam irritam fecerunt nubentes, & damnationem ſecum habentes. Et Paulus Teclam in Iconio, Matthæus Iphigeniam, Regis Aethiopiæ filiam, cum multis uirginibus, & Martialis Domini diſcipulus, Valeriam uirginem apud Lemonicas, ſancti uelaminis impoſitione Deo conſecrarunt. Deinde Clemens Domicillam uirginem ſacro uelo Romæ pariter dicitur conſecraſſe. Et Ignatius in epiſtola ad Tarſenſes ſimilium meminit dicẽs. Eas, quę in uirginitate ſunt, honorate ſicut ſacras Chriſti: uiduas pudicas ut ſacrarium Dei ueneramini. Tertull. uerò pariter de uelandis uirginib. ſcripſit. Et Ambr. de inſtit. uirg. cap. 17. Virgines, inquit, cum ſe Deo dicabant, publicè a ſacerdote ipſas uelante conſecrabãtur benedictione, certiſq; uerbis ritè prolatis ab eo, uniuerſoq; populo teſte reſpõdente, & acclamante. Amẽ. Et Aug. li. 1. de morib. Eccleſiæ, c. 31. Hæc eſt etiã uita feminarũ Deo ſolicite, caſteq; ſeruientium, quę habitaculis ſegregatæ, ac remotæ à uiris quàm longiſsimè decet, pia tantũ illis charitate iungũtur, & imitatione uirtutis, ad quas iuuenũ nullus acceſſus eſt, neq; quãuis grauiſsimorum, & probatiſsimorũ ſenum, niſi uſque ad ueſtibulũ neceſſaria præbendi, quibus indigẽt, gratia.

Ambr. & Chryſ. & Teophil.

Ignat.

Tertull.

Ambro.

Auguſt.

Quàm plurimi uerò, & aliorum Chriſti fidelium nõ tantum caſtitatem, uerum & obedientiam, & paupertatẽ, inſimul cohabitantes in primitiua Eccleſia, Apoſtolorum exemplo ſe conſecrarunt Deo. Quorũ nunc exẽpla uota dicuntur monaſtica. Nã & tẽpore Apoſtolorum erant in Hieruſalẽ habitantes uiri religioſi ex omni natione, q̃ ſub cælo eſt. quod quidem religioſi uerbum, ad denotãdum ab alijs diſcrimẽ, exprimitur: quod in cõmuni

Act. 2.

muni uictu, & obedientia, cum uirginitatis obseruantia consistit. Similes enim religiosi uiri, suis bonis uenditis, eorū pretia
Act. 4. ad Apostolorum pedes deferebant: quæ singulis, prout opus erat, diuidebantur. Nec quisquam eorum, quę possidebat, suū aliquid esse dicebat: quia omnia illis erant communia. In cuius rei testimonium Ananias, & Saphira in eorum societatem ingressi, & sancto mentientes Spiritui, reseruantes partem pretij, in pœnam ad uocem Petri corruerunt mortui. potuissent quidem ne dum partem, sed integrum agri pretium sibi reseruare, nisi propria uoluntate uiris religiosis uoluissent annumerari, qui sibi nihil reseruabant proprij.
Act. 5. Act. 5. Vir autem quidā nomine Ananias, cum Saphira uxore sua uendidit agrum, & defraudauit de pretio agri, conscia uxore sua, & afferens partē quandam, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus ad Ananiam. Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & uenundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc uerba cecidit, & expirauit.
Hieron. Similiter & post paululum & uxor eius Saphira. Et Hieronymus lib. 2. cap. 39. contra Iouinianum, ait, Marcum Euangelistam in Aegypti hæremo monachos instituisse, quibus aqua potus, panis cum sale, & hysopo, cibus fuerat. Dicit quoq; Philo
Hist. trip. Pithagoricus, ut habetur in hist. trip. lib. 1. cap. 11. de quibusdam Hebręis Christianis; eos cedere omnibus sibi competentibus rebus, cunctisq; abrenuntiare permissionibus, & extra muros in solitarijs agris, & hortis inhabitare. Domos autem eis esse sacraria, quæ apud nos monasteria nuncupantur, & in eis conuersatione solitaria, honesta celebrare mysteria, diligenterq; psalmis, & hymnis placare diuinitatem: & ante Solis occasum non gustare cibum, alios autem per tres dies, & amplius: certisq; diebus in pauimento habere cubilia: uino semper, & sanguinem habentibus abstinere: cibum eum esse pa-
Euseb. nis, & salis, & hysopi, & potum aquæ. Item Eusebius in hist. Ecclesiastica, lib. 2. cap. 17. de discipulis primæuis loquens ait, ꝙ renunciabant cunctis facultatibus suis, & bonis suis cedebant: tum deinde, quòd omnes etiam uitæ solicitudines procul abiiciebant, & extra urbem egressi, hortulis, uel exiguis quibusq; agellis degebant, refugientes imparis propositi consortia,

tia, & uitæ diſsimilis contubernia. Horum uitam, mores, & profeſsionem quàm optimè deſcribit Apoſtoli Pauli diſcipulus Dionyſius ille Areopagita in lib. Eccleſ. hierarch. cap. 6. part. 1. dicens. Porrò initiandorum omnium excellentior, ac ſublimior ordo, monachorum, eſt ſancta diſtinctio, expiatione omni, tota uirtute, atq; exactiſsima ſuarum operationum caſtitate mundatà: omnis item, quantam ſibi licet inſpicere, ſacræ operationis ſpiritaliter ſpeculatrix, & particeps facta, Pontificumq; conſummantibus uirtutibus tradita: quorum diuinis fulgoribus, & Pontificalibus traditionibus, conſpecta pro ordine ſuo ſanctorum myſteriorum ſacrificia ediſcens, à ſacra eorum ſcientia, ad exactiſsimam perfectionem, diuina ratione ſubuehitur. Vnde ſancti præceptores noſtri, diuinis eos appellationibus ſunt proſecuti, partim therapeutas, id eſt cultores à ſincero Dei famulatu, atque cultu, partim monachos, ab indiuidua, & ſingulari uita appellantes: utque illos ſanctis diuiſibilium complicationibus, in diuinam & Deo gratam monadem, perfectionemq; promoueat; idcirco & perficientem eis indulſit gratiam diuina ſanctio, eosq; conſecrante quadam inuocatione dignata eſt, non Pontificali quidem (illa enim ſolis in ſacerdotalibus ordinibus fit) ſed ſacerdotali planè, & quę ab honeſtiſsimis ſacerdotibus ſecũdo in loco à Pontificali functione peragitur. Deinde ibidem part. 2. illius conſecratiuæ inuocationis, & monaſticæ profeſsionis formam deſcribens ait. Stat quidem ſacerdos ante ſacrum altare, monaſticam imprecationem pſallens. Ille autem poſt ſacerdotem aſtat, non utrunque ponens genu, non alterum, non habens impoſita ſacra eloquia capiti, uerum ſolum ſacerdoti aſtans myſticam ſuper illum inuocationem proſequenti. Ea uerò finita, ſacerdos ad eum accedens interrogat primum, an renuntiet diuiſibilibus omnibus non ſolum uitis, uerum imaginibus quoque, ac phantaſiis. Deinde exponit illi perfectiſsimã uitam, illud aperte conteſtans, oportere illum medio longe antecellere. Vbi uerò ille iſta omnia intentè promiſerit, conſignans eum crucis ſigno ſacerdos tondet, trinas diuinæ beatitudinis perſonas inclamans, exutumq; ueſte omni, aliam induit, & cum ſanctis alijs, qui aſtant, uiris, ipſum ſalutans diuinorum myſteriorum participem efficit. Horum etiam idem ipſe Dionyſius in epiſtola 8. ad Demophilum monachum ſcripta, in qua eos Dei cultores

Dionyſ. Areop.

August. uocat, mentionem facit. Et Augustin. lib. 1. de morib. Ecclesiæ ca. 31. de monachis in Oriente, & in Aegypto sermonẽ faciens sic ait. Quis non illos miretur, & prædicet, qui contemptis, atque desertis mundi huius illecebris, ad communẽ uitã castissimam, sanctissimamq; congregati, simul ętatem agunt, uiuentes in orationibus, & lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla pertinacia turbulenti, nulla inuidia liuidi, sed modesti, uerecundi, pacati, concordissimam uitã, & intentissimam in Deum, gratissimũ munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quicquam possidet proprium, nemo cuiquã onerosus est. Operãtur manibus ea, quibus & corpus pasci possit: opus autem suum tradunt eis, quos Decanos uocant. Conueniunt autem diei tempore extremo, de suis quisq; habitaculis, cum adhuc ieiuni sunt, ad audiendum suum patrem, & conueniunt ad singulos patres, qui non solum sanctissimis moribus, sed etiam diuina doctrina excellentissimi sunt, terna ut minimum hominum milia, nã etiam multo numerosiores sub uno

Hieron. agunt, &c. Simile describit & Hieron. in epist. 39 part. 3. ad Rusticum monachum: cuius uerba breuitatis gratia omittere di-

Chrysost. gnum duxi. Item Chrysost. aduersus monasticæ uitæ uituperatores ait. Nullus ibi in monasterio paupertatem exprobrat, nullus diuitijs honestior est. Vnde id, quod omnia peruertit, meũ, & tuum, penitus eliminatum, cuncta illis communia, mensæ, domus, indumentum, & omnia, ueluti & quadam libra, & regula cuncta diligentissimè sunt ordinata, nulla inæqualitas, ordo

Basilius. summus. Basilius etiam ille Magnus, uiris, mulieribusq; talem uiuendi modum dedit, illisq; regulam, ac normam ad hoc præscripsit. Deinde Benedictus, Hieron. Ambr. August. Dominicus, Franciscus, & alij quàm plurimi Sancti Dei, à Spiritu sancto inspirati, hunc uiuendi modum subsecuti sunt, & alios numero incredibili infinitos, tali dono induerunt, atq; ornarunt. Qui omnibus huius mundi bonis relictis, atq; postpositis, pura, ac sincera mente, Dominum nostrum Iesum Christum amplexati sunt: quod non fecissent, nisi Deo Patri, & Domino nostro Iesu Christo gratissimum, atq; acceptissimum esse cognouissent. Nõ igitur uota monastica, & id genus similia sunt impossibilia, neq; Dei uerbo contraria, sed cõsona, atq; gratissima.

De obligatione uotorum. Ad secundum tandem est accedendum, ubi ex canonicis pariter libris ostendetur, uota iam emissa, Dei uerbo correspondentia,

dentia, quemadmodum ſunt monaſtica, uim obligãdi habere, & ex conſequenti, opere eſſe complenda, & nõ ad uniuſcuiuſq; arbitrium (ſicuti Burgenſis uolebat) eſſe auferenda. Si.n.ſecundum honeſtatem ex qualibet promiſsione homo homini obligatur, & hæc eſt iuris naturalis obligatio; quãtò magis ex promiſsione facta Deo, homo ipſi Deo obligatur? Ideo dicebat Auguſt. ſuper pſal. 83. Si homini promiſſum, prętereius conſenſum, irritare non licet; quis tuta conſcientia, quod Deo uouit, tranſgredi præſumet? Deus autem, & ſi bonis uoſtris nõ egeat, uota tamen noſtra ei facta, impleri cupit, atque mandat: & hoc non ad ſuã, ſed ad noſtram utilitatem, quemadmodum inferius indicabitur. Nam 3. Num. habetur. Si quis uirorum uotum uouerit Dño, aut iuramento ſe conſtrinxerit, non faciet irritũ uerbum ſuum: ſed omne, quod promiſit, implebit. Item uidua, & repudiata, quicquid uouerit, reddet. Et Deut. 23. Cum uotũ voueris Domino Deo tuo; non tardabis reddere: quia requiret illud Dñs Deus tuus. Et ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſq; peccato eris. Itẽ. Quod ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis: & facies, ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria uoluntate, & ore tuo locutus es. Et rurſum Leuit. 27. Animal, quod immolari poteſt, ſi quis uouerit; ſanctum erit: & mutari nõ poterit, nec melius malo, nec peius bono. Et infra. Omne, quod Dño conſecratur, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, non ueniet, nec redimi poterit. Quicquid fuerit ſemel conſecratum, Sanctum ſanctorum erit Dño. Item ſapiens in Prouerb. 20. Ruina eſt homini deuotare Sanctos, & poſt uota retractare. Et Eccleſiaſtes 5. Si quid uouiſti Deo; ne moreris reddere. Diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſsio. Sed quodcunq; uoueris, redde. Multoq; melius eſt non uouere, q̃ poſt uotum promiſſa non reddere. Et Propheta in pſal. Vouete, & reddite, &c. Item Eſa. 29. In die illa colent eum hoſtijs, & muneribus, & uota uouebunt Domino, & ſoluẽt, & placabitur illis, & ſanabit eos. Ecce, quid iſtis clarius? Et ſi his non contentaretur quis; audiat Chriſtum dicentẽ diſcipulo, poſt uocationem petenti domum retrogredi, ut his, quæ domi erant, renuntiare poſſet. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Super quibus uerbis ait Cyrillus. Appoſuit manum aratro, qui affectuoſus eſt ad ſequendum: tamen reſpicit retro, qui dilationem petit

August. Num. 3. Deut. 23. Leuit. 27. Prou. 20. Eccleſiaſtes 5. Pſal. 75. Eſa. 29. Luc. 9. Cyrill.

occasione redeundi ad domum, & cum propinquis conferendi.
Beda. Et Venerabilis Beda. Si autem secuturus Dominum discipulus, quia uel domi renuntiare uelit, arguitur; quid fiet illis, qui nulla utilitatis gratia, sæpe uisitant domos illorum, quos in mundo reliquerunt. Si igitur isti propterea regno Dei no sunt apti, quantò minus erunt digni, qui ex toto retro se conuertuntur, 1.Timo.5. Satanam sequentes? De quibus bene dicebat Apostolus ad Timoth.5.1. Quædam conuersæ sunt retro post Satanam. Et tales per imitationem post Satanam uadunt. Qui de societate Angelorum apostatauit, uæ talibus. Mementote, & quid acciderit Gen.19. uxori Loth, quæ retro pariter respiciens, mortua est, & in salis Luc.17. columnã est conuersa. Quod & Christus apud Lucam 17. ad memoriam reducit dicens. Et qui in agro, similiter non redeat retro. Memores estote uxoris Loth. Super quibus uerbis ait August. August. in de.q. Euang. Et qui in agro, similiter non redeat retro, id est qui operatur in Ecclesia, sicut Paulus plantans, & sicut Apollo rigans, non respiciat spem secularem, cui renuntiauit. Ambros. Et Ambr. Memores estote uxoris Loth, quę ideo, quia retrospexit, perdidit naturæ suæ munus. Retro enim Satana, retro Sodoma. Quapropter fuge intẽperantiã, declinato luxuriã. Recordare, quia ille, qui se ueteribus studiis nõ reflexit; ideo euasit, quia peruenit ad mõtem. Illa, q̃ infirmior fuit, qm̃ ad posteriora respexit, nec mariti adiuta suffragio, ad montem peruenire potuit, sed remansit. Item ad uirginem lapsam cap.5. Non es memorata diei sanctæ resurrectionis, in quo diuino altari te obtulisti uelandam. In tanto itaque solenni conuentu Ecclesiæ Dei, inter limina illa splendida, inter cãdidatos regni cælestis, quasi regina regi nuptura processeras. Non es memorata, qualis allocutio facta est illa die ad te. Aspice filia, & intuere, & obliuiscere populum tuũ, & domum patris tui, & cõcupiscet rex decorẽ tuum: quia ipse est Dñs Deus tuus. Aspice ergo, quantus ad spõsi tui, & Dñi nuptias conuenerit populus: seruare te oportuit fidẽ, quã sub tantis testibus pollicita es: semper cogitare, cui uirginitatẽ spopõderis. Facilius te oportuit sanguinẽ cũ spiritu fundere, q̃ ꝑdere castitatẽ tuã. His tũc illo die cõsecrationis tuæ, dictis, & multis supra castitatẽ tuã ꝓconijs, sacro uelamine tecta es: ubi omnis populus dotẽ tuã subscribẽs, nõ atramento, sed spiritu, pariter clamauit. Amẽ. Vincor lachrymis, cũ hæc recordor, cõpungor stimulis cũ hæc exempla considero. Nam si inter decem testes confectis sponsalijs, nuptijs consummatis, quæuis

uiro femina coniuncta mortali, nõ ſine magno periculo perpetrat adulterium; quid putes fore, ſi inter innumerabiles teſtes Eccleſię, corã Angelis, exercitibus cæli, facta copula ſpiritalis per adulteriũ ſoluitur. Neſcio, an poſsit ei digna mors, aut pœna cogitari. Itẽ ferè & Apoſt. ad Tim. 5. 1. affirmat dicens. Adoleſcentiores uiduas deuita: cũ enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere uolunt, habentes damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt, ſcilicet caſtitatis, quam uouerunt. Vnde Auguſtinus in pſalm. 75. horum uerborum memoriam faciens, hanc tradidit ſententiam. Quid ait (ſcilicet Apoſtolus) de quibusdam, quæ uouerunt, & non reddiderunt, habentes (inquit) damnationem, quia primã fidem irritam fecerunt? Quid eſt primam fidem irritam fecerunt? uouerunt, & non reddiderunt. Si ergo uiduæ adoleſcẽtiores damnationem habent, quia caſtitatis fidẽ irritam fecerunt; quid de clauſtralibus tùm monachis, tùm monialibus, atque reliquis ſacerdotibus omnibus fornicatoribus, adulteris, & ſacrilegis, dicendum erit? Quod conſiderans Auguſtinus, pietate motus, tales in pſal. 83. alloquitur dicens. Quid rurſus conuerteris ad uomitum tuum? Si canis hoc faciens, horret oculis tuis; tu quid eris oculis Dei? Vnuſquiſque enim fratres cariſsimi de loco itineris ſui, ad quem proficiendo peruenit, & quem uouit Deo, inde reſpicit retro, cum ipſum dimiſerit. Verbi gratia, ſtatuit caſtitatem coniugalem ſeruare, inde enim incipit iuſtitia, receſsit à fornicationibus, & ab illa illicita immunditia, quando ſe ad fornicationes conuerterit, retrò reſpexit. Alius ex munere Dei maius aliquid uouit, ſtatuit nec nuptias pati: qui non damnaretur, ſi duxiſſet uxorem. poſt uotum, quod Deo promiſit, ſi duxerit, damnabitur: cum hoc faciat, quod ille, qui non promiſerat, tamen ille non damnatur, iſte damnatur. Quare? niſi quia iſte reſpexit retro. Iam enim ille ante erat: iſte autem illuc nondum peruenerat. Sic uirgo, quæ ſi nuberet, non peccaret; ſanctimonialis, ſi nupſerit; Chriſti adultera reputabitur. Reſpexit enim retrò de loco, quo acceſſerat. Item ſuper pſal. 75. Nemo, inquit Auguſtinus, frater in monaſterio, poſitus dicat. Recedo: cum non ſoli, qui ſunt in monaſterio ſint peruenturi ad regnum cælorum, & illi, qui ibi non ſunt, ad Deum non pertineant. Reſpondetur ei, ſed illi non uouerunt, tu uouiſti, tu retrò aſpexiſti: meminiſſeq; debes uxoris Loth, quæ liberata à Sodomitis,

[Margin notes: 1. Tim. 5. — Auguſt. — Auguſt. — Auguſt.]

domitis, & in uia posita retrorsum respexit. ubi respexit, ibi remansit. Item de adulterinis coniugijs, lib. 1. cap. 15. Nam illis, qui se non continent, utique expedit nubere: & quod licet, expedit. Quæ autem uouerint continentiam, nec licet, nec expedit. Item eodem in lib. cap. 24. Quod enim cuiq;, antequã uouisset, licebat; cum id se nunquàm facturum uouerit, non licebit: si tamen id uouerit, quod uouẽdum fuit, sicuti est perpetua uirginitas, uel continentia, post experta connubia, solutis à uinculo coniugali, uel ex consensu, uiuentibus, & carnalia debita, sibi inuicem relaxantibus, fidelibus, castisq; coniugibus: quod alterum sine altera, uel alteram sine altero, uouere fas non est. Itẽ in Serm. 60. ad fratres heremitas ait idem Augustinus. Ego quidem sum monachus: qui desiui esse secularis, & factus sum monachus; aut monachus saluor, aut aliter non saluor: non est aliud medium. Si uoluero dimittere uitam monachi, & sequi secularem; non habebit me Dominus quasi secularem, sed quasi præuaricatorem. Idem de bono uiduitatis cap. 8. Quæ se non continent, nubant, antequam continentiam profiteantur, antequam Deo uoueant. Quod si non reddant; iure damnantur. Et 12. ca. eiusdem libri ait. Qui uidelicet nõ reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus uouit; tanto magis fraudati uoti auget iniquitatem, quanto minus habuit

Cyprian. uouendi necessitatem. Item Cyprianus lib. 1. Epistola prima, Christus dominus, & iudex noster, cum uirginem suam, sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernat, quàm indignatur, & irascitur? Item in Epistola 11. ait. Quod si (uirgines) se ex fide Christo dedicauerunt, pudicè & castè, sine ulla fabula perseuerauerunt, ita fortes, & stabiles præmium uirginitatis expectẽt.

Basilius Basilius quoq; de uirginitate pag. 286. idem confirmat dicens. Multæ uirgines uirginitatem professæ, per dilectionis nomen paulatim ad affectus carnis, præ consuetudine delatæ, meretrices, & adulteræ, atque alienæ, non solum à Domini desponsatione, sed etiam à legitimis secũdum carnem nuptijs penitus deprehensæ sunt. Virginitatẽ enim Domino professæ, deinde à carnis uoluptatibus concitatę, scortationis peccatum, nuptiarum nomine, uelare uolunt, non ignorantes opinor, etiã si ignorantiã simulent, quod quæ sponsi sui dexteram præterijt, neq; huius est sponsa, quem illegitimè reliquit, neq; illius, cui se ipsam per affectũ uitiosum adiũxit, iuxta leges uxor

repe riri

reperiri poteſt. Item in regula monachorum, cap. 8. Omne tempus primæ ętatis oportunum eſſe dicimus ad ſuſcipiendam eruditionem, & timorem Domini. Firma tamen erit profeſsio uirginitatis, ex quo adulta iam ætas eſſe ceperit: & ea, quæ ſolet nuptijs apta deputari. Et Epiphanius contra Apoſtolicorũ hæresim pag. 143. ait. Tradiderunt ſancti Dei Apoſtoli peccatum eſſe poſt decretam uirginitatem ad nuptias conuerti. Et Hieronymus lib. 1. Epiſtola 5. Et ſi nupſerit uirgo, non peccauit, nõ illa uirgo, quæ ſe ſemel cultui Dei dedicauit. Harũ enim ſi qua nupſerit, habebit damnationem: quia primam fidem irritam fecit. Item in lib. 1. aduerſus Iouinianum. Virgines, quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tàm adulteratæ ſunt, quàm inceſtę, Et Teophilactus ſuper illis uerbis Chriſti apud Matth. 8. Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos, ait. Si autem illi nec patrem ſepelire licuit, uæ his, qui monaſticen profeſsi, ad mũdana regrediuntur negocia. Hinc Conciliũ Elibertinum, tẽpore Silueſtri Papæ in Hiſpania celebratum, ca. 13. hoc edidit decretum. Virgines, quæ ſe Deo dedicauerunt, ſi pactum perdiderint uirginitatis, atq; eidem libidini ſeruierint, non intelligentes quid amiſerint; placuit nec in fine dandam eis eſſe cõmunionem, Quod ſi ſemetipſas pœnituerint, quòd infirmitate corporis lapſæ fuerint, & toto tempore uitæ ſuæ huiuſmodi feminę egerint pœnitentiam, & abſtinuerint ſe à coitu; eo quòd lapſę potius uideantur, placuit eas in fine cõmunionem accipere debere. Itẽ Concilium Valentinum Galliæ celebratum. can. 2. De puellis uerò, quæ ſe Deo uouerunt, & præclari nominis decore floruerunt, ſi ad terrenas nuptias ſpontè tranſierint; id cuſtodiẽdum eſſe decreuimus, ut pœnitentia his non ſtatim detur: & cum data fuerit, niſi plenè ſatisfecerint Deo, inquantum ratio popoſcerit, eiſdem communio differatur. Item Concilium 4. Carthaginenſe cap. 104. Sicut bonum eſt caſtitatis præmium; ita & maiori obſeruantia, & pręceptione cuſtodiẽdum eſt: ut ſi quæ uiduæ quantumlibet adhuc in minoribus annis poſitæ, & matura ætate à uiro relictæ, ſe deuouerunt domino, & ueſte laicali abiecta ſub teſtimonio Epiſcopi, & Eccleſiæ, religioſo habitu apparuerint, poſtea uerò ad nuptias ſeculares trãſierunt, ſecundum Apoſtolum, damnationem habebunt: quoniam fidẽ caſtitatis, quã Domino uouerunt, irritã facere auſę ſunt. Tales ergo perſonæ ſine Chriſtianorũ cõmunione maneãt: quę etiã nec in con

Epiph.

Hieron.

Theophy lac.

Concil. Eliber.

Concil. Vall. Gal.

Concil. 4. Charthag.

uiuio

uiuio cũ Christianis communicent. Nã si adulteratæ coniuges reatu suo sunt uiris suis obnoxiæ; quãto magis uiduæ, quæ religiositatẽ mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, si deuotionem, quam Deo sponte, non coactę obtulerunt, libidinosa corruperint uoluptate, atque ad secundas nuptias transitum fecerint? Quod etsi, uiolentia irruente, ab aliquo præreptæ fuerint, ac postea delectatione carnis, atq; libidinis permanere in coniugio, raptori, uel uiolento uiro consenserint, damnationi superius comprehensæ tenebuntur obnoxiæ. De talibus ait Apostolus. Cum luxuritatæ fuerint, nubere uolunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Aurelius Episcopus Carthaginensis Ecclesiæ subscripsi, Donatianus Talabricensis primæ sedis, subscripsi, Augustinus Hipponæ Regiensis, subscripsi. Similiter & ceteri subscripserunt Episcopi.

Concil. Chalce. Item Concilium Chalcedonense can. 15. Si qua uirgo se dedicauerit Deo, similiter monachus; non licet eis nuptijs iungi. Si uerò inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus uerò posse eis fieri humanitatem, si ita probauerit Episcopus loci.

Conci. 1. Arausica. Item Concilium. 1. Arausicanũ can. 15. Viduitatis seruãdæ professionẽ coràm Episcopo in secretario habitã imposita à presbytero ueste uiduali, didicimus non esse uiolandam. Eius uerò raptorẽ, uel ipsam talis professionis desertricẽ, meritò esse damnandã decernimus. Item can. 28. Hi uerò, qui sunt desertores professæ castitatis, pręuaricatores habendi: & his omnibus per pœnitentiam legitimam consulendum.

Conci. 1. Aurelia. Concilium uerò Aurelianensæ 1. can. 13. ita decreuit. De his, qui suscepta pœnitentia, religionem suæ professionis obliti, ad secularia relabuntur, placuit, eos & à communione suspendi, & ab omnium catholicorum conuiuijs separari. Quòd si post interdictum cum eis quisquã præsumpserit manducare, & ipse communione priuetur. Item can. 23. Monachus in monasterio conuersus, si pellici postea, uel uxori fuerit sociatus, tantæ præuaricationis reus, nunquam Ecclesiastici gradus officium sortiatur.

Conc. Tolet. 4. Et Concilium Toletanum 4. can. 48. hoc idem confirmauit dicens. Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio faciat. Quicquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum: & omnes ad seculum interdicimus regressus. Item can. 51. Nonnulli monachorum egredientes à monasterio, non solum ad seculum re

uertuntur,

tuntur,ſed etiam & uxores accipiunt.Igitur reuocati in eodem monaſterio,à quo exierant, pœnitentiæ deputentur, ibiq; defleant crimina ſua,unde deceſſerunt. Itē Canone.55. Duo ſunt genera uiduarum,ſeculares,& ſanctimoniales. Seculares uiduæ ſunt,quæ adhuc diſponentes nubere, laicalem habitum non depoſuerunt. Sanctimoniales ſunt, quæ iam mutato habitu ſeculari,ſub religioſo cultu, in cōſpectu ſacerdotis, & Eccleſię apparuerunt.Hæ ſi ad nuptias tranſierint;iuxta Apoſtolum non ſine damnatione erunt: quia ſe primum Deo uouentes,poſtea caſtitatis propoſitum abiecerunt. Ex his igitur omnibus potuiſſet Burgenſis, & quilibet eius impietati fauens, luce clarius proſpicere,monaſtica uota,& id genus alia,non tanquam inepta, ſed honeſtiſsima, atq; Deo gratiſsima, acceptiſsimaque,omnino eſſe ſeruanda. In quibus homo apud Deum prudens,haud quaquam conſilium mutare debet,neq; poteſt.

Sunt tamen uota nonnulla emiſſa, quæ tum ex parte uouentium,tum ex parte ipſorum etiam uotorum, uim obligandi nō habere uidentur. Vota enim à perſonis furioſis, & amentibus, & ratione deficientibus, uel alterius uoluntati ſubiectis emiſſa, uim obligatiuam non habent, & ex conſequenti reuocari poſſunt. Dictum eſt ſuperius, uotum eſſe promiſsionem Deo factam: nemo autem quicquam alteri poteſt polliceri,niſi de his,quæ in ſua ſunt poteſtate: & hoc etiam, dummodo rationis ſit capax. Et ideo is, qui ſub alterius poteſtate eſt conſtitutus, quantum ad ea, in quibus illius ſubiacet poteſtati, atque uoluntati, uotum in talibus emittere non poteſt: niſi conditionaliter, ſi ſuis placuerit ſuperioribus. Quam conditionem, & ſi talis ipſam non explicauerit, nihilominus tale uotum implicitè illam continet: quia talia proprię non ſubiacent uoluntati, neque poteſtati. Simile iudicium erit & de his, qui ratione carent,ſicuti ſunt pueri, & puellæ, ante annos pubertatis, qui ante illud tempus ſine parentum conſenſu,uel tutorum, qui parentum uicem gerunt, abſolutè propter utrunque impedimentum, quicquam uouere non ualent: & ſi quid uoti emiſerint, in ſuorum parentum eſt poteſtate, atque uoluntate, iuxta illud nume.30. Mulier ſi quippiam uouerit, & ſe conſtrinxerit iuramento, quæ eſt in domo patris ſui,& in ætate adhuc puellari, ſi cognouerit pater uotum, quod pollicita eſt, & iuramentum, quo obligauit animam ſuam, & tacue-

De uotis reuocabilibus.

Num. 30.

rit; uoti rea erit: quicquid pollicita est, & iurauit, opere complebit. Sin autem statim ut audierit, contradixerit pater; & uota, & iuramenta eius irrita erunt: nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quòd contradixerit pater. Hoc etiam habetur 20. q. 2. c. Puella. Similiter & mulier nupta propter subiectionem erga maritum, iuxta illud Genes. 3. Sub uiri potestate eris, & ipse dominabitur tui. ideo sine ipsius consensu quicquam uouere non potest. Quod expressè manifestatur Nume. 30. Vbi sic legitur. Mulier si maritum habuerit, & uouerit aliquid, & semel de ore eius uerbum egrediens animam eius obligauerit iuramento, quo die audierit uir, & non contradixerit, uoti rea erit, reddetq; quodcunq; promiserit. Sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, uerbaque quibus obstrinxerat animam suam, propitius erit ei Dominus. Item uxor in domo uiri, cum se uoto constrinxerit, & iuramento, si audierit uir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcunque promiserat. sin autem ex templo contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. Et hoc in omnibus est intelligēdū, quia caput mulieris est uir, sicut Christus Ecclesiæ, iuxta illud Apostoli ad Ephes. 5. Sed non è conuerso, nisi in his, quæ ad actum matrimonialem spectant: tunc neq; maritus sine uxoris consensu in talibus, puta continentiam, uouere potest: in reliquis uerò maxime. Aquinas in 4. d. 38. q. 1. ar. 1. q. 3. ad 4. In his, in quibus uxor uiro tenetur, & è conuerso, neuter potest uouere, sine mutuo cōsensu: sicut patet de uoto continentiæ. Sed quia in dispensatione domus, & regimine uitæ, mulier est subiecta uiro, & non è conuersò; ideo uir potest in talibus uouere, sine consensu uxoris, & nō è conuersò. Et hoc præcipuè in rebus publicis, atque manifestis, utputa eleemosynas dandi, uel aliquò proficiscendi, & id genus similia alia faciendi, quæ fieri non possunt, absque speciali licentia mariti. In alijs uerò priuatis, & particularibus, ad personam ipsius uxoris tantum spectantibus, & marito in nullo derogantibus, uerbi gratia, tali, & tali die ieiunare, uinum in quibusdam diebus non bibere, uel orationes particulares in quibusdam Sanctorum diebus orare, sine uiri licentia, hæc illa uouere potest, atque obseruare tenetur: dummodo in speciali à marito aliquid horum ei non fuerit inhibitum, uel post factum tale uotum

20. q. 2. c. puella.
Genes. 3.
Num. 30.
Eph. 5.
Aquin.

tum maritus audiens, non inhibuerit. tunc etiam, marito inhibente, ab illis ſimilibus uotis abſoluitur, atque liberatur. Male tamen facit maritus, hæc impediendo, niſi irrationabiles huiuſcemodi uxoris eſſent promiſsiones, de quibus dicetur inferius: alioquin maritus iniquitatem eius portabit iuxta illud Nume.trigeſimo. Si (uxor ſcilicet,) uouerit, & iuramento ſe conſtrinxerit, ut per ieiunium, uel ceterarum rerum abſtinentiam, affligat animam ſuam; in arbitrio uiri erit, ſiue faciat, ſiue non faciat. Quod ſi audiens uir tacuerit, & in alteram diem diſtulerit ſententiam; quicquid uouerat, atque promiſerat, reddet: quia ſtatim ut audiuit, tacuit. ſin autem contradixerit, poſtquam reſciuit; portabit ipſe inquitatem eius. Si uerò maritũ hæc latuerunt, & ab ipſo ante inhibita non fuerint; tunc uxor ea omnino implere tenetur: & peccat mortaliter tranſgrediendo, durante non contradictionis mariti conditione. Idem & de religioſis reſpectu ſuorum ſuperiorum, eſt affirmandum, atque dicendum. Alia etiam fiunt uota, quæ ex parte ipſorum ſunt modificanda: ſi irrationabiliter eſſent emiſſa. Irrationabiliter autem uota emittuntur, quando ad corporis prorſus ſunt deſtructionem. Sic corpora noſtra affligi propter Chriſtum debent, ut minus iuſtè non affligantur, ne caro ultra uires maceretur, & debilitetur: ita quòd de cetero bonorum operum eſſe non poſsit inſtrumentum. Cum enim corpora noſtra animæ ſint inſtrumenta; ſecundum igitur animæ utilitatem ſunt regenda, ut tantum in parſimonia, potus, cibi, ſomni, & in alijs macerationibus exterioribus affligantur, quantum anima ſuſtinere poteſt, ſine corporis defectione: alioquin noſtra deficerent corpora, iuxta illud Hieremi.quadrageſimooctauo. Quia plus fecit quàm potuit, idcirco perijt. Hoc Deus à nobis non expetit, neque requirit: Aliter enim homo iuſtus ad interiores actus, quibus Deo obſequitur, ſe habere debet; & aliter ad exteriores. Nam bonum hominis, & iuſtitia eius, principaliter in actibus conſiſtít interioribus, quibus homo credit, ſperat, & diligit, iuxta illud Luc.decimoſeptimo. Regnũ Dei intra uos eſt. Quod non dicitur de actibus exterioribus, ſed è conuerſo, ſecundum illud Apoſtoli, ad Rom.14. Non eſt regnum Dei eſca, & potus: ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus.

Num.30. Hier. 48. Luc.17. Rom.14.

Omnes tamen tàm exteriores, quàm interiores actus humani ad Christo seruiendum sunt directi, cum ordine tamen, 1.Cor.14. iuxta illud. 1. Corinth. 14. Omnia honestè, & secundum ordinem fiant in uobis. Ordo autem horum actuum sic habetur, quòd interiores in hac Christi seruitute per modum finis se habent, qui secundum se quæritur: actus uerò exteriores, quibus Deo nostra exhibentur corpora; se habent, quemadmodum ea, quæ sunt ad finem. In eo autem, quod tanquam finis quæritur, nulla adhibetur mensura: sed quanto magis fuerit, tanto melius erit. In eo autem, quod quæritur propter finem; secundum proportionem ad finem adhibetur mensura. Sicut medicus sanitatem facit tantum, quantum potest: medicinam autem non tantum dat, quantũ potest, sed quãtum uidet expedire ad sanitatem consequendam. Similiter & homo in fide, spe, & charitate, nullam debet adhibere mensuram: sed quanto plus credit, sperat, & diligit; tanto melius est. sed in Bernar. exterioribus actibus discretionis mensura per comparationem ad charitatem est adhibenda. Vnde Bernardus. Deus deamandus est sine modo: tamen corporalia obsequia prudentia sunt, & rationis descretione libranda, & moderanda, qua ratione, commodiora sint, conferreque magis possint ad spirituales actiones perficiendas. Vnde qui inedijs, ac cilicijs, alijsque id genus carnis afflictionibus, uires uel exinaniret, uel extenuaret, quasi commodius, fructuosiusque in alijs spiritualibus actionibus non posset collocare, eius profe- 1. Tim. 4. cto obsequium non esset rationabile. Ideo ad Timothe. Paulus. Exerce te ipsum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est. pietas autem ad omnia utilis est. Huius autem rei ratio est, uidelicet corporis exercitationem ad modicũ utilem esse: quia huiuscemodi hominis actus exterior per se ab interioribus separatus, quid modicum ualet, iux- 1.Cor.13 ta illud Apostoli, primæ Corinth. decimotertio. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Si uerò internis actibus, tanquam animæ instrumentum, corporalis additur exercitatio, prodest plurimum profectò. Et ideo ad hoc faciendum hortabatur nos om- Rom. 6. nes Apostolus. Rom. 6. dicens. Sicut exhibuistis membra uestra seruire immundicię, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem.

Et

Et ne à tali, propter carnis petulantiam, deſinant ſeruitute; diuerſis abſtinentijs, & macerationibus noſtra affligi debent mẽbra. Vnde Apoſtolus ad Col.3. Mortificate membra ueſtra, quę ſunt ſuper terram. Quod & ipſe obſeruaſſe, ad Cor.9. 1. inſinuabat dicens. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutẽ redigo. Idem & Propheta in pſal.41. affirmabat dicens. Propter te mortificamur tota die. Sed iſta mortificatio, cum ſale, id eſt cum diſcretione, quæ eſt mater, & cuſtos omnium uirtutum, præcipuè ob rationes ſuperius aſsignatas, fieri debet. Propterea ſcriptum, & iuſſum eſt Leuit.2. In omni oblatione offeres ſal. Et Chriſtus apud Marc.9. Habete in uobis ſal, hoc eſt diſcretionem in obſequijs ueſtris. Ideo & Apoſtolus ad hoc hortabatur Roman.12. dicens. Obſecro itaque uos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora ueſtra, hoſtiam uiuentem, ſanctam Deo placentem, rationabile obſequium ueſtrum. Vnde & Hieronym. Nonne rationalis homo dignitatem amittit, qui ieiunium, uel uigilias præfert ſenſus integritati, ut propter pſalmorum, atq; officiorum decantationem, amentiæ, uel triſtitiæ quis notam incurrat? Item in Scholijs ſub titulo Hieronymi ſcriptis, ſic habetur. Omne opus bonum quodcunq; facit homo, placet Deo, ſi rationabiliter fiat.

Co.3. 1. Cor.9. Pſal.41. Leuit.2. Mar.9. Rom.12. Hieron.

Nonnulla autem alia ſceleſtiſsima quandoq; emittuntur uota, nedum Dei uerbo, ſed & proximo contraria: de quibus epiſtola 10. dicebat Seneca. Quidam turpiſsima uota Dijs inſuſurrant. Si quis amouerit aurem; conticent: & quod ſcire homines nolunt, Deo narrant. Et hæc ſunt, ueluti aliquem interficiendi, & proximi uxorem, aut filiam, ſiue bona temporalia rapiendi, & huius generis alia perpetrandi, quæ multoties à nefandis hominibus ad proprij illorum appetitus delectamentum, ſub iuramento, Dei timore prætermiſſo, promittuntur Deo: quæ quidem prorſus ſunt reuocanda, & nullo pacto exequutioni mandanda. Vnde Iſidorus lib.2. Soliloqui. In malis promiſsis, reſcinde fidem. In turpi uoto, muta decretũ. Quod incaute uouiſti, non facias. Impia eſt promiſsio, quæ ſcelere adimpletur. His itaque exceptis, omnia alia uota, rationabiliter emiſſa, ſine mora ſunt obſeruanda, atq; adimplenda. Vota uerò irrationabiliter facta, tanquam Deo non admodum grata, neque ab ipſo expetita ſunt, & ſi non ex tota abſoluenda, ſaltẽ mitiganda, uel in alia magis rationabilia cõmutanda.

Vota nõnulla qñque inueniuntur peruerſa. Seneca. Iſid.

At

Instãtia. At dicet hæreticus doctrinam sequẽs Lamperianorum. Hæc omnia obseruari non renuo: sed ad ea uoto astringi respuo, dicente Apostolo. 2. Cor. 9. Vnusquisq; prout destinauit in corpore suo: non ex tristitia, aut ex necessitate. hilarem enim datorem diligit Deus. Qui autem ad aliquid operandum, uoto adstringitur; ex necessitate illud operari uidetur: cum uotum necessitatem includat, & ex consequenti nil meriti propterea quis consequi poterit. Igitur sine uoto hæc ipsa obseruari deberent, præcipuè cum dicat Propheta. Voluntariè sacrificabo tibi. O magnam huiuscemodi hominum fatuitatem. Quis nescit sacrificium ex necessitate, non uoluntariè, sed coactè, Deo oblatum, non esse meritorium? Sacrificia autem uotiua profectò non sunt talia, sed omnino uoluntaria: alioquin non essent meritoria. Dictum est enim superius, uotum alicuius oblationis esse promissionem uoluntariè, ac determinatè Deo factam. Vbi autem accedit promissio uoluntaria; ibi profectò accedit & satisfaciendi obligatio. Consilia equidẽ in communi sunt libera, sed accedente promissione fiunt obligatoria. De hominibus enim, uti habetur Digestorum lib. 11. tit. 14. l. Iuris gentium, ait Prætor. Pacta conuenta, &c. seruabo. Cur pacta Deo facta, quę nostra sunt uota, non seruabimus? Ideo Deus non præcipit uota fieri, sed uota Deo promissa reddi, iuxta illud Ecclesiastes. 5. Si quid uouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. Si quis autem quicquam tale Deo non promiserit, neque obligatur, iuxta illud Deut. 23. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Obligatur itaque ex promissione uoluntariè facta quis ad satisfaciendum: cuius tamen obligatio operis libertatẽ non tollit, sed auget: quia uoluntariè, & spontaneè rem obtulit, & illam uoluntatem uoto firmauit. Sicut enim peccare non posse, libertatem non diminuit; ita etiam necessitas firmatæ uoluntatis in bonum, potestatem non tollit: ut in Deo patet, atque beatis omnibus. Deus, & Sancti omnes à bono recedere non possunt: num propterea non liberè agunt? Et talis est necessitas uoti, quandam cũ beatorum confirmatione similitudinem habens. Nam quod uoto soluitur, aut agitur, liberum est: quia non coactè, nec ex tristitia, sed uoluntariè, liberè, & spontanee in suo principio uouit, illamque spontaneam, & uoluntariam operationem, libera promissione stabiliuit, atque firmauit.

[Margin notes: 2. Cor. 9. — Satisfactio. Opera bona ex uoto Deo oblata magis meritoria sũt, q̃ libera. — Dig. li. 11. tit. 14. l. Iuris gen. — Ecclesiastes 5. — Deut. 23.]

nit. Vnde August. in epistola ad Armentarium, & Paulinam. Felix necessitas est, quæ in meliorem compellit. Hæc nempè necessitas multò longius distat ab illa, de qua superius ad Cor. 9. secundæ, dicebat Apostolus, quàm dies à nocte, & cælum à terra. Illa enim coactionis necessitas propriè dicitur, & uoluntati prorsus contraria: qua de re tristitiam, secundum Philosophum, causat. Ista uerò uoti necessitas in his, qui bene sunt dispositi, inquantum uoluntatem confirmat, tristitiam non parit, sed gaudium. Vnde psal. Seruite Domino in lætitia, &c. Et Aug. in epist. suprascripta. Non te uouisse pœniteat, immo gaude iam tibi sic non licere, quod tunc tuo detrimento licuisset. Et hoc ideo, quia ipsum opus, etsi secundum se consideratum, triste, & inuoluntarium post uotum redderetur; dum tamen uotum implendi uoluntas remaneat, magis adhuc est meritorium, quàm si fieret sine uoto, tanto magis si hilari adimpleatur animo: quia impletio uoti, uti inferius dicetur, est actus latriæ, quæ est potior uirtus, q̃ abstinentia, cuius actus est ieiunare. Alia igitur est necessitas uoluntati opposita, quæ tristitiã parit; & alia, quæ uoluntatem confirmat, gaudium in ipsa causans: illa necessitas coactionis, ista uoluntatis dicitur. illa libertati christianæ contrariatur, ista uerò minimè, sed ipsam auget. illa uoto se opponit, ista uotum perficit. illa seruitutem causat, ista libertatem generat, quam Deo uouentes consequũtur: iuxta illud, Seruire Deo regnare est. Hi uerè, & propriè Deo seruire dicũtur, qui uoto cum suis omnibus tam animæ, quàm corporis bonis, Dei seruituti se offerunt: ceteri uerò, qui absq; uoti uinculo, etiam eadem obseruando, Deo seruire conantur, secundum quid tantum seruire dicuntur. Ita omnes Christiani à peccato liberi seruiunt Deo, iuxta illud Rom. 6. Nunc uerò liberati à peccato, serui autẽ facti Deo. Et Propheta. O Domine, quia ego seruus tuus. Quorum quidem seruitus etiam est uera libertas: quia per iustitiam homo inclinatur ad id, quod ipsi conuenit, quod homini est proprium: & ab eo auertitur, quod conuenit concupiscentiæ, quod est maxime bestiale: attamen à uoti seruitute supra modum multipliciter exceditur. Primò, quia uoti seruitutem, actum latriæ esse dicimus, quam inter morales uirtutes præcipuam, nobilioremque esse affirmamus: cui ex consequenti, opus melius, atque laudabilius, & meritorium magis, attribuere est necesse. Nam interioris uirtutis

August. Psal. 99. August. Aquin. 2. 2. q. 88. ar. 6. ad 2. Rom. 6. Psal. 115. Aquin. 2. 2. loco ut supra 1 c.

uirtutis actum, meliorem, laudabiliorem, atque magis meritorium esse dicimus, si à superiori imperetur uirtute, quàm si à sua inferiori tantum procederet: sicut fidei, uel spei actus melior esse dicitur, si à charitate imperetur, quàm si ab illius imperio esset alienus. Et ideo aliarum uirtutum moralium actus, puta ieiunare, quod est actus abstinentiæ; & continere, quod est actus castitatis; sunt meliora, & magis meritoria, si ex uoto fiant, quàm libere, hoc est absque uoti ligamine: quia sic iam quasi quædam Dei sacrificia, ad diuinum pertinent cultum. Vnde August. in lib. de uirginitate, ait, quòd neque ipsa uirginitas, quia uirginitas est, sed quia Deo dedicata est, honoratur: quam fouet, & conseruat continentia pietatis. Quapropter & beata Dei genitrix, uirgo Maria perpetuam Deo consecrauerat uirginitatem. quod (uti testatur, & August. in lib. de sancta uirginitate cap. 4.) indicant uerba, quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam uirum non cognosco? Quod profectò non diceret, nisi Deo uirginitatem ante uouisset. sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant; desponsata est uiro iusto, non uiolenter ablaturo, sed potius contra uiolentes custodituro, quod illa iam uouerat. Illa .n. negatio Non uerbo præsenti Cognosco addita, non est sic intelligenda, ut solum actum neget præsentem, sed præteritum, & futurum: alioquin nullam beata Virgo dubitandi habuisset causam. Quoniã uirginem, quæ absque uiri cognitione, ad aliquod usque tempus, uirginitatis pudicitiam conseruauit, in posterum concipere, non est quid creditu difficile: cum ista duo mulierem actu uirum non cognoscentem, neq; de præterito à uiro cognitam, & in futurum concipere, atque parere, insimul conuenire, non est impossibile: quia nulla est mulier concipiens, siue pariens, quæ ante non fuerit uirgo, & semel à uiro incognita, & intacta uixerit. Ideo si cuilibet actualiter uirgini, nubendi, hominemq; cognoscendi, animum habenti diceretur, Tu concipies, & prolem paries; illa profectò ad hoc credendum, difficilem se non redderet: immo crederet, non quòd uirum iam cognouerit, sed uirum se cognituram sperat, & optat. At si eadem uerba uirgini Deo consecratæ, castitatemq; conseruandi intentionem habenti proponerentur; absq; dubio hoc per impossibile haberet talis uirgo: cum uirginitatem profiteri, & con-

August.

August.

cipere

cipere ex diametro uideantur inter ſe pugnare. Ideo beata Virgo, quæ uirginitatis uotum emiſerat; ſuper Angeli uerbis ſtupefacta, atque mirabunda, Angelum meritò interrogabat dicens. Quomodo fiet iſtud? quaſi diceret (ut etiam ait Venerabilis Beda in homil. ſuper iiſdem uerbis) quomodo fieri poteſt, ut concipiam, pariamq; filium, quæ in caſtimonia uirginitatis uitã conſummare diſpoſui? Non autem quaſi incredula uerbis Angeli, quomodo hęc impleri ualeant, requirit; ſed certa, quia oporteret impleri, quod & tunc ab Angelo audiebat, & prius à Propheta dictum legerat, quo id ordine implendum ſit, interrogat: quia uidelicet Propheta, qui hoc futurum prædixit; quomodo fieri poſſet, non dixit: ſed Angelo dicendum reſeruauit. Vnde & D. Bernardus ſuper Miſſus eſt, homil.4. ſic ait. Non dubitat de facto, ſed modum requirit, & ordinem. Nec enim quærit, an fiet iſtud; ſed quomodo: quaſi dicat, cum ſciat Dominus meus, teſtis conſcientiæ meæ, uotum eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere uirum, qua lege; quo ordine placebit ei, ut fiat iſtud? ſi oportuerit me frangere uotum, ut pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de propoſito: fiat tamen uoluntas eius. Secundò, ſicut laudabilior eſt ille, & magis meretur à Domino ſuo, qui ei non tantum ſuam obtulit ſeruitutem, ſed & omne ſuum poſſe uſque ad ultimum uitæ ſuæ eſt pollicitus, quàm is, qui eidem Domino ad ſuum inſeruiuit beneplacitum, quia plus ille Domino ſuo, quàm iſte, ſe ſubdidit; ſic qui uouet aliquid, & facit, laudabilior eſt, & magis apud Deum meretur, quàm ille, qui ſolum facit: quia plus ſe Deo ſubiicit. Subiicit enim ſe Deo talis, non ſolum quantum ad actum, ſed etiam quantum ad poteſtatem: quia de cetero non poteſt aliud facere, cum totum ſe dederit Deo. Ideo Anſelmus in libro de ſimilitudinibus ait. Plus dat homini, qui dat ei arborem cum fructibus, quàm qui dat ei fructus tantũ. Quapropter illud propriè holocauſtum dicitur, hoc uerò ſacrificium tantum nuncupatur. Quod confirmat & Gregorius homilia 20. ſuper Ezechielem dicens. Hoc inter ſacrificium, & holocauſtum diſtat: quòd omne holocauſtum ſacrificium eſt, ſed non omne ſacrificium holocauſtum. In ſacrificio enim pars pecudis, in holocauſto uerò totum pecus offerri cõſueuerat. Vnde & holocauſtum latina lingua totum incenſum dicitur. Penſemus ergo, quid eſt ſacrificium, quid holocauſtũ.

Beda. Bernar. Anſelm. Greg.

Cum enim quis fructus, & non arborem Deo offert; sacrificium est: cum uerò omne, quod habet, omne, quod uiuit, omne, quod sapit, omnipotenti Deo uouerit; holocaustum est. Tertiò, magis laudabile est, & plus meritorium: quia ex toto corde Deo offertur. iuxta illud 1. Paralip. 29. Lætatusq; est populus, cum uota sponte promitterent: quia corde toto offerebant ea Domino. Quartò, sicut peccare mente obstinata magis aggrauat animam, quàm peccare ex fragilitate; sic facere aliquid ex uoluntate firmata in bonum (quod pertinet ad perfectionem uirtutis, ut patet etiam per Philosophum in 2. Ethicorum) magis laudabile est, & plus meritorium, quàm illud ipsum facere ex uoluntate instabili. Sed per uotum immobiliter uoluntas firmatur in bonum; igitur quæ fiunt uoti gratia, magis erunt meritoria, quàm quæ secus sunt facta: quia illa Deo magis sunt grata. Quod cõfirmare uidetur illud Leuit. 27. Animal autẽ, quod immolari potest Dño, si quis uouerit; sanctũ erit, & mutari non poterit. i. nec melius malo, nec peius bono. Nã si illa Deo magis non essent accepta, q̃ ea, quę absq; uoto sunt facta; non tanti ea faceret Deus, ut nec meliora pro illis, sed ea ipsa suscipere uelit. Nec Patriarca Iacob Domino Deo uouisset: qui Domino uouit in Bethel. Neque regius Propheta in psal. 21. dixisset. Vota mea Domino reddam in conspectu timentium eum. Et in 60. Reddam uota mea de die in diem. Et in 65. Reddam tibi uota mea, quæ distinxerunt labia mea. Item 115. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius. Nec alijs uota facere consuluisset dicens. Vouete, & reddite Domino Deo uestro, qui in circuitu eius offertis munera. Neque super populi uotis gauisus fuisset. Qui, ut habetur 1. Paralip. 29. Lætatus est gaudio magno, populo sponte uota Domino Deo promittente. Et hoc non propter Dei utilitatem, quemadmodum, cum homo homini aliquid promittit, ei utile est (Deus enim bonorum nostrorum non eget) sed propter utilitatem nostram propriam: quia quod Deo promittitur, & redditur; reddenti additur. Vnde Aug. in epistola ad Armentarium, & Paulinam. Benignus exactor est, & non egenus: & qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat redditores.

[Margin notes: 1. Paralip. 29. — Leuit. 27. — Gen. 28. — Psal. 21. — Psal. 60. — Psal. 65 — Psal. 115. — Psal. 75. — 1. Paralip. 29. — August.]

Instantia. Sed dicent uotorum defraudatores. Putabamus, uotorum sarcinam, præcipuè continentiæ, leuiorem esse. Quapropter dorsum

dorſum noſtrum ei ſuppoſuimus uoluntariè: at cum in ſucceſſu temporis ex nimia illius ponderoſitate ultra uires noſtras aggrauaremur, ita ut ei ſubeſſe nobis eſſet impoſsibile; coacti fuimus ipſam è nobis deponere. O excuſationem Diabolicam. Reſpõſio.
Num Deus rem impoſsibilem amplecti nobis conſuluit? abſit, dicente Domino. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Matth. 11.
Super quibus uerbis ait Hilar. Et quid iugo ipſo ſuauius, quid Hilar.
onere leuius? q. d. nihil: quia nil eſt in ſe tam durum, & difficile, quod in Chriſto non fiat facile, leue, atque perdulce. Quod cõſiderans Aug. huiuſcemodi homines allocutus eſt in li. 2. de Auguſt.
adulterinis coniugijs ad Pollentium, cap. 19. dicens. Non eos terreat ſarcina continentiæ: leuis erit; ſi Chriſti erit. Chriſti erit; ſi fides aderit: quę impetrat à iubente, quod iuſſerit. Non eos frangat, quòd uidetur eorum continentia neceſsitatis eſſe, non uoluntatis: quia & illi, qui eam uoluntate delegerunt, fecerunt eam eſſe neceſsitatis: quoniam uani ſine damnatione ab illa deuiare non poſſunt. Et qui in eam neceſsitate contruſi ſunt; faciunt eam eſſe uoluntatis: ſi non de ſeipſis, ſed de illo, à quo eſt bonum omne, confidunt. Contra hoc autem adhuc inſtant nonnulli dicentes. Cum continentia ſit donum Dei, iuxta illud Sapientiæ. 8. Quomodo continere poterimus, niſi Sap. 8.
à Deo tali dono ornati fuerimus? Si enim & nobis tale donum Deus largitus fuiſſet, utique & nos perſeuerauſſemus continentes: ſed quia eo fuimus priuati; ideo etiam ab illius obſeruatione erimus excuſati. O excuſationem inualidam. Quis neſcit continentiam eſſe donum Dei, quemadmodum & cetera omnia bona? quæ profectò à Deo dantur uolenti, atque petenti. Quod apertè oſtendit Chriſtus. Luc. 11. dicens. Luc. 11.
Ego dico uobis. Petite, & dabitur uobis. Querite, & inuenietis. Pulſate, & aperietur uobis. Quod cognoſcens & Sapiens, pro ipſa impetranda Dominum adijt. Sap. 8. Et ut ſciui, quo- Sap. 8.
niam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſumma ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum; adij Dominum, & deprecatus ſum illum, &c. Vnde Auguſt. lib. 6. Auguſt.
confeſſ. cap. 11. Putabam enim me miſerum fore nimis, ſi feminæ priuarer amplexibus: & medicinam miſericordiæ tuæ, ad eandem infirmitatem ſanandam non cogitabam: quia expertus non eram, & propriarum uirium credebam eſſe continentiam, quarum mihi non eram conſcius, cum tàm ſtul-

tus essem, ut nescirem, sicut scriptum est, neminem esse posse continentem, nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te iactarem curam meam. Item ibidem lib. 10. cap. 29. Et tota spes mea non nisi in magna ualde misericordia tua. Da, quod iubes; & iube, quod uis; imperas nobis continentiam. Et cum scirem, ait quidam, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum. Per continentiam quippè colligimur, & redigimur in unum, à quo multum defluximus. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat: quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas, Deus meus, accende me. Continentiam iubes, da, quod iubes: & iube, quod uis. Non ergo in obseruandis uotis, infideles Deo estis, quia non potestis; sed quia non uultis.

August. Quod ostendit & Augustinus in de peccat. remiss. lib. secundo, cap. 17. dicens. Vellent nanque plerique hominum esse boni, sed non sunt: non quia esse non possunt; sed quia non uolunt.

Chrysost. Et Chrysostomus homilia in psal. 50. Non possum, ais, me continere, hoc pusillanimitatis est, & negligentiæ tuæ, quòd Dei præcepta contemnere malles, quàm facere. Hæc ille. Nec

1. Cor. 10. mirum. Nam fidelis est Deus (inquit Apostolus) qui non patietur uos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Ideo dicebat ad

Philip. 4. Philippenses 4. Omnia possum in eo, qui me confortat. Accedite itaque, constantes estote, fidite, roboramini, permanete, qui Domino Deo uota polliciti estis, illa ei reddendo: quia qui

Philip. 1. cœpit opus bonum in uobis, perficiet usque in diem Iesu Christi. Et si quid carnalis concupiscentia uos molestauerit; ab orationibus non recedatis: & occasiones libidinem prouocantes fugiatis: à nimia crapula, superfluisq; poculis, & familiari, continuaq; muliercularum conuersatione, & ab alijs huius generis concupiscentiæ incentiuis abstinendo. Hæc sunt quæ uotorum fractores ad incontinentiam trahunt, & non

Hieron. doni Dei denegatio. Vnde Hieronymus libro contra Iouinianum secundo cap. 37. epistola sexta, par. 1. Si quis existimat abundantia ciborum, potionumq; semper frui, & carnis lubricum non sentire, hoc est uersari in delicijs, & deliciarum uitijs non teneri; se ipsum decipit. Cum enim procul ab his remoti, sæpè capiamur naturæ illecebris, & cogamur ea capere,

quorum copiam non habemus; quanto magis, ſi circundati retibus uoluptatum, eſſe nos liberos arbitremur? Senſus noſter illud cogitat, quod uidet, audit, guſtat, attrectat: & ad eius rei attrahitur appetitum, cuius capitur uoluptate. Vetus quoque ſententia eſt. Difficile eſt, immo impoſsibile, delicijs, & uoluptatibus affluentes non ea cogitare, quæ gerimus. Meminiſſe oportet Paulum à ſtimulo carnis ab Angelo Satanæ colaphizatum, quem oratione, & uigilantia, & ſi non abegit, uicit tamen. Non itaque Deo eſt imputandum, quaſi continentię donum uotorum fractoribus non exhibuerit, qui omnibus, & ſingulis dare eſt paratus. Nam ſtat ad oſtium noſtræ uoluntatis, & pulſat. ſi quis aperire uoluerit; ingredietur, & cœnabit cum illo, eum ab omni contagione carnali præſeruando. Sed eorum occaſio incentiua, ad libidinemq; prouocans eſt accuſanda, quæ ex illorum procedit uoluntate: alioquin à uoti non deuiarent obſeruantia. quia uotum contra uoluntatem fractũ, adhuc remanet inuiolatum. Vnde Hieronymus ſuper illis uerbis, Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue, ait. Quomodo etiã leuius eſt lege Euangelium, cũ in lege homicidium, & adulterium, in Euangelio ira, concupiſentiaq; puniatur? In lege enim multa præcepta ſunt, quæ Apoſtolus non poſſe compleri pleniſsimè docet. In lege opera requiruntur, in Euangelio uoluntas quæritur: quæ, etſi effectum non habuerit; tamen præmium non amittit. Euangeliũ ea præcipit, quæ poſſumus, ne ſcilicet concupiſcamus: hoc in noſtro arbitrio eſt. Lex cum uoluntatem non puniat, punit effectum, ne adulterium facias. Finge in perſecutione aliquam uirginem proſtitutam. hæc apud Euangelium, quia uoluntate nõ peccat, uirgo ſuſcipitur: in lege quaſi corrupta repudiatur. Caſti igitur, & continentes non ſunt, non quia nõ poſſunt, ſed quia nõ uolũt. Et hęc pro uotis ſufficiant.

2. Cor. 12
Apoc. 3.
Hieron.

De Purgatorio. Art. XXVI.

AIT Philoſophus in 2. Phyſicorum, tex. 6. Natum cœcum realem colorum cognitionem habere haudquaquam eſſe poſsibile. Cuius rei ratio eſt: quia illuc ſenſu uiſus attingere non poteſt. Sic hæretici in eorum peruerſitate perſeuerantes, cum pœnas purgatorias ingreſſuri non ſint, quia domus infernalis ipſorum erit hoſpitium; Purgatorij cognitionem

nem nullam habere possunt. Ideo ipsum esse, multi audent negare. Quorum primi fuerunt Græcorum non pauci: qui hoc ideo affirmabant, quia animas corporibus exutas, ante diem extremum, neque beatitudine perfrui, nec peccatorum pœnas luere posse tenebant, atq; affirmabant. Cuius oppositum secundum Ecclesiæ catholicæ fidem ostendit. D. Thomas contra gentiles, lib. 4. cap. 91. Vnde & Pius Papa in epistola ad Machometum de ipsis Græcis sermonem faciēs ait. Græci à Romanæ Ecclesiæ unitate aberrant, cum tu Constantinopolim inuasisti, neque adhuc de Spiritu sancto, neque de purgatorio igne, consona mente fidei consentientes, &c. Hanc insaniam secuti sunt Suriani: qui Græcorum institutiones, & mores in omnibus imitantur. Similiter & Nestoriani, Iacobitæ, Cathari, atque Armeni: qui tamen in alijs multis Surianis contrariantur. Deinde Apostolici, aduersus quos. D. Bernardus, sermone 66. super Cantica scripsit. Hos imitati sunt & Rutheni, Vualdenses, atque Albanenses, nec non (ut aliqui uolunt) Vuicleffitæ, atque Hussitæ: quanuis talis error in articulis ipsorū à sacro Cōstantiensi Cōcilio dānatis, non reperiatur. Postremò hac nostra tēpestate Martinus Lutherus, & si absolutè hāc hæresim nō sit secutus, tamen Purgatoriū esse ex sacris literis ostendi affirmauit impossibile. Quapropter Vuittembergēses, & Zuuingliani prorsus esse negarūt. Quorū opinionē & Annas Burgēsis amplexatus, diuersis rationibus hoc illud corroborare nititur. Et primò ex eo, q̄ nulla ipsius in sacris literis facta fuerit mētio dicens. *Iam uerò, quod ad purgatiorum attinet; credo, sanguine Christi nos, nostraq; peccata per fidem, quam in ipso habemus, purgari: quippe cum Petrus Apost. sic scribat. Scitote uos à uana conuersatione uestra redemptos esse, non per rem aliquam corruptibilem, ueluti aurum, aut argentum; sed per pretiosum sanguinem Iesu Christi. Est enim in literis sanctis duplex tantum uia nobis tradita: ut qui in fide, & inuocatione Domini moriatur, saluus sit: qui secus damnetur. Considerate Latronem illum, qui tàm multa scelera, & flagitia commiserat: tamen ei dictum est. Hodie eris in paradiso. Sic in historia diuitis improbi, mendicus receptus est in sinum Abrahæ, diues ad inferos deiectus. Quo in loco duplicem tantum uiam uidetis notatam, ac demonstratam fuisse.* Quantum ad primum, non respuimus & nos secundum fidem catholicam, duplicem tantum esse uiam, unam latam perfidos ad perditionem; alteram arctam bonos ad uitam perducentē æternā: iuxta illud Christi,

Aquinas.

Pius Pa.

Bernar.

ap ud

apud Math. 7. Lata porta, & ſpatioſa uia eſt, quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta uia eſt, quæ ducit ad uitam: & pauci ſunt qui inueniunt eam. Super quibus uerbis ait Chryſoſtom. Porta perditionis eſt diabolus: per quem introitur in gehennam. Porta uitæ, Chriſtus: per quem introitur in regna cæleſtia. Per illã de facili, abſq; impedimento ſui, ingrediuntur: quia ſpatioſa eſt uia, quę illuc tẽdit. Ideo multi ſunt, qui per eã intrant. Per hãc uerò maxima cũ difficultate quis ingredi poteſt: quia anguſta eſt porta, & uia eſt arcta, quæ illuc ſuos ducit. Quapropter pauci ſunt, qui inueniunt eam. Arcta autem eſt uia, propter plurima impedimenta, quæ in illa ipſa inneniuntur: quæ electos ab ipſius portæ ingreſſu quandoque ad tempus impediunt: quibus demptis, ſine mora hinc diſcedentes per ipſam ad uitam intrant æternam. Sicut enim in rebus naturalibus ununquodque perfectionem, cuius eſt capax, recipit, niſi uel ex parte agentis, uel patientis impedimentum fuerit; ſic eadem Dei prouidentia creaturis rationalibus præmia immediate debentur, & pœnæ, niſi illis impedimentum aliquod ſe oppoſuerit. Nam animæ à corporibus ſeparatæ, ſi gloriæ, uel pœnæ fuerint capaces; abſque mora, & ſine dilatione ſtatim, uel hoc, uel illud recipient: boni præmium, mali pœnam. De immediato bonorum præmio, habetur apud Lucam, cum Latroni dixerit Chriſtus. Hodie mecum eris in paradiſo. Inſtantaneam uerò malorum damnationem deſcribit Iob. 21. dicẽs. Tenent tympanũ, & citharã, & gaudẽt ad ſonitũ organi. Ducũt in bonis dies ſuos, & in pũcto ad inferna deſcendunt. Itẽ Eſa. 5. Cithara, & lyra, & tympanũ, & tibia, & uinũ in cõuiuijs ueſtris, & opus domini nõ reſpicitis, &c. Propterea dilatauit infernus animã ſuã, & aperuit os ſuũ abſq; ullo termino, & deſcendẽt fortes eius, & populus eius, & ſublimes, glorioſiq; eius ad eũ. Dathan quoq;, & Abiron (ut habetur Num. 16.) deſcẽderũt uiui in infernũ. De utroq; habetur apud Luc. 16. Lazarus mẽdicus, ut mortuus eſt, in ſinũ Abrahę eſt delatus: diues uerò, ut eſt mortuus, in inferno eſt ſepultus. Impedimẽtum aũt eſſe poteſt, ne animæ ſtatim à corporibus abſolutę ultimã mercedẽ recipiant, quæ in Dei uiſione cõſiſtit, ad quã creatura rationalis eleuari non poteſt, niſi totaliter fuerit purgata, atq; oĩno depurata, iuxta illud Sap. 7. Nihil inquinatum in illam incurrit.

Item

Matth. 7. Chryſoſt. Aquin. cõtra Gent. lib. 4. cau. 91. Luc. 13. Iob. 21. Eſai. 5. Num. 16. Luc. 16. Sap. 7.

Esa.35. Item Esaias.35. Via sancta uocabitur, non intrabit per eam pol
Apoc.21. lutus. Et Apocal.21. Non intrabit per eam aliquid coinquinatum.
Anselm. Ad cuius corroborationem ait Anselmus in lib. Cur Deus homo. Impossibile est animam coinquinatam paradisum intrare. Coinquinatur autem anima per peccatum, inquantum rebus inferioribus inordinatè coniungitur: à qua quidem pollutione in præsenti uita per pœnitentiam, & alia sacramenta purificari deberet. Sed quia quandoq; accidit, purificationem talem hac in uita ex toto perfici non posse, tùm ob negligentiã aliquam, uel occupationem; tùm propter mortem præuenientem, quorum causa à præmio uitæ totaliter quis nõ mereretur excludi; cum hæc contingere possint absq; peccato mortifero, per quod solum charitas tollitur, cui uitę æternæ debetur præmium; ideo oportet, quòd post hanc uitam tales antequam finale consequantur præmium, purgentur. Purgatio autem hæc per pœnas fit satisfactorias: alioquin melioris negligentes essent conditionis, quàm soliciti, si pœnam, quam hic pro peccatis non implent, in futuro non sustinerent: quod est absurdum dicere.
Dionys. Areop. Nam Deus (ut ait & Dionysi. Apostoli Pauli discipulus. 4. ca. de diuinis nominibus) præ omnibus modis est perfectus, & opera eius perfecta sunt: et si purgatorium non esset; Dei opera non essent perfecta: quia essent sine iustitia, quæ exigit, ut peccata puniantur. Oportet ergo, quòd ille, qui post contritionem, & absolutionem hinc ante satisfactionem decedit, post hanc uitam puniatur: & pœna purgatorij est in huius supplementum satisfactionis. Sic enim Deus misericordia sua parcit peccatori, ut iustitiæ suæ non fiat præiudicium. Retardantur igitur animæ bonorum, qui habent aliquid purgabile in hoc mundo, à præmij consecutione, quousque pœnas sustineant purgatorias. Et hæc est ratio, quare purgatoriũ ponimus.
Gre. Nys. Ad cuius confirmationem ait Gregorius Nyssenus in sermone de defunctis. Si quis in hac labili uita peccata purgare minus potuit, post transitum hinc per purgatorij ignis conflationem, citius magis, ac magis fidelis sponsa sponso dona, & hostias in passionis memoriam affert pro filijs, quos ipsi sponso uerbo, & sacramento rei preclaræ genuit, pœna alacriter expeditur, secundum quòd prædicamus dogma ueritatis seruantes, ita & credimus.
Theod. Cyren. Idem Theodoricus Episcopus Cyrensis super uerbis illis. 1. Corin. 3. Si cuius opus arserit & sic ait, Dicit Apostolus, quòd

quòd saluabitur sic tanquam per conflatorium ignem, purgantem quicquid interuenit per incautelam præteritæ uitæ, ex puluere saltem pedum terreni sensus: in quo tàm diu manet, quandiu quicquid corpulentiæ, & terreni affectus inhæsit, purgetur: pro quo mater Ecclesia hostias, & dona pacifica deuotè offert. Et sic per hoc mundus inde prius exiens Domini Sabaoth purissimis oculis immaculatus assistit. Huic etiam diuersa sacrę scripturæ suffragantur loca. Nam ait Malachias. 3. Ipse enim quasi ignis cõflans, & quasi herba fullonũ. Et sedebit cõflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Et colabit eos quasi aurum, & quasi argentũ: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificiũ Iuda, & Hierusalem, &c. Mala. 3.
Super quibus uerbis ait Augustinus de ciuit. Dei, lib. 20. ca. 25. August.
Ex his, quæ dicta sunt, uidetur euidentius apparere in illo iudicio quasdam quorũdam purgatorias pœnas futuras. Vbi enim dicitur. Quis sustinebit diẽ introitus eius, aut quis ferre poterit, ut aspiciat eum, quia ipse ingredietur quasi ignis cõflatorij, & quasi herba lauantium, & sedebit cõflans, & emundans sicut aurum, & sicut argentũ, & emundabit filios Leui, & fundet eos sicut aurum, & sicut argentum; quid aliud intelligendum est?
Dicit tale aliquid & Esai. Lauabit dominus sordes filiorũ, & filiarum Syon, & sanguinẽ emũdabit de medio eorũ spiritu iudicij, & spiritu cõbustionis. Nisi fortè sic eos dicẽdum est emundari à sordibus, & eliquari quodãmodo, cũ ab eis male per pœnale iudiciũ separantur, ut illorũ segregatio, atq; dãnatio, purgatio sit iustorũ: quia sine taliũ de cetero cõmixitone uicturi sint. Sed cum dicit, Et emundabit filios Leui, & fundet eos, sicut aurũ, & argentum, & erunt domino offerẽtes hostias in iustitia, & placebit Domino sacrificiũ Iuda, & Hierusalẽ; utiq; ostẽdit eos ipsos, qui emundabuntur, deinceps in sacrificijs iustitię domino esse placituros, ac per hoc ipsi à sua iniustitia mundabuntur, in qua domino hostiæ displicebãt. Porrò in plena, perfectaq; iustitia cũ mundati fuerint, ipsi erũt. Quid. n. acceptius Deo tales offerunt, quàm seipsos? &c. Deinde ait. Filios autẽ Leui, & Iuda, & Hierusalẽ, ipsam Dei Ecclesiã debemus accipere, non ex Hebræis tantum, sed ex alijs etiã gẽtibus congregatã. Itẽ Christus apud Math. 5. Esto cõsentiens aduersario tuo cito dum es in uia cũ eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerẽ mittaris. Amẽ dico tibi, nõ exies Esai. 4. Matth. 5

inde, donec reddes nouissimum quandrantem. Vel, ut habetur
Luc. 12. apud Luc. 12. Cum autem uadis cum aduersario tuo ad Principem, in uia da operã liberari ab illo: ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, nõ exies inde, donec etiã nouissimum minutum reddas. Ecce Purgatorium per carcerẽ nominatum, ecce peccatorum reliquias per quadrantẽ, & minutum nouissimũ insinuatas. Nã in Inferno nulla fit debitorũ relaxatio, sed tãtum in Purgatorio, ubi peccatorum minutiarum ad unguẽ fit solutio. Vnde
Hieron. de Hiero. super illud Matth. ait. Quadrãs genus nũmi est, quod habet duo minuta. Hoc est ergo, nõ egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata persoluas: in inferno enim nulla fit peccatorum persolutio. Sic interpretatur & D. Ambros. Itẽ Christus
Matth. 12. Matth. 12. Qui dixerit uerbum contra Spiritum sanctum; nõ remittetur ei neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Quid hoc apertius? Si peccatum tale in futuro nõ relinquetur; ergo aliud peccatorum genus in sequẽti uita relaxabitur: nõ in Inferno, cũ illic nulla fiat redẽptio. Igitur alius erit locus, in quo talis cõcedatur remissio, qui est Purgatorium. Vnde D. Gregorius lib. 4.
Grego. Dialog. ca. 39. ait. De quibusdã leuibus culpis esse ante iudiciũ, purgatorius ignis credẽdus est, pro eo, quòd ueritas dicit. Quia si quis in Sancto spiritu blasphemiam dixerit, neq; in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam uerò in futuro posse relaxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur: sed tamen, ut prædixi, hoc de paruis, minimisq; peccatis fieri posse credẽdum est, &c.
Bernar. Eodem etiam Christi testimonio. D. Bernard. Serm. 66. super Cantica, utitur ad probãdum esse purgatorium aduersus quosdam hæreticos, qui se appellabant Apostolos, ubi sic ait. Non credunt autem ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore, uel ad requiem transire, uel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remittetur; cur hoc dixerit? si nulla manet in futuro remissio,
August. purgatiove peccati. Et Augustinus lib. uigesimoprimo, de ciuitate Dei capit. 24. Sicut etiam facta resurrectione mortuorum, non deerunt, quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur

tantur æternum. Neque enim de quibusdam ueraciter diceceretur, quòd non eis remittatur neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi essent, quibus & si non isto, tamen remitteretur in futuro. Idem Augustinus de peccatorum remissione in futuro seculo sermonem facit in lib. ut supra de ciuitate Dei capit. autem 13. dicens. Sed temporarias pœnas, alij in hac uita tantum, alij post mortem, alij & nunc, & tunc,ueruntamen ante iudicium illud seuerissimum, nouissimumq; patiuntur. Non aũt oẽs ueniũt in sempiternas pœnas, quæ post illud iudiciũ his sunt futuræ, qui post mortẽ sustinẽt tẽporales. Nã quibusdã quod in isto nõ remittitur, remitti in futuro seculo, idest ne futuri seculi æterno iudicio puniãtur, iã supra diximus. Hoc idem cõfirmat Christus eodẽ in loco apud Matthęũ, uidelicet, 12. dicens. De omni uerbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Dies autem iudicij nihil aliud est, quàm cuiuslibet hominis ultima dies, iuxta illud Apostoli. Hebr. 9. Statutum est hominibus semel mori, post hoc autẽ iudicium. Quod quidem iudicium bifariam fit. Aliud enim est condemnationis, & aliud discussionis, siue discretionis. Augusti. super Ioan. 5. Aliquando iudicium pœna, id est damnatio dicitur: aliquando discretio. Iudicio autem primo modo sumpto, damnandi iudicãtur tantummodo. De quo dicebat Propheta. Nõ intres in iudicium cum seruo tuo Domine, id est ne permittas me in condemnationẽ incidere. Et Christus apud Ioan. 5. Amẽ amen dico uobis, quia qui uerbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, sed transiet à morte in uitam. Snper quibus uerbis ait Augustinus. Secundum iudicium damnationis hic dicitur, In iudicium non ueniet, id est non ueniet in damnationem. Quo etiam iudicio neminem iudicat Deus, sed quilibet peruersus ex suis iudicatur iniquitatibus. Quod ostendit Christus apud Ioan. 3. cum ait. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet, id est ut cõdemnet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est: quia nõ credit in nomine unigeniti filij Dei. Super quibus uerbis ait August. Non dum apparuit iudiciũ, & iã factum est iudicium. Nouit. n. Dominus, qui sunt eius: nouit, qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammã. Iudicio uerò discretionis, omnes etiã

Math. 12. Heb. 9. August. Psal. 142. Ioan. 5. August. Ioan. 3. August.

1. Cor. 2. electi iudicantur, iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 2. Spiritualis autē
August. iudicat omnia: & ipse à nemine iudicatur. Vnde Augusti. super Ioan. 5. Secūdum iudicium discretionis oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Sic itaque omnes electi de omni uerbo ocioso, & quacunq; alia re ueniali, reddent post mortē rationē, quādo à Domino iudicabuntur. Iudicātur autem per peccatorum purgationem, ne cum reliquis damnentur, sed pur
1. Cor. 11. gati, in uitam æternam ingrediātur. quod Apostolus 1. Cor. 11. ostendit dicens. Dum iudicamur autē, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Post mortē igitur locus est
1. Cor. 3. purgationis. Itē Apostolus Paulus 1. Cor. 3. Illud ipsum docet, cum ait. Si quis superędificauerit super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulā; uniuscuiusq; opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & uniuscuiusq; opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit; mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quæ quidem uer-
Origenes. ba pertractans Origenes homil. 6. super Exod. Postquam dixerat per ligna, fenum, & stipulam, triplicem malorum uiam intelligi, sic ait. Idcireo qui saluus fit, per ignem saluus fit: ut si quid fortè de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & resoluat, ut efficiantur omnes aurum bonum, quia aurum terra illius bonum esse dicitur, quam habituri sunt Sancti: & sicut fornax probat aurum, sic homines iustos tentatio. Veniedum est est ergo omnibus ad ignem, ueniendum est ad conflatorium. Sedet enim Dominus, & conflat, & purgat filios Leui. Sed & illuc cum uenitur, si quis multa bona opera, & parum aliquid iniquitatis attulerit; illud parum tanquam plumbum igne resoluitur, ac purgatur: & totum remanet aurum purum. Et si quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, ut amplius decoquatur, ut & si purum aliquid sit auri, purgatum tan
Exo. 15. dem resideat. Quod si aliquis illuc totus plumbeus uenerit; fiet de illo hoc, quod scriptum est. Demergetur in profundum, tan-
Origе. quā plumbum in aqua ualidissima. Itē in homi. 25. super Num. Tempus, inquit, belli nobis est in hoc mundo: spectat nos Angelorum chorus, quādo, uel quomodo de prælio hoc reuertamur: solicitius perscrutantur, quis nostrum auri hinc amplius ferat, quis argēti pōdus, quis lapides, pretiosos. Requirunt etiam, si

quis

quis æs deferat, aut ferrum, aut plumbum. Requiritur ergo dili gēter, cum abierimus illuc, quid uniuſquiſq; noſtrū deferat: & ſecundum ea, quæ detulerit, etiam manſionis ei meritum præparabitur. Probantur enim hæc omnia: quæ per ignem, per ignem; quæ per aquam, per aquam. Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Et paulo poſt. Vides (inquit) quomodo purificatione indiget omnis, qui exierit de prælio uitæ huius. Item D. Gregorius 4. Dialo. ca. 39. ſuper iiſdem Apoſtoli uerbis, ſic ait. Quamuis hoc de igne tribulationis in hac nobis uita adhibito poſsit intelligi; tamen ſi quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, penſandum ſolicitè eſt: quia illum per ignem dixit poſſe ſaluari, non qui ſuper hoc fundamentum, ferrum, æs, uel plumbum ædificat, id eſt peccata maiora, & idcirco duriora, atque tunc iam inſolubilia; ſed lignum, fenum, ſtipulam, id eſt peccata minuta, atque leuiſsima, quæ ignis facile, conſumat. Hoc tamen ſciendum eſt, quia illic ſaltē de minimis, nihil quiſquā purgationis obtinebit, niſi bonis hoc actibus in hac adhuc uita poſitus, ut illic obtineat, promereatur. Et Auguſt. pariter eundem Apoſtoli locum pertractans, ſuper pſal. 37. ſic ait. Domine ne in indignatione tua arguas me. Non ſim inter illos, quibus dicturus es. Ite in ignē æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius. Neq; in ira tua emendes me, ut in hac uita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne nō opus ſit, propter illos qui ſalui erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Quare, niſi quia hic ædificant ſupra fundamentū, ligna, fenum, ſtipulam? Si ędificarent autem aurū, argentum, lapides pretioſos, & de utroque igne ſecuri eſſent: non ſolum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus eſt impios; ſed etiam de illo, qui emendabit eos, qui ſalui erunt per ignem. Dicitur enim, Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Et quia dicitur, ſaluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quāuis ſalui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quicquid homo poteſt pati in hac uita. Item in Enchiridio ad Laurentium, ubi poſtquam eundem Apoſtoli locum de huius pœnitentis uitæ tribulationis igne expoſuerat, ca. 69. ſic ait. Tale aliquid etiam poſt hanc uitam fieri incredibile non eſt: & utrum ita ſit, quæri poteſt, & aut inueniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quendam Purgatorium, quantò magis, minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiusq;

Greg.

Auguſt.

Auguſt.

tiusq; saluari, non tamen tales, de quibus dictum est, quòd regnum Dei non possidebunt, nisi conuenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Hoc idem, ipse Augustinus interpretatur Serm. quarto, de animarum commemoratione, qui inter Sermones de Sanctis habetur. Item Ambrosius super illud Apostoli 1. Corinth. 3. ait. cum dicit, Sic tamen quasi per ignem, ostendit saluum illum quidem futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus, fiat saluus, & non sicut perfidi, æterno igne in perpetuum torqueatur. Idem etiam & D. affirmat Anselmus. Item Hieron. in fine. 18. libri commentariorum super Esaiam sic ait. Sicut Diaboli, & omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus æterna tormenta; sic peccatorum, atq; impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam iudicis. Idem uidetur insinuare, quod habetur in Apocalypsis quinto cap. Et omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes. Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. Nam creaturæ, quæ sub terra Agnum laudant, in benedicendo; sunt, quæ in Purgatorio existunt: quia damnati, neque eum laudant, neque ei benedicunt, quamuis inuoluntariè sedenti in throno subiiciantur. iuxta illud Iacobi secundo. Dæmones credunt, & contremiscunt. Ecce igitur ex sacris scripturis, quamuis duplex tantum sit uia, una ad perditionem, altera ad uitam; multorum tamen electorum animæ, cum à corpore separantur, à uitæ introitu quandoque ad tempus prohibentur, ut si quid polluti in se haberent, à quo in hac uita mundari non quiuerunt; primò ab omni inquinatione purgentur, & mundi ingrediantur.

Ambr. — Ansel. — Hieron. — Apocal. 5. — Iacobi. 2.

Respon. ad obiect.

Ad obiectiones autem de Lazaro mendico, qui dum moreretur, portatus est ab Angelis in sinum Abrahæ, & de Latrone, cui dixit Christus in cruce, Hodie mecum eris in Paradiso, ex supradictis satisfacere possumus. Nam Lazarus, si quid mali hac in uita commiserat; ab omni nequitia, antequam moreretur, se purgauit: ita ut ab ingressu regni cælestis nullum inuenerit impedimentum. Quod confirmat illud Luc. 16. Dixit illi, scilicet diuiti, Abraham. Fili recordare, quia recepisti

Luc. 16.

bona

bona in uita tua. Lazarus ſimiliter, mala. Nunc autem hic conſolatur, tu uerò cruciaris. Super quibus uerbis ait Chryſoſt. Chryſoſt. Recepiſti bona in uita tua, quaſi dicat. Si quid boni feciſti, unde præmium daretur; omnia recepiſti in illo mundo, epulans, dilatatus, oblectatus ſucceſsibus proſperis. Hic autem, ſi quid mali commiſit; uniuerſa recepit paupertate tanta, & extremis oppreſſus miſerijs: & uterque ueſtrum huc nudus acceſſit, hic quidem à peccatis, propter quod & conſolationem ſortitur; tu uerò à iuſtitia, propter quod immitigabilē perfers pœnam. Similiter dicendum eſt & de Latrone: qui & ſi in uita, multa ſcelera, & flagitia perpetrauerat, pœnam tamen & pro ipſis uoluntariè ſuſtinuit, Chriſtum prædicauit, & Chriſto ſe commendauit dicens. Nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus: hic uerò nihil mali geſsit. Et dicebat ad Ieſum. Domine memento mei, dum ueneris in regnum tuum. Si enim aliquid aliud pro Chriſto facere potuiſſet; utiq; feciſſet. Nã quicquid potuit, fecit. Vnde ſuper illis uerbis ipſius Latronis ait Gregorius 18. Moral. In cruce claui manus eius, pedesq; ligauerunt, nihilq; à pœnis in eo liberum niſi cor, & lingua remanſerunt. Inſpirante Deo totum illud ei obtulit, quod in ſe liberum inuenit: ut iuxta hoc, quod ſcriptum eſt, corde creditur ad iuſtitiam, ore confiteretur ad ſalutem. Tres autem uirtutes, quas Apoſtolus memorat, ſubito repletus gratia & accepit latro, & ſeruauit in cruce. Fidem nanq; habuit, qui regnaturum Deum credidit, quem ſecum pariter morientem uidit. Spem habuit, qui regni eius aditum poſtulauit. Qui charitatem quoque in morte ſua uiuaciter tenuit, qui fratrem, & collatronem pro ſimili ſcelere morientem de iniquitate ſua redarguit. Vel, ut ait Chryſoſtomus. Quidam autem non ſic legunt, Hodie mecum eris in paradiſo, ſed ſic. Dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Sed adhuc euidentiorem (inquit Chryſoſtomus) ſolutionem ſubiungemus. Nam medici, cum uident aliquem deſperatum, dicunt, Iam mortuus eſt. Sic & latro, quoniam non amplius timebatur eius regreſſus ad perditionem, dicitur Paradiſum introiſſe.

Marginal notes: Marc. 23. (beside "commendauit dicens"); Gregor. (beside "Gregorius 18. Moral."); Chryſoſt. (beside "Vel, ut ait Chryſoſtomus")

SECVNDO Burgensis Purgatorium esse, respuit: ex eo (inquit ipse) quod pro fidelium animabus non sit orandũ. Hoc.n. ad inferendam hanc suam intentionem, utitur argumento. Si talis equidem purgationis existeret locus, utiq; pro in eo commorantibus, ad Dominum esset deprecandum. sed pro defunctis preces non sunt habendę. Quod ostendere conatur tum auctoritate Apostolorum, qui (ut ipse asserit) neq; id docuerunt, neq; id nobis commendarunt, quemadmodum alia opera misericordiæ; tum quia id in sacris non reperitur literis, sed potius oppositum, ergo &c. Verba autem ipsius sunt hæc. *Cum igitur nusquam in scriptura de alio ullo loco mentio habeatur, præter quam de cælo, & inferis; nec Apostoli unquam docuerint, orandum esse pro mortuis; ego omnem eiusmodi orationem tanquam friuolam, & nugatoriam reijcio: quippe cum apud Ecclesiastem sic scriptum sit. Aliquid est spei in eo, qui cum uiuentibus consociatus est, scit enim se moriturum, sed mortuus nihil scit: memoria enim eius deleta est, neque cuiusquam rei, quæ in mundo est, aut quæ sub Sole fit, est particeps. Præterea Apostoli tam sæpè, & tam ualdè commendarunt nobis opera misericordiæ, & charitatis: at mortuorum nullam prorsus mentionem faciunt, quam certe alioqui prætermissuri non fuerant. Quin etiam prohibitum est in literis sanctis, ne mortuorum curã habeamus. Deut. 15. & 26. Leuit. 21. Ezech. 44. Ne lamenteris mortuum (inquit Sapiens) nihil enim ei proderis. Apostoli, cum de mortuis loquuntur, affirmant, quidem animas iustorum esse in manu Dei, sed nunquam præcipiunt, ut preces pro illis habeantur. Id quod certè prætermissuri non fuissent. At ex contrario scriptum est. Beati mortui, qui moriuntur in Domino, Spiritus dicit, illos à suis laboribus quiescere. Item Sapiens. Si iustus, inquit, à morte deprehendatur, erit in refrigerio, et solatio.* De ore tuo te iudico, serue nequam. Nam dicis, Purgatorium non esse, quia pro mortuis, non est orandum: ergo per locum à contrario, à quo efficax sumitur argumentum, si pro mortuis ex doctrina sacra, & traditione Apostolica, fuerit orandum; Purgatorium ex ore tuo esse, confiteri erit necesse. Pro ipsis autem maximè preces sunt habendæ. Quod tùm ex sacris literis, tùm ex Apostolorum, & Ecclesiæ traditione, tùm ex Sanctorum Patrum testimonio, nulla contradicente scriptura, comproba-
Tob. 4. bo. Igitur Purgatorium erit. Primò ait Tobias 4. Panem tuum, & uinum tuum super sepulturam iusti constitue. Quid est autem

tem ſuper ſepulturam iuſti panem, & uinum conſtituere, niſi pro iuſtorum animabus eleemoſynam dare? ut inde pauperes refecti pro defuncti ſalute Dominum Deum deprecentur. Item ait Iudas Machabæus 12.2. Et facta collatione duodecim milia drachmas argenti miſit Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium: benè, & religioſè de reſurrectione cogitans. Niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret; ſuperfluum, & uanum uideretur orare pro mortuis: & quia conſiderabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſoluantur. Super quibus uerbis ait Auguſtin. in lib. de cura pro mortuis gerenda, cap. 1. In libris Machabæorum legimus oblatum ſacrificium pro mortuis: ſed & ſi nuſquam in ſcripturis ueteribus omnino legeretur; non parua eſt uniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas: ubi in precibus ſacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum. Dicitur nanq; ibidē. Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſoluantur. Item 44. Serm. ad fratres in hæremo. Defunctis cum omni diligentia miſereri, & ſubuenire ſtudeamus. Attendite quid Iudas Machabæus fecerit. Dixit enim, quòd ſancta eſſet cogitatio pro defunctis exorare, &c.

2.Mach. 12.

August.

Obiectio aduerſus auctoritatem lib. Machab.

Hanc tamen Machabæorum auctoritatem Burgenſis non ueritus, aperta fronte reſpuere auſus eſt dicens. *Quod ſi quis mihi librum Machabæorum obijciat; reſpondebo, illum apocryphum eſſe, & extra numerum eorum librorum, qui in Eccleſia Dei auctoritatem obtinent, quemadmodum D. quoque Hieron. in præfatione Prouerbiorum teſtatur. Nam is liber ſcriptus eſt ſub nomine Iudæ Machabæi, neque una cum alijs repertus fuit.* Ad quod dicendum eſt, Machabæorum libros apud Hebræos quidem ſine dubio inter canonicos non haberi, ſed apocryphos: apud Chriſti uerò Eccleſiā eos canonicis aſcriptos eſſe prædicamus. Sic D. Hieron. ipſos apocryphos eſſe intelligebat, ut ipſemet teſtatur in 2. prologo eiuſdem libri Machabæorum dicens. Machabæorum libri, licet non habeantur in canone Hebręorum, tamen ab Eccleſia inter diuinorum uoluminum annotantur hiſtorias, &c. Idem confirmat in Galeato prologo, &c. Et Auguſt. 18. de ciuitate Dei, cap. 36. ait. Libros Machabæorum non Iudæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet.

Reſpon.

Hieron.

Auguſt.

CCC

bet. Si quis igitur propterea illos canonicos esse negauerit; non inter Ecclesiæ catholicæ filios, sed inter Iudæorum Synagogæ membra connumerabitur: & ex consequenti non solum hos Machabæorum libros, uerum & Apostoli epistolam ad Heb. & reliquos Testamenti noui libros, canonicos esse, negare erit

Hieron. necesse: cum nec ipsi apud Iudęos sint canonici. Vnde Hieron. in epist. de terra promissionis ad Dardanum scripta, quæ sic incipit. Quæris Dardane, de epist. Pauli ad Hebræos, de qua aliquando, cuiusnam sit, nonnihil ambiguitatis fuit, ait. Illud nostris dicendum est, hanc epistolam, quę inscribitur ad Hebręos, non solum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro Ecclesijs Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi: licet pleriq; eam uel Clementis, uel Barnabę arbitrentur: & nihil interesse, cuius sit, cum Ecclesiastici uiri sit, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. Si quis iudaizans eam recipere recusat, pari ratione & nouum Testamentum reijciet: quia non est de canone Hebræorum, nec Iudæi recipiunt. Verum tamen est (ut ad primum redeamus institutum) ipsos Machabæorum libros quandoque inter canonicos non fuisse connumeratos. Quod nec mirum alicui uideri debet: cum & Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis Euangelia, antequam ab Ecclesia fuerint approbata, non haberentur canonica: quemadmodum & nunc Bartholomæi, & Nicodemi scripta, quę inter Ecclesiastica adhuc non annotantur uolumina, & id genus alia, superius in primo articulo notata: quia diligēti ab Ecclesia discussione adhibita, illa quatuor, & non ista, in canonicos libros sunt acce-

August. ptata: alioquin neque ipsis credere astringeremur. Vnde Augustinus contra epistolam Manichæi, quam Fundamenti uocant, cap. 5. Ego uerò Euangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas. Quibus ergo obtemperaui dicentibus, Credite Euangelio; cur eis non obtemperem dicentibus, Noli credere Manichæo? Similiter & de reliquis vtriusq; Testamenti libris est dicendum: quibus omnibus propterea, & non alijs fidem habere tenemur. Sic itaq; & Machabæorum libris, tanquam à Deo per Ecclesiam nobis traditis,

Concil. 3. Carthag. assentire debemus. Ab Ecclesia autem acceptati fuerūt in Cōcilio prouinciali 3. Carthaginensi, ca. 47. Vbi sic legitur. Item placuit, ut præter scripturas canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum scripturarum. Sunt autem canoni-

cæ

cæ ſcripturæ, id eſt Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ieſu Naue, Iudicum, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob, Pſalterium Dauidicum, Salomonis lib. 5. Lib. 12. Prophetarum, Eſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, Heſter, Eſdræ lib. 2. Machabęorum lib. duo. Noui autem Teſtamenti uiginti ſeptem, &c. Et hoc quidem capitulum cum omnibus alijs in eodem Carthaginenſi Concilio decretis, eſt ab uniuerſali Synodo in Trullo celebrata, acceptatum, ut ibidem habetur, can. 2. Idem confirmatur ab uniuerſali Synodo Florentina cap. 7. Quamobrem Eccleſia catholica ipſos Machabæorum libros ſemper ab illo tẽpore hucuſq; inter canonicos firmiter tenuit. In cuius teſtimonium, & fidem, à prima Dominica Octobris uſq; ad Nouẽbris calendas, Machabæorum hiſtorias in Eccleſia legi inſtituit. Diſt. 15. cap. Sancta Romana. Et in Miſſa pro defunctis loco epiſtolæ ex ipſis Machabæorum libris lectionẽ cantari ordinauit: ubi pro defunctis exorare doctrina traditur: quam ſi quis temerariè auſus fuerit negare, non catholicæ Eccleſiæ filius, ſed Iudæorum Synagogæ, & poteſtatis diabolicæ ſpurius erit. Tertiò, ex Apoſtolorum traditione pro mortuis orandum eſſe conſpicimus, & affirmamus. Documenta .n. Apoſtolica nobis partim in ſcripturis, partim uerbis tradita ſunt: uti Apoſtolus ad Theſſal. 2. 2. teſtatur dicens. Itaq; fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Item ad Cor. 11. 1. ait. Laudo autem uos fratres, ꝙ per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi uobis, præcepta mea tenetis. &c. Deinde ſub fine concludens dicit. Cetera autem, cum uenero, diſponam. Hæc autem omnia, ab Apoſtolis tùm in ſcriptis, tùm ſermonibus nobis tradita, ad nos per illorum ſucceſſores peruenere: ut diffuſius ſuperius, cum de Apoſtolorum traditionibus ſermo haberetur, dictum eſt: quę omnia tãquam nobis à Deo miſſa, amplecti debemus. Ideo Act. 16. Paulus docebat, ut tenerent traditiones, & documenta, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erãt Hieroſolymis. Inter illa uerò Apoſtolorum documenta pro fidelium animabus, ad Deum preces fundere, hoc unũ confitemur eſſe. Vnde Chryſoſt. homi. 69. ad populum Antiochenum. Non temere (inquit) ab Apoſtolis hęc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſterijs, defunctorum agatur commemoratio: ſciunt .n. illis inde multum

Concil. Florent.

Diſt. 15. cap. Sancta Rom.

2. Theſ. 2.

1. Cor. 12.

Act. 16.

Chryſoſt.

contingere lucrum, utilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus extensis manibus, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Idem sentit & Damascenus affirmans, morem orandi pro defunctis ab Apostolorum traditionibus emanasse. Cuius rei etiam eorundem Apostolorum discipuli, deinde horum successores, sigillatim fidem fecere: uti de infinitis est uidere, ipsa mortuorum suffragia affirmantibus, laudantibusq;. Nam primò Diony. Areop. ipsius Apostoli Pauli discipulus, in li. Eccles. hierar. ca. 7. sic ait. Quod autem iustorum preces etiam in uita sua, & nedum post mortem iis Solis prosint, qui digni sunt; scripturæ nos edocet sacrosancta traditio. Accedens deinde (delato .s. funere intra templum) uenerandus Antistes precem suam super mortuum peragit: postque precem & ipse Præsul eum salutat, & suo deinceps ordine, qui astant, omnes. Precatur oratio illa diuinam clemētiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuat. & regione uiuorum in finibus Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco unde effugit dolor, tristitia, & gemitus. Item Clemens Petri Apostoli discipulus, eiusdemq; in Pontificatu successor, in cōpendiolo. Infirmos uisitare, mortuos sepelire, & diligenter exequias eorum peragere, pro eisq; orare, & eleemosynas erogare, &c. quàm maximè cōmendat. Deinde Tertull. de exhortatione castitatis, pag. 581. Sic ait. Etiam repete apud Deum, pro cuius spiritu postules, pro quo oblationes annuas reddas. Itē de Monogamia, pag. 596. Enim uerò (uxor) pro anima eius (defuncti mariti) orat: & refrigerium interim postulat ei, & in prima resurrectione consortium: & offert annuis diebus dormitionis eius. Item in lib. de corona militis sic scribit. Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore uictus, & omnibus mādatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, q̃ pręsidentium, sumimus oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus. Origen. in Iob, li. 3. pag. 500. Diem mortis celebramus: quia non moriuntur ij, qui mori uidentur. Propterea & memorias Sanctorum facimus, & parentū nostrorum, uel amicorum in fide morientium deuotè memoriā agimus, tàm illorū refrigerio gaudētes, q̃ etiam nobis piam consummationem in fide postulantes, &c. Cypr. li. 1. epistolarū, epist. 9. Victor cum contra formā nuper in

Damasc. — Dionys. — Clemens. — Tertull. — Origen. — Cyprian.

conſilio à ſacerdotibus datã, Geminium Fauſtinũ presbyterũ auſus ſit tutorẽ conſtituere; non eſt, quo pro dormitione eius apud nos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Eccleſia frequẽtetur. Itẽ in 4. epiſto. Sacrificia pro eis (Celernia, & Laurẽtio, & Ignatio) ſemper ut meminiſtis, offerimus, quoties martyrum paſsiones, & dies, anniuerſaria cõmemoratione celebramus. Item Damaſcenus in ſermone de his, qui in fide hinc migrarunt, ait. Serpens ille, cuius ſtudium eſt bona, Deoq; accepta uitiare, iugulare, hoſtilesq; dolos ſtruere, qui & fraterna charitate percellitur, fide diſrumpitur, cõpaſsione rotatur, ut eſt prçuaricator legum, nonnullis inſpirat figmentũ adulterinum, alienũ, ſacrisq; conſtitutionibus omnino aduerſum: nempe bona, grataque Deo opera omnia defunctis nihil prodeſſe. Item Gregorius Nazianzen. In Iulianum Imperatorem, oratio 2. Conſtantius communibus omnium elatus eſt laudibus, ac pompis, ijsq; uenerandis, ac noſtris, nec non cantibus tota nocte reſonantibus, ac luminaribus accenſis, quibus Chriſtiani tranſitum honorare pium cenſemus. Item Oratione. 7. in Cæſarium. Et nunc uenerandus nobis Cæſarius ſalutẽ eſt adeptus, ciuis honorandus hymnis poſt hymnos, præmiſſus ad martyrum gradus, cum pompa elatus, ſacris parentum manibus honoratus, cum mater luminaris prælatione calamitati pietatem opponeret, ijs uerò, qui lachrymis uincebantur, philoſophia cum pſalmodia ſedarent luctum, & anima nouiter recreata, quam ſpiritus transformauerat, dignum fructificaret honorem, &c. Et Epiphanius contra Aerij hæreſim. pag. 440. Credunt enim præſentes, quòd, qui præceſſerunt, uiuunt, & non ſunt nulli: ſed ſunt, & uiuunt apud Dominum, & ut pientiſsimam prçdicationem recenſeam, ſpes eſt orantibus pro fratribus, uelut qui in peregrinatione ſint. Proſunt autem & preces, qui pro ipſis fiunt: etſi totam culpam non abſcindunt, &c. Item pag. 531. In his, qui uita defuncti ſunt, ex nomine memorias faciunt (catholici) orationes ad Deum perficientes, ac cultus diuinos, & myſteriorum diſpenſationes. Et Chryſoſtomus in cap. 9. Matth. homil. 32. Cur poſt mortem tuorum pauperes conuocas? Cur presbyteros, ut pro eo uelint orare, obſecras? Non ignoro te reſponſurum, ut defunctus requiem adipiſcatur, ut propitium iudicem inueniat. Item in 15. 1. Corin. homi. 41. Opitulemur igitur defunctis fratribus: memoriam pro ipſis faciamus.

Damaſcẽ.

Grego. Nazian.

Epiphan.

Chryſoſt.

ciamus. Nam si Iobi illius liberos patris uictima purgauit; quid dubites, è nobis quoq;, si pro dormientibus offeramus, solatij quiddã illis accessurum? Gratificari Deus propter alios alijs solet. Itẽ in 1. ad Philip. homi. 3. Defleamus istos (mortuos) iuuemus eos pro uiribus, procuremus illis aliquid auxilij, modici quidẽ, attamen iuuemus eos. Quomodo? qua ratione? precãtes adhortemur & alios, ut pro illis orẽt, pauperibusq; indesinẽter pro illis eleemosynas demus. Habet res ista nõnihil consolatio-

Ambros. nis, &c. Item Ambros. in oratione funebri super obitu pijssimi Imperatoris Valẽtiniani. Solue pater sancte munus seruo tuo, quod Moyses, dum in spiritu uidit, accepit. Solue seruo tuo munus, quod concupiuit: munus, quod poposcit, sanus, robustus, incolumis. Solue seruo tuo (Valentiniano defuncto) munus tuæ gratiæ, quam ille nunquã negauit. Deinde ibidem. Beati ambo (Gratianus scilicet, & Valentinianus) si quid orationes meæ ualebunt; nulla dies uos silentio præteribit: nulla inhonoratos uos mea transibit oratio: nulla nox nõ donatos aliqua precũ mearum contextione transcurret: omnibus uos oblationibus frequentabo. Item in oratione funebri super obitu clementissimi Imperatoris Theodosij. Da requiem perfecto seruo tuo Theodosio, requiem, quã præparasti Sanctis tuis. Illò conuertatur anima eius, unde descẽdit, &c. Deinde ibidem ait. Alij tertiũ diẽ, & trigesimum, alij septimum, & quadragesimum obseruare consueuerunt. Et infra. Vtraq; ergo obseruatio habet auctoritatem: quia necessariũ pietatis impletur officium. Item in oratione funebri super obitu Satyri fratris sui.. Tibi nunc omnipotens Deus innnoxiam commendo animam Satyri fratris mei, iam uita defuncti: tibi hostiam meam offero: cape propitius, ac serenius fraternum munus, sacrificium sacerdotis, hæc

August. mei iam liba præmitto. Et August. epistola 64. ad Aureliũ. Oblationes pro spiritibus dormientiũ, ipsos uerè aliquid adiuuare credẽdum est. Itẽ de uerbis Apostoli, Serm. 32. Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorũ spiritibus erogantur; non est dubitandum mortuos adiuuari: ut cũ eis misericordius agatur à Domino, quàm eorũ peccata meruerũt. Hoc enim à patribus traditũ, uniuersa obseruat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis, & sanguinis Christi cõmunione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.

Cum

Cum uerò eorum commendatorum cauſa, opera miſericordiæ celebrantur; quis eis dubitet ſuffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendũ eſt, iſta prodeſſe defunctis, ſed talibus, qui ita uixerint ante mortem, ut poſsint eis hæc utilia eſſe poſt mortem. &c. Item in Enchiridio ad Laurent. cap. 110. Neque negãdum eſt, defunctorum animas pietate ſuorum uiuentium releuari: cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, uel eleemoſynæ in Eccleſia fiũt. ſed eis hæc proſunt, qui cum uiuerent, ut hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent, meruerunt. Item de cura pro mortuis gerenda cap. 4. Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorũ, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana ſocietate defunctis, etiã tacitis nominibus quorunq;, ſub generali cõmemoratione ſuſcepit Eccleſia: ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati, uel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi. Hæc eadem ferè habentur, cap. 1. 18. Itẽ lib. Confeſſionum. 9. cap. 11. Pone (inquiebat Diua Monica) hoc corpus ubicunq;: nihil uos eius cura cõturbet. tantum illud uos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis. Item ibidẽ, cap. 13. Ego (Auguſtinus) nunc pro peccatis matris meæ, deprecor te, exaudi me per medicinam uulnerum noſtrorum, quæ pependit in ligno, & ſedens ad dexteram tuam interpellat pro nobis, &c. Deinde ait. Namq; illa (Monica) imminente die reſolutionis ſuæ, nõ cogitauit ſuũ corpus ſumptuoſè contegi, ſed tantummodo memoriã ſui ad altare tuũ fieri deſiderauit, cui nullius diei prętermiſsione ſeruierat, unde ſciret diſpẽſari uictimã ſanctã, qua deletum eſt chyrographum, quod erat contrarium nobis. Item ibidem cap. ultimo. Inſpira Domine Deus meus, inſpira ſeruis tuis, fratribus meis, filijs tuis, dominis meis, quibus & uoce, & corde, & literis ſeruio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam eius coniuge: per quorum carnem introduxiſti me in hanc uitam. Item Poſsidonius de uita D. Auguſtini ſic ait. Poſsido.
Auguſtinus membris omnibus ſui corporis incolumis, integro aſpectu, atque auditu, ut ſcriptum eſt (in ſuperioribus ſcilicet) nobis adſtantibus, & uidentibus, ac cum eo pariter orantibus obdormiuit in pace cum patribus ſuis, enutritus in bona ſenectute: & nobis coràm poſitis, pro eius commendatione, corporis depoſitione, ſacrificium Deo oblatum eſt, & ſepultus eſt.

Greg. Pa. eſt. Item Gregorius Papa in Dial. lib.4.cap.57.ſic ait. Si culpæ poſt mortem inſolubiles non ſunt; multũ ſolet animas etiã poſt mortẽ ſacra oblatio hoſtię ſalutaris adiuuare: ita ut hanc nonnunquam ipſæ defunctorũ animæ expetere uideantur. Item in Epiſtola ad Bonifaciũ Epiſcopum, & tranſumptiuè habetur.13. q.2.cap. Animę defunctorũ. Animæ defunctorũ quatuor modis ſoluuntur: aut oblationibus ſacerdotũ, aut pręcibus ſanctorũ, aut carorum eleemoſynis, aut ieiunio cognatorum. Item.6. lib. Regiſtri. Omnis culpa oblato ſacrificio deletur. Huic quoq; ſententiæ in 12. Luc. ſe ſubſcribit Theophilactus dicẽs. Olationes, & diſtributiones, quæ fiunt pro defunctis. non parum conducunt etiam his, qui in grauibus peccatis mortui ſunt. Non omnino igitur poſtquam occidit, mittit in gehennam: ſed poteſtatem habet mittendi. Quartò, pro mortuis orãdum eſſe, ex uniuerſali, & continua Eccleſiæ cõſuetudine, quæ pro ipſis orat, & orare ordinauit, confiteri, atque affirmare eſt neceſſe. Vnde Caſſianus collatione.27. ait. Oportet nos auctoritatem patrũ, conſuetudinemq; maiorum, uſq; ad noſtrum tempus per tantã annorum ſeriem protelatam, etiam non percepta ratione, credere, eamq;, ut antiquitus tradita eſt, iugi obſeruantia, ac reuerentia cuſtodire. Et ratio eſt: quia ſicut in rebus humanis, quæ rationis lumine fiunt, cõſuetudo iuris ſcripti uim obtinere noſcitur; ita multò magis & in Eccleſiæ uniuerſalis actionibus, atq; conſuetudinibus, quæ non niſi ex traditione Apoſtolica, (uti iam dictum eſt) & Spiritus ſancti operatione emanarunt, illas obſeruantiæ uim habere eſt affirmandum. Ideo Leo Papa in Serm. de ieiunio Pentecoſtes. Dubitandum non eſt dilectiſsimi, omnem obſeruantiam Chriſtianam eruditionis eſſe diuinæ; & quicquid ab Eccleſia in conſuetudine deuotionis eſt receptum, de traditione Apoſtolica, & de Spiritus ſancti prodire doctrina, qui nunc quoq; fidelium cordibus præſidet inſtitutis, ut ea omnes & obedienter cuſtodiant, & ſapienter intelligant. Ecce quantę auctoritatis eſt ſancta Eccleſiæ uniuerſalis cõſuetudo, cui qui contradicit, Spiritui ſancto ſe opponit: à quo in omnibus ritibus ſuis Eccleſia ipſa regitur, atque gubernatur. Quapropter etſi in ſacris literis de mortuorum ſuffragijs nulla mentio fieret; nihilominus propter ſanctam Eccleſiæ conſuetudinem, hoc illud amplecti tenemur. Ad cuius confirmationem ait Auguſtiuus in lib. de cura pro mortuis gerenda. Sed

Theophi lact.

Caſsian.

Leo Pap.

Auguſt.

etſi

etſi nuſquam in ſcripturis ueteribus omnino legeretur, non par ua hac cõſuetudiue claret auctoritas, ubi in precibus ſacerdota libus, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locũ ſuũ etiam habet commendatio mortuorum. Qui igitur pro defunctis orãdum eſſe negauerit, ab unitate Eccleſiæ prorſus alienus erit. Et non ſolum conſortio fidelium priuari debet is, qui non tantum ore hoc ipſum reſpuit, uerùm & ille, qui ſuis defunctis ſuffragia retinet, uel cum difficultate illis ſubuenit. Nam in Concilio Carthaginenſi 4. cap. 106. ſic habetur. Qui oblationes defunctorum aut negant Eccleſijs, aut difficulter reddunt, tanquã egentium necatores excommunicẽtur. Quod & recitatur. 13. q. 2. c. Qui oblationes. Item in Synodo Vaſenſi. 1. cant. 4. Qui oblationes defunctorum retinent, & Eccleſijs tradere demoran tur, ut infideles ab Eccleſia ſunt abijciendi. Hoc pariter recitatur, loco ut ſupra, cap. Qui oblationes. 2. Item ut ibidem etiam recitatur, cap. Clerici. In Concilio Agathẽſi cap. 3. ſic habetur. Clerici etiã, uel ſeculares, qui oblationes parentũ, aut donatas, aut teſtamento relictas, retinere perſtiterint; aut id, quod ipſi donauerint Eccleſijs, uel monaſterijs, crediderint auferẽdum: (ſicut ſancta Synodus cõſtituit) uelut necatores pauperum (quo uſque reddãt) ab Eccleſijs excludãtur. Quare? profectò quia de functos à purgatorijs pœnis cũ poſsint, & debeãt, nõ eripiũt. Hoc ubiq; uniuerſalis, & catholica obſeruat Eccleſia, quæ continuè pro ipſis in Chriſto defunctis orare non ceſſat. Quæ ſancta, & ſalubris conſuetudo ab Eccleſia nempe non eſt reijcienda. Ad auctoritates autem Burgenſis ex ſacris literis deſumptas, de facili poteſt ſatisfieri. Et primò primam ex cap. 9. Eccleſiaſtes deſumptam admittendo, tanquam mortuorũ ſuffragijs non derogantem. Nam concedimus mortuos naturaliter, & ex ſe ipſis nihil ſcire, & participes non eſſe cuiuſlibet rei, quæ hac in uita fit, iuxta illud Iob. 14. de homine mortuo loquentis. Siue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles, nõ intelliget. Ad cuius corroborationem ait Aug. in lib. de cura pro mort. gerẽda, quòd animæ mortuorũ rebus uiuentiũ nõ interſunt. Et Grego. in 12. Moralium idem affirmat rationẽ huius rei aſsignando dicens. Mortui uitam in carne uiuentium poſt eos qualiter diſponantur, ne ſciunt: quia uita ſpiritus longè eſt à uita carnis: & ſicut corporea, atq; incorporea diuerſa ſunt genera; ita ſunt diſtincta cognitione. Pariter & ipſorum memoriam dicimus eſſe deletam,

Concil 4. Carthag.

Concil. 1. Vaſenſe.

Conc. Agathen.

Reſp. ad auctoritates in contrarium aſſignatas.

Iob. 14.

Auguſt.

Greg.

quo ad ultra merendum, respectu præmij scilicet essentialis: respectu autem alicuius accidentalis, potest esse, quòd existentes
Aquinas. in Purgatorio (ut docet D. Thom. 4. d. 21. q. 1. art. 3. q. 1. 4.) tanquam aliquo modo uiatores, possint mereri, hoc est quantum ad culpæ uenialis remissionem. Secus autem, minimè: uti eo in
Eccles. 9. loco intelligit sapiens, ubi sic ait. Mortui uerò nihil nouerunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eorum. Sed hoc pro ipsis mortuis suffragia à nobis uiuentibus facta non aufert. Non enim est necesse, ut ipsi, quid eorum gratia hoc in mundo fiat, sciant; sed ut iuuamen sentiant. Nam suffragia, non ad mortuos, sed ad Deum diriguntur, quibus Deus animas illas, quarum gratia hæc Deo oblata sunt suffragia, à pœnarum cruciatu ita subleuat; ut suffragiorum effectum sentiant atque percipiant. Possunt tamen, non naturaliter, & secundum se, sed ex speciali dispen-
Aquinas. satione Dei (quod diuersimode, ut testatur Aquinas p. 1. q. 89. art. 8. 1. potest fieri) multa eorum, quæ hac in uita fiunt, cognoscere. Cuius rei fidem facit multorum apparitio mortuorum: qui profectò nemini apparerent, nisi illius rei (gratia cuius ad hanc uitam missi sunt) prius certi per specialem Dei dispensationem quomodocunq; fuissent facti. Quemadmodum habemus de Samuele iam mortuo: qui quamuis naturaliter, & secundum se omnino ignoraret ea, quæ hoc in seculo fiebant, sicuti & ceteri, ex eo quod nondum ad patriam peruenerat æternam, in qua beati, dono ipsius beatitudinis, diuinam Dei essentiam
Greg. intuendo, hæc ipsa, præcipuè ad illos spectantia (teste Gregorio) cognoscere possunt; nihilominus, non tantum mala futura Saulo regi uiuenti apparendo prędixit, uerùm & causam ho-
1. Reg. 28 rum malorum illi significauit dicens. Faciet enim tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid, quia non obedisti uoci Domini, neq; fecisti iram furoris eius in Amalec. Idcirco
August. quod pateris, fecit tibi Dominus hodie &c. Vnde & Augustinus in lib. de cura pro mortuis gerenda, cap. 11. ait. Cum Mediolani essemus, audiuimus, quòd cum debitum à quodam defuncti patris repeteretur cautione prolata, quod filio nesciente, à patre iam fuerat persolutum, cõtristari homo grauissimè cœpit, atq; mirari, quòd ei pater moriens non dixerit, quid deberet, cum etiam fecisset testamentum. Tunc nimis anxio appa-

ruit

ruit idem pater eius in ſomnis, & ubi eſſet recautum, & quòd illa cautio uacuata fuerat, indicauit: quo inuento iuuenis, atque monſtrato,non ſolũ falſi debiti calumniam propulſauit; quin etiam paternum recepit chirographum, quod pater non recepit, quando eſt perſoluta pecunia. Fidelium igitur defunctorum animæ, eorũ,quæ ſub Sole fiunt,ex ſpeciali tamen Dei permiſsione(uti dictũ eſt)participes eſſe poſſunt.Et hęc quo ad primã. Ad ſecundã uerò,quã ex 15.& 26.Deut.21. Leuit.& 44. Ezech.deſumptã eſſe aſſerit,uidelicet ꝙ pro mortuis curã habere non debeamus;falſam,& erroneã,atq; peruerſiſimã,talẽ eſſe dicimus ſententiã: cum nullibi apud loca per ipſum citata,tale inueniatur mendaciũ. Leuitici quidẽ 21. & Num. 6. Ezech.44. prohibetur,ne perſonę Deo cõſecratæ,ueluti Sacerdotes, & Leuitæ,hominẽ accedant mortuũ,ne propterea inquinentur, atq; contaminẽtur.Nã Ezech.44.uerba ſunt hæc.Sacerdotes,& Leuitæ ad mortuũ hominẽ non ingredientur,ne polluãtur, niſi ad patrẽ,& matrẽ,& filium,& filiã,& fratrẽ,& ſororem, quæ alterũ nõ habuit uirum,in quibus cõtaminabuntur. Ad uerba autẽ illa, Ne lamẽteris mortuũ,&c.dicimus, homines prohiberi,ne inordinatè triſtentur, ſicut & ceteri,(de quibus ait Apoſtolus ad Theſ.)qui ſpem nõ habent,ex futuræ reſurrectionis diffidentia. Et tali profectò modo nemo lamẽtari,neq; cõtriſtari debet.Poteſt tamen homo ſuper amici morte triſtari, ſed moderatè, & hoc multiplici poteſt fieri ratione.Primò,propter defectũ corporis deficiẽtis. amici.n.debemus diligere: & corpus propter animam, Ideo dicebat Sapiẽs.O mors,quàm amara eſt memoria tua homini pacẽ habenti, &c.Secũdò,propter diſceſſum,& ſeparationẽ,quę amicis eſt doloroſa, iuxta illud 1.Reg.15.Siccinè ſe parat amara mors?Tertiò,quia per mortẽ fit cõmemoratio peccati,ſecundũ illud Apoſtoli.Stipẽdia peccati mors.Quartò, ꝗa mortis noſtræ fit cõmemoratio,quod Eccleſiaſ.expreſſe oſtẽdit dicẽs.In illa.n.finis cunctorũ ammouetur hominũ,& uiuens cogitat,quid futurũ ſit,&c.His itaq; rationibus homo abſq; peccato,ſuos poteſt mortuos lamẽtari, quẽadmodum infiniti fecere Sancti.Nam Abraham, uxore ſua Sara mortua,uenit, ut plangeret,& fleret eam. Et Iacob filium ſuum Ioſeph, quem credebat mortuum,multo tempore luxit.Et omnis Aegyptus Iacob mortuum fleuit ſeptuaginta diebus. Et Hebræorum multitudo uidens occubuiſſe Aaron, fleuit ſuper eum. Et mortuo

Ezec.44. | 1. Theſ.4. | Eccleſiaſtici.41. | 1.Reg.15 | Rom.6. | Eccleſiaſtici.7. | Gen.23. | Gen.37. | Gen 50. | Num.20.

1.Reg.25. 28. Samuele, uniuersus Israel congregatus est, & planxerunt eum.
2.Reg.1. Sed quid plura? Dauid, audita Saulis morte, apprehendens uestimenta sua, scidit, omnesq; uiri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt usq; ad uesperam super eum, & super Ionatham filium eius, & super populum Domini, & super domum Israel, eo quòd corruisset gladio. Et hoc non con
2.Reg.1. tentus Rex pientissimus, suum pariter populum ad fletum exci
2.Reg.13 tabat dicens. Filiæ Israel, super Saul flete. Et infra. Cum sepelissent Abner in Hebron, leuauit Rex uocem suam, & fleuit super tumulum Abner. Fleuit autem & omnis populus. Et accepto
2.Reg 18. mortis Absalon nuncio, quidnam magnus iste Dei amicus
3.Esdr. 1. est operatus? Contristatus est ualdè, & ascēdit cœnaculum portæ, & fleuit. Ceterum nonnè & tota Iudęa lugebat Iosiam mortuum, & qui præsidebant cum uxoribus suis, longo tempore la
Iudith.16 mentabant eũ? Omnis etiã populus, defuncta Iudith, & sepulta,
1.Mach.2 luxit illam septē diebus. Et Matathias, & amici eius, luctum habuerunt super eos ualdè, qui à militibus regis Antiochi fuerant
1.Mach.9 interfecti. Ionathas uerò, & Simon, tulerũt Iudã fratrē suum, & sepelierunt eum in sepulchro patrũ suorũ, in ciuitate Modin, & fleuerunt eum omnis populus Israel planctu magno, & lugebãt
1. Mach. 12. dies multos. Ionatham quoq;, & eos, qui cum ipso erant, planxerunt omnes ualde, & luxit Israel luctu magno. Si quis autem
Luc. 8. hoc itidem & ex Christi Euangelio audire cuperet; legat Lucã 8. cap. & inueniet filiam pij Principis Synagogæ mortuã (quam deinde Christus reuocauit ad uitam) omnes illius domesticos
Ioan. 2. fleuisse, atq; planxisse. Et apud Ioannē, Mariam Magdalenã, & sororem eius Martham, nec non & earum amicos omnes, fratris ipsarum mortem non parum deplorasse. At cur in similibus assignandis auctoritatibus, tantum insumo temporis, cũ Christus ipse, dominus noster, ac Saluator, ob Lazari mortem lachry
Luc.7. matus sit? Et super uiduam, filium suum unicum mortuum flentem, misericordia motus fuerit? Quare mortuum lamētari, & illum flere, nedum homini est naturale, uerũetiam & ex sacris literis laudabile. Quapropter ad hoc faciendum sapiens nos hor
Eccle.22. tabatur, dicens. Modicum plora super mortuum, quia requieuit. Quod & si in ipsis Sanctis non reperiretur scripturis, nil tamen à mortuorum propterea detraheretur suffragijs: quia aliud est de amici morte tristari, & illum flere, & aliud illius animæ suffragijs subuenire. Nam unusquisque super alicu-

ius

ius amici obitu, ſe à lachrymis poteſt quidem abſtinere, ſed orationibus, & alijs ſuffragijs, illius animam apud Deum non deerit iuuare. Vnde Auguſt. in 9. lib. Confeſsionum, cap. 12. Cum corpus matris meæ Monicæ elatum eſt, imus, & redimus ſine lachrymis. Nam neq; in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea ſacrificium pretij noſtri, iam iuxta ſepulchrum poſito cadauere, priuſquam deponeretur, ſicut illic fieri ſolet, nec in eis precibus ego fleui. Et hæc ad ſecundam. Auguſt.

Ad tertiam uerò, & ultimam Burgenſis, contra ſuffragia multiplicem ſumptam auctoritatem, in qua aſſerit nullibi ab Apoſtolis præceptum eſſe de precibus pro mortuis habendis, quemadmodum habemus, iuſtorum animas in manu Dei eſſe, & beatos eſſe mortuos, qui in Domino moriuntur, &c. Item ſi iuſtus à morte comprehendatur, erit in refrigerio, & ſolatio, &c. Pro ſolutione dicimus. Cum nedum ex ſacris ſcripturis, uerum & Apoſtolorum traditionibus, ſuffragia pijs in Chriſto defunctis, proficua eſſe, atq; neceſſaria, ſatis oſtenderimus; ſuperfluum iudico idem repetere: præcipuè cum auctoritates à Burgenſi huc adductæ, Purgatorio haudquaquam ſint contrariæ. Nam quotquot in Purgatorio ſunt animæ, illas in manu Dei eſſe firmiter tenemus, atq; confitemur, ad differentiam, ſcilicet damnatorum, qui in manibus ſunt Diaboli. Et illos in Purgatorio pariter dicimus eſſe beatos, quemadmodum ſuperius D. Chryſoſtomus & Latronem dicebat eſſe in Paradiſo, quòd animabus maximum eſt refrigerium & ſolatium. Vnde Gerſon in tertia parte tractatus, De canticis, & ſolatio. In Purgatorio cum afflictione eſt ſolatium ex certa ſpe beatitudinis, ex Eccleſiæ generalibus ſubſidijs, & pijs amicorum ſuffragijs. Et hæc ad ultimam contra mortuorum ſuffragia multiplicem à Burgenſi ſumptam auctoritatem. Ecce igitur tùm ex ſacris literis, tùm ex Apoſtolica traditione, tùm ex continua uniuerſalis Eccleſiæ ſanctiſsima conſuetudine, tùm ex tot, & tantorum patrum teſtimonio, qui ſancti Dei homines (ut ait Apoſtolus Petrus) Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt, nulla ſcripturarum contradicente litera, pro fidelibus defunctis exorandum eſſe, credere, confiteri, affirmare, & prædicare, eſt neceſſe: ex conſequenti & Purgatorium aſtringimur admittere.

Chryſoſt. Gerſon. 2. Petr. 1.

De

De pœnis animarum, & aliorum spirituum damnatorum. Art. XXVIII.

TERTIO, Burgensis Purgatorium non esse, à mortuorum impassibilitate conatur ostendere dicens. *Cum igitur mortui omnis doloris sint expertes, & quiete fruantur, fieri non potest, ut in certo aliquo purgatorio loco miserè torqueantur.* Oportet mendacē esse memorem. Nonne uides ò Anna, quomodo te ipsum redarguis? Nunc reprobas, quod prius affirmabas. Nam in fide, & in Dñi uocatione, alios saluos fieri dicebas, alios secus dānari: illos in paradiso recreari, hos uerò in inferno cruciari. Ad cuius corroborationem, sed in tui confusionem, de Lazaro mendico in sinū Abrahæ recepto, & de diuite ad inferos deiecto, exemplum adducebas. Vterque profectò mortuus est: ille in gloria consolatur, iste in tormentis affligitur. Dicit enim
Luc. 16. Dominus. Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinū Abrahę. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, uidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius: Et ipse clamans dixit. Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham. Fili recordare, quia recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autē hic consolatur, tu uerò cru-
Ioan. Cassia. ciaris. Quæ quidem uerba considerans & Ioannes Cassianus non incongruè asseuerabat, animas non esse ociosas, neq; nihil non sentire: cum diues ille in inferno se flamma cruciari cla-
Iulian. episcop⁹. mauerit. Et Iulianus Toletanus episcopus Gregorij dicta secutus pariter aiebat. Quòd autem non solum uidendo, sed etiam experiendo, anima ignis tormentum patiatur; ex Euangelio colligitur: ubi ueritatis uoce diues mortuus dicitur in inferno sepultus, cuius anima ꝙ in igne teneatur; insinuat, cum Abraham deprecatur dicens. Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. Dum ergo peccatorem diuitem damnatum in ignibus ueritas perhibeat, quis sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? Ecce igitur mortuos doloris esse capaces, sicuti & consolationis possunt esse participes. Ideo nō mirum, si in certo aliquo purgatorio loco, miserè (secundum quid

quid tamen) torqueantur. Verum tamen eſt, mortuos ſecundum id, quo mortui ſunt, omnis doloris prorſus eſſe expertes. Quod enim eſt mortale, uel ſecundum corpus tantum; uel ſecundum corpus, & animam moritur. Inter mortalia uerò unũ genus eſſe dignoſcitur, quod non ſolum ſecundum corpus, uerum & animam, totaliter moritur. Cui ſorti ſubiacet omnis brutorum natura: quapropter unoquoque ipſorum mortuo, nullus in eis amplius ſentitur dolor. Aliud uerò eſſe, quod ſecundum corpus tantum morti ſubiaceat, & ſecundum animã immortalitatem induat (quod humanum eſt) ab omnibus fidelibus, & Chriſtum profitentibus, creditur, & pro re certa tenetur. Quamobrem omnes huius rationalis naturæ mortui, quo ad partem corpoream, omnis doloris ſunt expertes, & quiete fruuntur, uſque ad reſurrectionis diem: in qua ſicut Chriſtus reſurrexit, ita & mortui, & qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Quo ad animam autem, quæ immortalitate eſt induta, atq; ornata, mortui doloris & triſtitiæ ſunt capaces. Itaq; & diues ſepultus in inferno, dolore, & flammæ calore premebatur: quemadmodum & quilibet mortuus damnatus, uel ad pœnas purgatorias deputatus, doloris particeps efficitur. Non eſt autem exiſtimandum (ut ait D. Tho. contra gent. lib. 4. ca. 90.) animas præcipuè damnatas, & omnes alias ſubſtantias incorporeas ab igne corporeo pati poſſe, ita ut eorum natura, per ignem corrumpatur, aut alteretur, aut qualitercunque aliter tranſmutetur, ſicut noſtra nunc corpora corruptibilia ab igne pati diſcernimus, & uidemus. Subſtantię enim incorporeę naturam non habent corporalem, ut rebus corporeis immutari poſsint, neque etiam formarum ſenſibilium ſunt ſuſceptiuæ, niſi intelligibiliter. Neq; pariter dici poteſt, illas alicuius cõtrarietatis ratione, ab igne corporeo afflictionem pati, quemadmodum poſt reſurrectionem patientur corpora: quia ſubſtantiæ tales, ſenſuum organa non habent, neq; potentiis utuntur ſenſitiuis. Poſſunt tamen pet modum alligationis cuiuſdã, ab igne corporeo pati. Spiritus enim alligari poſſunt corporibus, uel per modum formæ, ſicut anima corpori humano, ut det ei uitam, alligatur, uel etiam abſque hoc quod eius ſit forma, ſicut nigromantici, qui dæmonum uirtute, ſpiritus alligant imaginibus, aut huiuſmodi rebus. Multò igitur magis uirtute diuina, ſpiritus damnandi, aut puniendi, igni corporeo

1. Theſ. 4.

Aquinas: De qualitate pœnarum, & paſſione ſpirituũ.

poſſunt

poſſunt alligari: & hoc eis eſt in afflictionem, quòd ſciant ſe rebus infimis in pœnam alligatos. Item opuſc. 3. ca. 180. Ne autem alicui abſurdum uideatur, animam à corpore ſeparatam, ab igne corporeo pati; conſiderandum eſt, non eſſe contra naturam ſpiritualis ſubſtantiæ, alligari corpori. Hoc enim & per naturam fit, ſicut patet in unione animæ ad corpus, & per magicas artes, per quas aliquis ſpiritus, imaginibus, aut anulis, aut aliquibus huiuſmodi alligatur. Quapropter Iulianus Eccleſiæ Toletanæ Epiſcopus, Gregorij dicta ſecutus, quàm optimè dicebat. Si viuẽtis hominis incorporeus ſpiritus tenetur in corpore; cur non poſt mortem etiam corporeo igne tenetur? Et Auguſt. lib. 21. cap. 10. de ciuitate Dei. Cur enim non dicamus (quamuis miris, tamen ueris modis) etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi; ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt concludi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum uinculis inſolubiliter alligari? Hoc autem ex diuina fit uirtute, ut iſtæ uidelicet ſpirituales ſubſtantiæ, quamuis ſecundum ſuam naturam, ſuper omnia ſint corporalia eleuatæ, aliquibus alligentur corporibus, utputa igni infernali, non ita quòd ipſum uiuificent, ſed quòd eo quodammodo aſtringantur. Quod loco ſuperius aſsignato affirmat & Auguſt. dicens. Spiritus dæmones (ex conſequẽti & humani, quia ut ſub finem huius cap. ait Auguſt. vnus vtriſq; ignis erit, ſicut veritas dixit) licet incorporei, adherebunt corporeis ignibus cruciandi, nõ ut ignes ipſi, quibus adherebunt, eorum iunctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu, & corpore; ſed, ut dixi, miris, & ineffabilibus modis adherendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam: quia & iſte alius modus, quo corporibus adherent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt: & hoc ipſe homo eſt. Et hoc à ſpirituali ſubſtantia conſideratum, ꝙ tali ſcilicet creaturæ infimæ ſubdatur, ſummoperè ei eſt afflictiuum, vti ſuperius eſt dictum: quia locus (vt ait & Aquinas in prima par. q. 64. art. 4. ad primum) non eſt pœnalis Angelo, aut animæ, quaſi afficiens alterando naturam, ſed quaſi afficiens voluntatem contriſtando, dum Angelus, vel anima apprehendit, ſe in loco ſuæ voluntati non conuenienti eſſe. Et inquantũ huiuſmodi conſideratio eſt ſpiritualis ſubſtantiæ afflictiua; verificatur,

Iulian. Epiſcop⁹.

Auguſt.

Auguſt.

Aquinas.

ficatur, quod dicitur, ꝙ anima, eo ipſo ꝙ ſe aſpicit cremari, crematur: & iterum ꝙ ille ignis ſit ſpiritualis, qui apprehenſus ut alligans, eſt immediatum affligens. Vnde Auguſt. loco ſupraſcripto, exemplum ſumens de diuite in inferno ſepulto. Dicerem quidem ſic arſuros, inquit ipſe, ſine ullo ſuo corpore ſpiritus, ſicut ardebat apud inferos ille diues, quando dicebat, Crucior in hac flamma; niſi conuenienter reſponderi cernerem, talem fuiſſe illam flammam, quales oculi, quos leuauit, & Lazarum uidit, qualis lingua, cui humorē exiguū deſiderauit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id ſibi fieri poſtulauit, ubi tamen erant ſine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis & illa flamma, qua exarſit, & illa guttula, quam popoſcit, qualia etiam ſunt viſa dormientiū, ſiue in ecſtaſi cernētium res incorporales, habentes tamen ſimilitudinem corporum. Nam & ipſe homo cum ſpiritu, non corpore ſit in talibus viſis, ita ſe tamen tunc ſimilem ſuo corpori videt, vt diſcernere omnino non poſsit. Ignis verò ipſe cui alligantur ſpiritus, & animæ, eſt corporeus, qui nedum hos ante diem nouiſsimum, verum & poſt cum corporibus eorum, omnes damnatos cruciabit in ęternum: iuxta illud Ioannis. Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris: vbi & beſtia, & pſeudoprophetæ cruciabuntur die, ac nocte, in ſecula ſeculorum. Super quibus verbis loco ſuperius citato, hoc idem approbat & Aug. dicens. Gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis, & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum, & dæmonum, ſolida hominum, aerea dæmonum; aut tantum hominum corpora cum ſpiritibus, dæmones autem ſpiritus ſine corporibus herentes ſumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Vnus quippe vtriſq; ignis erit, ſicut veritas dixit, Et quia ignis ille non ex ſua natura, ſed ex virtute diuina habet, ꝙ ſpiritualem alligare poſsit ſubſtantiam; conuenienter à quibuſdam dicitur, ꝙ ignis ille agit in animam, vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ uindicantis, non quidem ita ꝙ in ſpiritualem agat ſubſtantiam, ſicut agit in corpora, calefaciendo, deſiccando, diſſoluendo, ſed alligando, vt dictum eſt. Et quia proximum afflictiuum ſpiritualis ſubſtantiæ eſt apprehenſio ignis alligantis in pœnam; manifeſtè perpendi poteſt, ꝙ afflictio non ceſſat, etiam ſi ad horam diſpenſatiuè cōtingat ſpiritualem ſubſtantiam igne nō

Auguſt.

De igne, cui alligātur animæ.

Apoc. 20.

Aug. 21. de ciuir. Dei, cap. 10.

ligari: ſicut aliquis,qui ad perpetua damnatus eſſet uincula,ex hoc continuam non minus ſentiret afflictionem,etiam ſi ad horam à uinculis ſolueretur. Eſt autem conueniens, ꝙ damnati ſpiritus his pœnis puniantur corporalibus. Si quis uerò huius rei cauſam ſcire cuperet; legat D. Thomam cont.gent.loco ſuperius aſsignato, ubi diffuſe hæc tractatur materia. Is autem damnatorum ignis mira conditoris diſpoſitione in cruciãdos mirabiliter operatur. Nam ſicut electis ignis ardere nouit ad ſolatium,& non ad ſupplicium; ita e diuerſo gehennæ flammıa reprobis nequaquam lucet ad conſolationis gratiam,& tamen lucet ad pœnam, ut damnatorum oculis ignis ſupplicij, & nulla claritate candeat,& ad doloris cumulum, dilecti qualiter cruucientur,oſtendat. Quid autem mirum, ſi gehennæ ignem credimus habere ſupplicium ſimul obſcuritatis, & luminis, quãdo experimento nouimus, quia & tædarum flãma lucet obſcura? Tunc edax flamma comburit,quos nunc carnalis delectatio polluit. Tunc infinitè patens inferni baratrum deuorat,quos nunc inanis elatio exaltat: atq; qui quolibet ex uitio hic uolũtatem callidı perſuaſoris expleuerunt, tunc duce ſuo reprobi ad tormenta perueniunt. Fit itaq; miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia & mors uiuit,& finis ſemper incipit, & deficere defectus neſcit. Quia igitur & mors perimit, & non extinguit,dolor cruciat, ſed nullatenus pauorem fugat, flamma comburit, ſed nequaquam tenebras diſcutit,quantum per notitiam præſentis uitæ colligitur, ſupplicia ordinẽ non habent,quæ non ſuam per omnia qualitatem tenent: quamuis ille ignis & ad conſolationem non lucet, & tamen, ut magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam ſequaces quoque ſuos ſecum in tormento reprobi flamma illuſtrante uiſuri ſunt, quorum amore deliquerunt, quatenus qui eorum uitam carnaliter contra præcepta conditoris amauerunt,ipſorum quoq; eos interitus in augmentum ſuæ damnationis affligat. Quamuis autem Angelorum, atq; hominum longè natura diſsimilium una (cum eos unus in crimine reatus liget) ſit pœna,unus gehennæ ignis; attamen non uno modo omnes cruciat peccatores. Vniuſcuiuſque etenim quantum exigit culpa; tanta illic ſentitur pœna. Nã ſicut in hoc mundo ſub uno Sole multi conſiſtunt, nec tamẽ eiuſdem Solis ardorẽ æqualiter ſentiunt,quia alius plus æſtuat, atq; alius minus; ita illic in uno igne non unus eſt modus incẽdij:

Greg.lib. 9.cap.49.

De mirabili ignis infer. qualitate.

Greg. loco vtſupra, c.40.

Grego. in Dialog. lib.4. cap. 43.

dij:quia quod hic diuerſitas corporum,hoc illic agit diuerſitas peccatorum,ut & ignem non diſsimilem habeant, & tamē eoſdem ſingulos diſsimiliter exurat. Non igitur mortui omnis doloris ſunt expertes, & quiete fruūtur, ſed maximis cruciatibus torquentur:hoc tamen cum diſcrimine, ꝙ illi,qui cum mortali peccato ex hac deceſſerunt uita, perpetuò, & hi,qui ſecū venialia tātum detulerunt,ad tempus cruciabuntur. Qua de re illorū pœna perpetua,ac ignis æternus nominatur:iuxta illud Chriſti apud Matth.25. Diſcedite à me maledicti in ignē æternum, qui paratus eſt Diabolo,& Angelis eius (quo ex loco illud Auguſtini deducitur,ꝙ idē ignis erit hominū ſupplicio attributus, & dæmonum) horū verò pœna temporalis,ac ignis purgatorius nuncupatur:quia eos ab omni ſua iniuſtitia emūdat,ab omniq; inquinamento purgat, & quaſi aurum, & argentum colat, ut deinceps in ſacrificijs iuſtitiæ Dn̄o ſint placituri, & uitam aſſequātur æternā,quemadmodum ſuperius oſtenſum eſt diffuſius. Quo in loco ad huius rei manifeſtationem aiebat Apoſtolus. Vniuſcuiuſq; opus quale ſit,ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit,detrimentum patietur,ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.Super quibus verbis ait Amb.Cum dicit,Sic tamen quaſi per ignē,oſtendit ſaluum illum quidē futurū,ſed pœnas ignis paſſurū, vt per ignem purgatus fiat ſaluus,& non ſicut perfidi æterno igne in perpetuū torqueatur. Hoc idem explicat Aug.ſuper pſal.37.vbi & efficaciā huius ignis purgatorij deſcribit dicens.Ita planè quāuis ſalui per ignem,grauior tamen erit ille ignis, q̄ quicquid homo poteſt pati in hac uita. Et in ſerm. de Sanctis, Sermone 4.de igne purgatorij habito. Ille purgatorius ignis (inquit ipſe Pater Aug.) durior erit, q̄ quicquid poteſt in hoc ſeculo pœnarum uideri,aut cogitari,aut ſentiri.Nec mirum alicui hoc uerum eſſe uideatur: cum idem ignis ſit, qui perpetuò damnatos cruciat in inferno, & iuſtorum reliquias (ſi peccatorum reliquiæ remanſerint) conſumit in Purgatorio, eos ab omni macula purgando. Quod confirmat Grego. dicens. Sicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat; ita ſub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur. Is autem Purgatorij locus ubi ſit, in ſacris literis (ut teſtatur & Aquinas. 4. d.21.q.1.art.1.q.2.in c.) expreſſe ac determinatè non reperitur. Nec efficaces (inquit ipſe) poſſunt ad hoc

Matt. 25.
Aug. 21. de ciuit. Dei, c.10.
1. Cor. 3.
Ambro.
Auguſt.
Greg.
De loco Purgat.
Aquinas.

adduci rationes tamen probabiliter, & secundum quòd Sanctorum dictis, & reuelationi factæ multis consonat magis, duplicem Purgatorij ponimus esse locum, vnum secundum legem communem: & ita Purgatorij situs est inferior locus, inferno coniunctus, ita quòd idem sit ignis (uti superius dicebam) qui damnatos cruciat in inferno, & qui iustos mundat in Purgatorio: quamuis damnati, secundum quòd his deteriores fuerunt, & loco inferiores ordinandi sint. Sed in qua mundi, uel rerum parte sit infernalis locus iste; hominem arbitror (teste Augustino) scire neminem uerè, nisi fortè cui spiritus diuinus ostendit: quamuis diuersi diuersis moti rationibus eius locum asignarint determinatum. Inter quos ipse Aug. est unus: qui in 12. super Gen. ad literam, duas tangere uidetur rationes, ut ostendat, congruum esse infernum sub terra ponere; quarum una hæc est. Quoniam defunctorum animæ amore carnis peccauerunt, hoc eis per illas corporalium rerum similitudines exhibeatur, quod ipsi carni mortuæ solet, ut sub terram recondantur. Alia uerò est, quòd sicut grauitas est in corporibus, ita tristitia in spiritibus: & lætitia, sicut leuitas. Vnde sicut secundum corpus si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia grauiora; ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora. Et sic quemadmodum cælum empyreum est locus conueniens gaudio electorum; ita terræ infimum est locus conueniens tristitiæ damnatorum. Huius etiam sententiæ est D. Grego. ferè, qui in Dialog. lib. 4. cap. 42. sic ait. Hac de re temere diffinire non audeo. Nonnulli nanq; in quadã terrarum parte infernum esse putauerunt. Alij uerò hunc sub terra esse æstimant. Sed tamen hoc animũ pulsat: quia si idcirco infernum dicimus, quia inferius iacet; quod terra à cælo est, hoc esse debet infernus à terra. Vnde & fortasse per Psalmistam dicitur. Liberasti animam meã ex inferno inferiori, Vt infernus superior in terra, infernus uerò inferior sub terra esse uideatur. Et Ioannis vox in æstimatione ista concordat: qui cum signatum librum septem sigillis uidisse se diceret, quia nemo inuentus est dignus neque in cælo, neque in terra, neque sub terram aperire librum, & soluere signacula eius; adiunxit. Et ego flebam multum. Quem tamen librum postea per leonem de tribu Iuda dicit aperiri. Quo uidelicet libro, quid aliud, quàm sacra scriptura signatur? quam solus redemptor noster

[Margin notes: De loco inferni. — Aug. lib. 19. ca. 16. de ciuit. Dei. — Greg. — Psal. 85. — Apoc. 5.]

ſter aperuit; qui homo factus, moriendo, reſurgendo, aſcendendo cuncta myſteria, quæ in eo fuerant clauſa, patefecit. Et nullus in cælo, quia neque angelus, nullus in terra, quia neque homo uiuens in corpore, nullus ſubtus terram dignus inuentus eſt, quia neque animæ corpore exutæ aperire nobis, præter Dominum, ſacri eloquij ſecreta potuerunt. Cum ergo ad aperiendum librum nullus ſub terra inuentus dignus dicitur; quid obſtet non uideo, ut ſub terra infernus eſſe credatur, & Baſilius ſuper. 16. Lucæ, Infernus eſt quidam locus communis in intimo terræ, obumbratus undiq;, & opacus: cuius eſt quoddam orificium in profundum tendens, per quod patet deſcenſus animabus ad mala damnatis. Chryſoſt. autē in expoſitione eiuſdem ait. Sicut regum carceres extra manent, ſic & extra mūdum foris alicubi eſt infernus. Vnde & exteriores tenebræ dictæ ſunt. Et Theophilactus. Quidā uerò dicunt, infernum eſſe tranſitum ab apparenti ad diſparens, & deformitatem animæ. Quandiu enim anima peccatoris in corpore eſt; apparet per proprias operationes: ut autem euolat de corpore; fit deformis. Quidam autem Philoſophi poſuerunt, quòd locus inferni ſit ſub orbe triſti, tamen ſupra terræ ſuperficiem, ex parte nobis oppoſita. Et hoc uidetur Iſi. ſenſiſſe cum dixit, quòd Sol & Luna in ordine, quo creati ſunt, ſtabunt, ne impij in tormentis poſiti fruantur luce eorum. Quæ ratio nulla eſſet, ſi infernus infra terram eſſe diceretur. Pithagoras uerò poſuit locum pœnarum in ſphæra ignis, quam in medio totius orbis eſſe dicit, ut patet per Philoſophum in 2. cæli, & mundi. Harum autem opinionum omniū illā ceteris conuenientiorē eſſe affirmandum eſt, quæ ſub terra infernum eſſe exiſtimat: ſupra quem, ei tamen coniunctum, ſecundum legem communem (uti ex mente D. Thomæ oſtenſum eſt) ponendum etiam eſſet Purgatorium. Alium deinde (ut ait Aquinas loco ut ſupra) ſecundum diſpenſationem, Purgatorij dicimus eſſe locum. Et ſic leguntur nonnulli diuerſis in locis quandoq; fuiſſe puniti. Et hoc uel ad uiuorum inſtructionem, uel ad mortuorum ſubuentionem, ut uiuentibus eorum pœna innoteſcens per ſuffragia Eccleſiæ mitigaretur. Ad cuius corroborationem, in Dialog. lib. 4. cap. 40. ait. Gregor. quòd Germanus epiſcopus Capuanus, Paſcaſium Diaconum, qui in Angulanis thermis purgabatur, inuenerit. Iuxta quorūdam autem ſententiam (de quibus eo in loco mentionem facit. D. Thomas)

Purgatorij

Baſil.

Chryſoſt.

Theophilact.

Philoſ. quidam.

Pith.

Grego.

Purgatorij locus, ſecundum legem communem, ibi eſſet, ubi homo peccatum committit. quod probabile non uidetur eſſe: cū homo pro peccatis diuerſis in locis perpetratis, ſimul poſsit puniri: ſecundum Dei autem diſpenſationem, hoc poſſet admitti. Quod conſiderans Hugo de ſancto Victore aiebat. Probabile eſt, quòd in his locis puniuntur, in quibus cōmiſerunt culpam. Secundum aliorū uerò opinionem, talem purgatorij locum ſupra nos eſſe, eſſet affirmandum, ex eo quòd ipſos inter Deum, & nos, quo ad ſtatum, ponunt eſſe medios. Quod rationi pariter conſonum eſſe non apparet: quia non ratione eius, quòd ſupra nos ſunt, ſed ratione illius, quod in eis eſt infimum, ſcilicet peccatum, puniuntur. Ecce itaq; mortuos non ſolū doloris nō eſſe expertes, uerùm & in aliquo certo loco miſerè torqueri, damnatos in igne æterno, iuſtos uerò in purgatorio, illos in perpetuū, iſtos ad tempus tantum: quod illis maxima eſt pœna, his uerò magna eſt liberationis ſpei conſolatio.

Hugo de s. Vict.

De inſeparabilitate iuſtitiæ Dei à miſericordia ſua. Art. XXIX.

QVARTO, propter infinitam Dei miſericordiā, animarū Purgatorium tollit dicens. *Deus enim adeo miſericors, & benignus eſt, ut ſimul atq; peccator ueniam petit, eam continuò illi concedat.* O nefandiſsimam Burgenſis temeritatem, qui Deum homini, iuxta gentium ſententiam, uult comparare. Huius nempè opinionis nonnulli fuerūt priſcorum philoſophi, qui miſericordiam, & ſapientiam cum iuſtitia in uno copulari homine, haud quaquam poſsibile eſſe affirmarunt. Inter quos Academicus ille Philoſophus Carneades nomine unus fuit: cuius in diſſerendo quæ uis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, qui neſcit, ex Ciceronis prædicatione intelliget, apud quem diſſerens Neptunus de re difficilima, oſtendit id explicari non poſſe, nec ſi Carneadem ipſum Orcus remitteret. Is cum ab Athenienſibus legatus Romam demādatus eſſet, de iuſtitia copioſè, Galba audiente, & Catone, Cenſoribus maximis, tunc oratoribus, diſputauit: ſed diſputationem ſuam poſtridiè contraria diſputatione ſubuertit, & iuſtitiam, quam pridiè laudauerat, non minori efficacia ſuſtulit (non quadam philoſophi grauitate, cuius prudentia firma, & ſtabilis debet eſſe ſentētia, ſed quodam oratorio exercitij genere, quadā adumbrata dicendi ratione, & uerborum

borum argutia) uiris maxima auctoritate, & prudētia ualentibus, iuſtitiā cum ſapientia, eamq; cum bonitate, nec coniungi, nec conſpirare, nulloq; neceſsitudinis nomine uenire perſuaſit, inſtillauit, eosq; ad credendum adduxit. Nam ſi quis (aiebat) uicto exercitu fugiens, aliquem equo inſidentem reperiet uulneratum; an ne hunc, ut ipſe euadere poſsit, equo deturbabit? Si iuſtus eſſe uelit, nequaquā: ſed ſtultus iudicabitur, qui dū alterius uitæ parcit, ſuā perdit. Si facit, ſapiens quidem exiſtimabitur, quia ſibi ipſi conſuluit: ſed malus, quia proximo nocebit. Alij aliud ſimile producunt exemplum ad hoc idem perſuadendum. Si uinctus morte dignus à iudice gladio plectitur, iuſtus ab omnibus iudex prędicabitur: ſed crudelis reputabitur. Si ſecus, illi precibus amicorū motus ueniā, uitamq; cōdonauerit; miſericors quidē iudex habebitur, ſed iniuſtus. Arguta profectò, ſed uenenata, peſtiferaq; ſuaſio, quā ſecutus Burgenſis Deū iniuſtū facit: ſolam miſericordiam ei tribuendo. Negat enim Purgatorium (in quo Dei iuſtitia exercetur, & executioni mandatur) quia miſericors, & benignus eſt: quaſi in Deo miſericordia, & iuſtitia inſimul eſſe nō poſsint. O hominis impudici blaſphemiā. Audiat quid Propheta dicat in pſalmo. Miſericordia, Pſal. 84.
& ueritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Non enim eſt Deus ſicut homo, qui ſimpliciter iuſtus, & miſericors eſſe nō poſsit: ſed ſic ſummè eſt miſericors, quòd ſummè iuſtus eſſe non deſinit: quia ſine iuſtitia nemini miſeretur Deus, qua omnes delinquentes, cū ſua magna inſimul miſericordia, ſuorū ueniam peccatorum petentes arguit, increpatq;. Quod Propheta oſtendebat dicens. Corripiet me iuſtus in miſericordia, Pſal. 140.
& increpabit me. Quis abſolutè iuſtus, niſi dominus? Ecce Propheta in Dei miſericordia corripi, increpariq; expetebat, atq; optabat: cum Dei miſericordia ſine iuſtitia eſſe non poſsit, quæ omnes Domini actus dirigit, gubernatq;, ante eū in omnibus ſuis operibus ambulans, & ponēs in uia greſſus ſuos. Quod aper Pſal. 84.
tè, & dilucidè in naturæ humanæ redemptionem uideri, atq; cognoſci poteſt. Nā cum gemina illa bonitas, & prolixa Dei beneficentia ad preces, fletus, gemitus tantorum Sanctorum patrum, ſecundum ſuam infinitam magnam miſericordiam, homini decreuiſſet miſereri, unico uerbo ſua inexcogitabili potentia, dæmonem naturæ humanæ inimicum ligare, & hominem de ipſius manibus prorſus liberare potuiſſet: at ne ſua

infallibilis iustitia detrimentum pateretur; alium sua cælica sapientia excogitauit modũ, ut sine iustitiæ detrimento, suã infinitam homini cõmunicaret misericordiam: quæ ita magna fuit, quòd maior esse nõ quiuit. Maiorem misericordiam non poterat nobis profectò communicare Deus, quàm filium suum incarnari. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se æqualem esse Deo, sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, ubi non solum suam inuiolatam iustitiam, cũ infinita sua bonitate, & misericordia ostendere uoluit, uerùm & præponentem suam potentiam, cum profundissima sua sapientia, arctissima necessitudine hic copulatas (ita ut unam ab alia secernere, discriminareq; nemo ualeat) omnibus patefecit. Dicat quis obsecro, qua arctiori necessitudine summa bonitas, & misericordia, summa cum sapientia, & potentia cum iustitia iungi potuit? Missus est olim tortuosus ille coluber, ut uenenum per aurem mulieris, in mentem, & uentrem, & sic in posteritatis originem transfunderet. Missus est nunc Angelus à Deo, ut uerbum patris in uirginis mentem, & in uentrem eructaret, ut eadem uia, qua ingressum erat uenenum, eadem ingrederetur & antidotum. Et quoniam ille noster hostis antiquus excellentissimæ, eminentissimæq; rei, diuinitatis scilicet, promissione uana, & pollicitatione parentibus nostris facta, eos decepit, ut humilitas superbiam detunderet, ad morbumq; modo opposito, nobis salus induceretur; utque fallax lætifer (quemadmodum par erat) inopinato caperetur laqueo, per infimum, & abiectissimum in homine (carnem uidelicet) eiusq; prætextu deceptus est. Nempè sacratissima Christi caro diuinitatem in ea obtendens, latitantem ut hamum occultans esca fuit, quam deglutire Satanas uolens, dum immaculatam Christi carnem, sua suggestione, sperans & eo se gauisurum spolio, ad mortem deduxit; à diuinitate in ea delitescente prostratus est, & collectam generis humani anteacto tempore prædam meritò amisit. Sic olim sub typo Leuiathan hamo captus est, armillaq; diuinitatis, perfossa eius maxilla, quos insatiabili ingluuie antea tanquam suos absorbuerat, omnes euomuit. Magna profectò iustitiæ abyssus nota fit: quia homine uicto, non alio, quàm homine facit uinci tyrannum. Id æquitatis ratio exigit, ut is satisfaciat, qui illam debet, & possit præstare satisfactionem.

Philip. 2.

tisfactionem. Si igitur ſuprema illa bonitas, ſuam miſericordiam homini communicando, proprio ſuo non pepercit filio, ne inuiolabili ſuæ iuſtitiæ in ullo derogaret; tanto minus credendum eſt, Deum iuſtitiæ parciturum, dum nobis ueniam petentibus indulget, & miſeretur. Sic ergo Deus miſericordia nobis indulget, ut iuſtitiæ ſuæ non fiat præiudicium: quemadmodum etiam ſuperius in reſponſione ad primum eſt dictum.

Quintò, & ultimò ex omnibus ſuis rationibus ſupra poſitis, concludit, Purgatoriũ prorſus non eſſe, ſed purum hominũ commentũ, dicens. *Qua de cauſa, & cum nulla purgatorij mentio in ſanctis literis reperiatur; concludo, illud eſſe commentum hominum ad pecuniam ex miſſificationibus corradendam*. O Anna, tuarum rationum uigore purgatorium non eſſe concludis temerariè, ergo per argumentum ab oppoſito, uirtute rationum mearum tuas prorſus deſtruentium, omnino concludendum eſt, illud non hominum commentum eſſe ad pecuniam ex miſsificationibus corradendam, ut tu ais (quãuis & ſanctiſsimum Miſſę ſacrificiũ in Purgatorio ipſo morantibus, ut iam ſuprà ſatis oſtenſum eſt, multum prodeſſe firmiter teneamus) ſed tum ex ſanctis libris canonicis, tum ex traditione Apoſtolorum, nobis à ſanctiſsima Eccleſiæ continua, & diuturna conſuetudine oſtenſa, & à ſacris doctoribus corroborata, illud ueraciter eſſe confirmamus, & ſine dubitatione credimus. Itaq; ex omnibus iſtis (ut huic rei finẽ imponamus) concludendum eſt, atq; confitendum, alia in uita, non tantum ignem æternum, uerùm & purgationis pro indigentibus omnino dari locum. Ad cuius corroborationem adhuc ait Aug. de Geneſi contra Manichæos, lib. 2. cap. 20. Qui agrũ non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit; habet in uita hac maledictionem terræ ſuæ in operibus ſuis. Et poſt hanc uitam habebit, uel ignem purgationis, uel pœnam æternam. Ita nemo euadit iſtam ſententiam. Sed agendum eſt, ut ſaltem in hac tantum uita ſentiatur. Iſti ſunt errores nefandiſsimi Annæ Burgẽſis, quos ex utraq; ipſius cõfeſsione extraxi. Quorum gratia ipſe Anno Dñi. 1559. Die uero 23. Decẽbris, quemadmodũ ſuperius dictũ eſt, in ciuitate Pariſina, tum in corpore, tũ in anima dignam luit pœnã: corpus tradẽdo neci, & animã perpetuo cruciatui. A quo nos oẽs Chriſti fideles Dñs noſter, per ſuã infinitã miſericordiã ꝓſeruet, ac liberet, & ad uitã æternã perducat, ubi cũ ipſo feliciter uiuemus in ſecula ſeculorũ. Amen.

Auguſt.

DE HISTORIA MARTYRII ANNÆ BVRGENSIS, DEQVE HAERETICORVM MIRACVLIS.

ARTICVLVS VNVS.

Auctore Feliciano Ninguarda à Morbinio Dominicano Theologo.





CVm Martyrij nomen ex uniuoco à peruersis in æquiuocum sit redactum, ne quis circa Burgensis martyrium (ut in huiusmodi ęquiuocis accidere solet, unum pro alio e iusdem nominis significatum sumendo) decipiatur; quotuplex sit, necnon & quid utrunq;, & quale Burgensi conueniat, describere dignum duxi. Martyrium enim latinè dicitur quasi testis fidei Christianæ, quę una esse debet iuxta illud, Vnus Deus, una fides, unum baptisma: per quam fidem uisibilia omnia pro inuisibilibus contemnenda proponuntur, ut testatur Apostolus ad Hæbre. 11. Ad martyrium itaq; pertinet, ut quis fidem testificetur, se opere ostendēs omnia huius seculi bona uisibilia contemnere, ut ad futura, & inuisibilia perueniat. Quandiu autem homini uita remanet corporalis; opere nondum ostendit, se corporalia cuncta despicere. Consueuerunt enim homines, amicos, parentes, & consanguineos, nec non & omnia bona possessa contēnere, & etiam dolores corporis quandoq; pati, ut uitam conseruent corporalem, iuxta illud Iob. Pellem

Quid sit martyriū. Ephes. 4. Hebr. 11.

Iob. 2.

lem pro pelle,& cuncta,quæ homo habet, dabit pro anima sua, id est pro uita sua præsenti. Et ideo ad perfectam martyrij rationem requiritur,quòd homo corporalibus suis passionibus usq; ad mortem testimonium perhibeat ueritati, non cuicunque, sed illi,ut ait Apostolus,quæ secundum pietatem est: quæ per Christum nobis innotuit:ipsius Christi passionem imitando, quemadmodum sancti fecerũt Apostoli,qui per diuersa tormentorum genera eam sunt imitati. Alij nãq; ferro perempti, alij flammis exusti,alij flagris uerberati,alij uectibus perforati, alij cruciati patibulo, alij demersi pelagi periculo,alij uiui decoriati,alij uinculis mancipati,alij linguis priuati, alij lapidibus obruti,alij frigore afflicti,alij fame cruciati,alij uerò truncatis manibus,siue ceteris membris cæsis, spectaculum contumeliæ in populis nudi propter nomen domini portauerunt. Et 1. Tim. 6.
hoc profectò est uerum fidei christianę testimonium, quo eos tanquam aurum in fornace probat Deus multifariè, uti quam optime ad Hebræ.11.ostendit Apostolus dicens. Alij autem di Hebr. 11.
stenti sunt,non suscipientes redemptionem,ut meliorem inuenirent resurrectionem.Alij uerò ludibria,& uerbera experti,in super & uincula, & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt,in occisione gladij mortui sunt,circuierunt in melotis, in pellibus caprinis,egentes,angustiati,afflicti:quibus dignus non erat mundus.in solitudinibus errantes,in montibus, & speluncis,& in cauernis terræ.Et hi omnes testimonio fidei probati, idest per fidem habent testimonium,quòd à Deo sunt approbati.Non enim(ut alibi ait Apostolus)qui se ipsum commendat, 2.Cor.2.
ille probatus est: sed quem Deus commendat. Is autem commendatur à Deo,cuius caro sic traditur supplicio:ad quod nos omnes Christi fideles inuitamur à Domino, ut tandem perpetuò triumphemus in cælo.Nam magna(ut testatur & Augu\st.in August.
sermone. de S. Genesio) ex Sanctorum natalium nomine demonstratur spes, ac securitas Ecclesiæ. Non enim talem debemus timere mortem, in qua renascimur ad salutem. Sanctus iste mortem corporis non metuit, dum anima timuit.Nec tyrannum timuit temporalem,timens iudicem sempiternum.Mira fides, mira deuotio. Ante persecutorem assistebat, sed animo ante Deum erat. Carnem exponebat supplicio, sed mentem habebat in cælo. Negociator iste beatus dedit minus, ut acciperet amplius. Emit commercio sanguinis regnum salu-

tis, factaq; est ei breuis passio, perpetua beatitudo. Hinc est ergo, quod illius natale colimus, nõ quo est in terra natus, sed quo est in cælo renatus: nõ quo pãnis uilibus est indutus, sed quo diuinis est floribus coronatus: nõ quo plorans in mundũ uenit, sed quo è mundo cum gloria triũphauit. Laboremus igitur & nos uiriliter omnes pro reddẽdo ipsius fidei testimonio, ad sanguinis effusionẽ usq;, ut hac præsenti uita emissa, à Domino proba-

2. Timoth. 2. ti, hanc aliã incorruptibilẽ ualeamus adipisci. Nã qui certat in agone, nõ coronabitur, nisi legitimè certauerit: quemadmodũ ad illorũ gloriã, & nostrã doctrinã, certarũt infiniti sctĩ marty-

Cyprian. res Dei. De quibus bene dicebat Cyprianus in episto. ad martyres, & cõfessores. Hic est agon fidei nostrę, qua cõgredimur, qua uincimus, qua coronamur: quẽ per prophetas prædictũ, per Dominum cõmissum, per Apostolos gestũ, sancti martyres exhibuerunt, & palmã acceperunt, in fide stabiles, in dolore patientes, in quæstione uictores. Et in epistola de lapsis. Repugnastis ò martyres sancti fortiter seculo, spectaculum gloriosum præbuistis

August. Deo, secuturis fratribus fuistis exẽplo. Facile. n. est (ut ait & August. in serm. de s. Cypriano) martyrẽ celebrando uenerari: magnum uerò fidẽ eius, & patientiam imitari. Vera ergo, & natiua nominis martyrij unica hæc est significatio, pro unitate fidei Christianę mortẽ sustinere. Quapropter qui ipsum subeunt martyrium, in Ecclesia Christi omni honore habẽtur digni: uti pul-

Chrysost. cherrimè in homil. de Machabæis describit Ioan. Chrysost. dicens. Hæc itaq; corpora pretiosa sunt: quia plagas pro Domino susceperũt, & stigmata propter Christũ impressa circũferunt. Et sicut ex corona regali undiq; fulgores emittũtut; ita martyrũ corpora pro Christo uulneribus distincta omni regũ diademate delectabiliora redduntur. Et Cyprianus in supra scripta ad

Cyprian. martyres epistola sic eos pariter extollit dicẽs. O beati martyres, quibus uos laudibus prædicem? O milites fortißimi, robur corporis uestri quo præconio uocis explicẽ? Vsq; ad glorię consummationẽ tolerastis durißimã quæstionẽ, nec ceßistis suppli-

Vsurpatio nominis martyrii. cijs, sed potius supplicia cesserũt uobis. Finẽ doloribus, quẽ non dabãt tormẽta, dedit corona. Sũt autẽ nõnulli, qui ut de nomine martyrij (falsò tamẽ) poßint gloriari; se ipsos diuersimodè spontali tradunt neci: quẽadmodum in quibusdã Indiarum partibus uitã consumunt multi. Quorum aliqui (ut ex diuersorum fide dignorũ habetur literis, has in regiones nuper transmißis)

præcipitio

præcipitio se interimunt, alij ferocissimis, crudelissimisq;, se offerunt feris, aut uelocissimis se subdunt quadrigis, ut inde præsenti uita sic miserabiliter perdita, nomen martyrij sibi acquirant, & illud perpetuò in eorum gloriam posteris relinquāt: cuius tamen fructu haudquaquam gaudere possunt: cum talis effusio sanguinis absq; charitate perpetrata sit. Quod August. in homil. super illud Ioan. 10. Ego sum pastor bonus, confirmat dicens. Ecce uenitur ad passionem, ecce uenitur & ad sanguinis effusionem, uenitur & ad corporum incensionem, & tamen nihil prodest: quia charitas deest. Charitas autem illis deest: quia in huiuscemodi sanguinis effusione, Deus abest, qui ea ipsa charitas est: in qua qui manet, in Deo manet, & Deus in illo. Sancti .n. martyres Dei, non ex se ipsis (uti contra Dei pręceptū perpetrarunt illi) sed à crucis Christi inimicis suum fuderunt sanguinem: & hoc (ut eo in loco ait Aug.) non elatione, quemadmodum Indiani, uanagloria tumidi, sed charitate, Dei amore feruidi. Alij uerò sunt non pauci, qui temeritate quadā, hoc martyrij nomine abuti non uerentur, Diaboli satellites ob ipsorum impietatem, & pertinaciam morte punitos, martyres appellando. De quibus in superiori homilia dicebat Aug. Nam & apud hæreticos, qui propter iniquitates, & errores suos, aliquid molestiarū perpessi fuerint, nomine martyrij se iactant, ut hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi sunt. Et hi propterea à nobis Christi ouibus sunt pariter fugiendi. Ideo ut id obseruemus, sacrum Laodicense Concilium, à sexta uniuersali Synodo in Trullo celebrata confirmatum, cap. 34. nos admonet dicens. Non oportet omnino Christianum, derelictis martyribus Christi, abire ad falsos martyres. Hi enim alieni à Deo sunt. Quicunque autem abire uoluerint, anathema sint. Inter hos autem Diaboli martyres prorsus à Deo alienos, & non Christi (quorum numero ipsum nonnulli hæreticorū ascripserunt) Annas Burgensis est connumerandus: qui non propter fidei Christianæ unitatem, sed è conuerso propter illius ab unitate Christi segregationem, nec non & ipsius temeritatem, cōtumaciam, atq; eiusdem contra Deum, & Ecclesiam sanctam, peruersitates, atque blasphemias (uti, satisq; superius ostensum est) uita priuatus fuit corporali, & utinam non spirituali. Cuius mors propterea non martyrium, sed scelerum suorum condemnatio propriè debet nuncupari: quia quicunq; extra fidei Christianæ

August.
1. Ioan. 4.
Philip. 3.
August.
Aliud genus falsorum martyrum.
August.
Concil. Laodic.

Christianæ unitatē (quę est Romana) hinc discedit; inter martyres, atque ceteros Dei electos profectò reputari non potest: quemadmodum superius descriptū est, dicente Apostolo. Vnus panis, & unum corpus, multi sumus. Omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus. Ad cuius corroborationem in epistola ad Donatistas, post collatio. epist. 152. ait Aug. Quisquis ergo ab Ecclesia catholica fuerit separatus; quantūlibet laudabiliter se uiuere existimet, hoc solo scelere, ꝙ à Christi unitate disiunctus est, non habebit uitam, sed ira Dei manet super eū. Et Cyprian. 2. lib. epist. 6. Ecclesia una est, quæ una, & intus esse, & foris non potest. Si .n. apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit. Si verò apud Cornelium fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, & quē præter pretij honorem martyrio quoq; Dominus glorificauit; non apud Nouatianum est: ex consequenti, nec apud ipsum, neq; apud alios similes hæreticos prorsus ab Ecclesia Christi tàm militanti, quàm triumphanti alienos, uirtus martyrij potest reperiri. Ex quibus concludere possumus, Annam Burgensem ab Ecclesia catholica alienum, cum maxima Dei ira ad inferos descendisse: ex consequenti, non martyrium, sed perditio eiusdem mors, & vitæ priuatio debet nominari. Quod etiam ex ipsius effectibus potest comprobari. Cum .n. Deus in Sanctis suis mirabilis sit, prodigia, & signa magna per ipsos hominibus ostendens, uti & Christus apud Marcum vltimo confirmat dicens, In nomine meo dęmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, Etsi mortiferum quid biberint, nō eis nocebit, Super egros manus imponent, & bene habebunt; ubi sunt signa, & miracula Christi fidelibus per Burgensem à Deo ostensa? Nullū profectò describitur, quia nullum auditur, cum nullum sit operatus Deus per ipsum: quia eos, qui extra Ecclesię vnitatem sunt segregati, non audit, neq; cognoscit Deus. Ideo non mirum, si nullo tales in virtute Christi clarere possunt miraculo. Possunt tamen diabolica virtute, ad animarum deceptionem, nonnulla signa apparentia quandoq; ostendere: quemadmodum Simon ille Magus est operatus. Qui inter alia postquam à fide factus fuerat apostata, Romam se contulit: ubi sic præstigijs suis eò erroris deduxerat populum, vt Deus crederetur. Romæ .n. tunc titulū adeptus erat inter duos pontes positum, ac latinis literis sic scriptum, Simoni Deo sancto. Superueniente autem Romam Petro

1. Cor. 10. | August. | Cyprian. | Psal. 67. | Mar. 16. | Ioan. 9. | Hęreticorū prima species miraculorū.

Apo-

Apoſtolo, & Simonis ſimultates, nequitias, peruerſitates, populo Romano detegente, & ueri Dei, & filij eius Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrinam firmam, ſinceram, annuntiante; ira, ac indignatione motus Simon, homo nefandus, Petrum morte pueri prouocare auſus eſt: quem eius carmina primò mouere uiſa ſunt, uerùm cum poſtea nihilomiuus puer iaceret, & in nomine Ieſu, Petro iubente, ſurrexiſſet; magis Simon indignatus, uidente populo, ſe uolaturum ex Capitolino monte in Auentinũ pollicetur, ſi Petrus ſubſequi uellet, ut ea ratione dignoſcere quisq; poſſet, qualis ſanctior, & Deo carior haberetur. At quid ei euenerit, animaduertite. Cum iam Simon montem illum verſus ſe volare magicis artibus, Romanis oſtenderet, rogatu Petri ad cælum manum tendentis, ac rogantis Deum, ne deludi magicis artibus tantum populum ſineret; in terra decidit, ac crus infregit: cuius dolore non ita multò poſt Aritiæ mortuus eſt. Sicq; ipſius finem perfecit. Quod itaq; & Antichriſto eueniet, ſimiliter operaturo, quemadmodum ad Theſſ. Apoſtolus teſtatur dicens. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum. Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanę, in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis. Sic & infiniti alij hæretici horum duorum intermedij fecerunt, & facient, in ipſorũ, & aliorum multorum perditionem, eo ꝙ charitatem veritatis non receperunt, neq; recipiunt, vt ſalui fiant. Alij verò peruerſi, deceptione, & fraude quadam ſpiritum Dei ſe habere profitentur, & ſigna, atq; prodigia in Dei uirtute ad decipiendam plebem poſſe facere fingunt: quorum mendacijs multi ad tempus ſeducuntur. tandem ob bonorum ſalutem, & decipientiũ confuſionem, eorum iniquitatem, atq; peruerſitatem, quandoque omni populo Deus notam facit, atq; manifeſtat: uti Anno Domini M D LVIII. quibuſdam ſimilibus, in quodam pago ſub confinibus Poloniæ, & Vngariæ ſito, contigit. Quid autem acciderit, attendite. Fuit anno ſupra ſcripto eodem in loco apoſtata quidam, qui cum multos nobiles prauis ſuis dogmatibus dementaſſet, quo facilius rudem plebeculam, Dominis tamen ſuis ſapientiorem, quæ illi acquieſcere nolebat, ſeduceret; re cum nobili, in cuius erat aula, communicata, ſeruum uiuum, nomine Matthæum, manibus, pedibusq; inſtitis ligatis, phe-

retro

2. Theſ. 2.

2. Theſ. 2. Alia ſpecies miraculorum hęreticorum.

retro imposuisse, in sepulturæq; locum efferri iussisse. Adest ingens hominum à nobilibus uocata multitudo, grande miraculum uisura. Tunc peruersus ille prædicator ex editiore loco mortuum esse famulum Domini nuntiat, uitam eius, mores laudat, Domino suo carum fuisse prædicat, inuehitur in Papistas, Antichristos nos, se ipsum uerum esse Apostolum appellat. Mortuum tandem sepeliri iubet, & (ut doctrinam suam, ueram, & cælitus missam esse credant) pollicetur se illis spectantibus eum mortuum ad uitam reuocaturum. Adijt pheretrũ, & sicut præscripserat seruo, ut proprio nomine ter uocatus resurgeret, inclamat ter, atque etiam quater, Matthæe surge. Et cum eãdem cantilenam aliquoties altius etiam frustra surdo cantasset, aperitur pheretrum, Matthæus ille extinctus inuenitur. Vxor eius facti conscia, astans pheretro, iocum esse rata, ut maritum suũ mortuũ esse cognouit, horrendum, proh dolor, inclamat magno eiulatu, fletu omnia complet, cælum terræ miscet, mariti mortem deflet, prædicatorem illum, non Apostolum, sed insignem latronẽ, ac seductorem peruersissimum appellat, totamq; rei seriem ordine populo aperit. Ita apostata ille prædicator, si Dijs placet, egregio miraculo dogma suum esse uerũ probauit. Et magnum re vera miraculum, ac ut etiã vsq; ad Indiarum partes perferatur, dignũ, è uiuis mortuos facere: hæc ne Apostoli quidẽ sciuerunt. Et ne quis ficta esse putet; acta sunt hęc apud nobilem Bruniouskij, in eius pago Biedzaza dicto, propè ciuitatem Biez, sub Vngariæ finibus. Hæc sunt miracula, prodigia, signa, & alia perquàm infinita similia, quæ Deus operatur in his, qui ab unitate corporis Christi sunt alieni, sicuti sunt Burgensis, & alij sui similes hæretici: cuius gratia ipse Burgensis, hoc in seculo corpore fuit mulctatus, & in inferno ipsius anima continuè crucia-tur. Quamobrem non martyrij, sed mulctationis nomine, eiusdem Burgensis supplicium, debet nuncu-pari.

Et hæc quò ad ipsius martyrij historiam pariter sufficiant.

FINIS.

INDEX AVCTORVM, ATQVE CONCILIORVM TAM PARTICVLARIVM, QVAM VNIVERSALIVM, NECNON HVIVS GENERIS ALIORVM, QVORVM IN HOC OPVSCVLO PRAECIPVA FIT MENTIO.

Vualafridus Strabo, abbas.s.Galli Heluetys.
Valerianus Imperator.
Vincentius Quintianus.
Vigilius Pa.

Xenophon.

Zacharias Pa.
Zephyrinus Pa.

Oecumenica Concilia.

Chalcedonenſe.
Conſtantienſe.
Conſtantinopolitanum.1.
Conſtantinopolitanum.2.
Conſtantinonolitanum.3.
Conſtantinopolitanum.4.

Epheſinum

Florentinum

Lateranenſe.2.
Nicænum.1.
Nicænum.2.

Prouinciales synoddi.

Agathenſis
Ancyrana
Antiſiodorenſis
Arauſicana.1.
Aurelianenſis.1.
Aurelianenſis.2.
Aurelianenſis.3.

Bracarenſis.1.

Carthagineſis.2.
Carthaginenſis.3.
Carthaginenſis.4.

Elibertina

Franconica ſub Adriano 1. celebrata.

Gangrenſis.
Gerundenſis.

Ilerdenſis.

Laodicena.

Moguntiaca.1.

Neocæſarienſis.

Remenſis.
Romana ſub Silueſtro celebrata.
Romana ſub Gregorio 3.contr.Leon. Imper.3.celebrata.
Romana ſub Adriano.1.celebrata.
Romana ſub Nicolao.2. contr.Berenga.celebrata.

Telenenſis.
Toletana.1.
Toletana.2.
Toletana.4.
Toletana.5.
Toletana.6.
Toletana.8.
Turonenſis ſub Leone ix. cont. Berenga.celebrata.

Valentiana Galliæ.

FINIS.

REGISTRVM.

abc A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ.

AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG.

Omnes sunt duerni.

VENETIIS,
Apud Dominicum Nicolinum.
1563.

005647334